

THEOLOGIA

CHRISTIANA

DOGMATICO-MORALIS.



R. 1150

B. B^a

THEOLOGIA

CHRISTIANA

DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE

Del Collegio della Compagnia de S. Paolo de' Predicatori

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PREDICATORUM

EDITIO NOVISSIMA.


TOMUS PRIMUS

IN DECALOGUM

ACCEDIT DE VITA ET STUDIIS AUCTORIS
COMMENTARIUS HISTORICUS.



ROMÆ, MDCCLXXII
SUPERIORUM PERMISSU.
PROSTANT VENALES VENTURINI
MONEM OCCHI.



(V)
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV. P. O. M.

Patiemur ne igitur extingui, aut opprimi veritatem? Ego vero libentius vel sub hoc onere defecerim ... Cur desperemus veritatem ipsam contra fallacem captiosamque facundiam, sua propria vi & claritate valituram? Illi quidem sese patronos veritatis profiteri solent. Sed quis potest eam rem defendere quam non didicit; aut illustrare apud alios quam ipse non novit? Magnum videor polliceri; sed caelesti opus est munere, ut nobis facultas ac tempus ad proposita persequenda tribuatur. Quod si vita est optanda sapienti, profecto nullam aliam ob causam vivere optaverim quam ut aliquid efficiam quod vita dignum sit, & quod utilitatem legentibus, etsi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiae rivus est, ad vivendum tamen afferat; quod est maxime necessarium. Quo profecto, satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis implevisse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter caeleste direxerit. LA-
CTANTIUS *de Opificio hominis cap. XXI.*

F. DANIEL CONCINA O. P.
FELICITATEM.



*Pus istud ut SANCTITATI TUÆ inscriberem, atque consecrarem, prae multis, impulerunt causae duae, quarum haec princeps est, quod TU ingentes ad illud aggrediendum perficiendumque animos mihi feceris, & pro eo quo erga sacrarum litterarum cultum zelo flagras, etiam persuaseris. Neque enim TIBI sat est una
ma-*

manu tenere gladium, quo his impeditissimis temporibus, inter tot furentes procellas, Principatus TUI illæsa iura, tranquillam pacem, rerum opulentiam conserves; altera manu stringere calamum, quo universam Ecclesiam Sapientiæ TUÆ a Deo concreditam illustres, doceas, & ab erroribus studeas vindicare: intra hæc, inquam, consilia, tametsi latissima, coercere vasta molimina TUA haudquaquam voluisti; sed ultra progressus, utpote strenuus sacrae militiae Moderator & Dux, ceteros, ut TUA, a longe saltem, vestigia premant, TUAQUE imitentur, quoad eorum fert conditio, exempla virtutum, qua voce, qua doctissimis Epistolis, allicis, hortaris, & adiectis stimulis perurgere non intermittis. Quid quod arma etiam, & quidem utraque parte acutissima, quibus bellum Domini præliemur, porrigere nobis abundantissime pergis? Quem quippe latet, magna illa TUA auro cedroque digna volumina iam pridem edita, quæque in dies repetitis elegantissimis typis prodeunt, amplum esse armamentarium, unde & sacrorum Canonum studiosi viri ecclesiasticæ Disciplinæ documenta, & rei theologicæ Professores divinæ scientiæ reserata arcana hauriunt? Quantum egomet ex Operibus TUIS profecerim, & quam frequenter in hac, quam TIBI inscribo, Christiana Theologia resonet Nomen TUUM immortale; quam copiosa sint testimonia ex Libris TUIS decerpta, quibus & meas confirmo sententias, & aliorum refello errores, qui legent, intelligent. Sileo doctissimas lucubrationes quas inter gravissimas apostolicæ sollicitudinis curas & molestissima negotia; e-mittere ad evangelici gregis TUI instructionem non cessas. At silere nequaquam valeo erectas in celeberrimis Academiis Cathedras, e quibus eruditi viri doctrinam TUAM publice interpretantur, & docent. Quantum hoc ad Nominis TUI dignitatem æternamque gloriæ fumam conferat, illud est argumento, quod vix mortalium aliquis similem hactenus affectus honorem fuerit, ut scilicet invidentiæ, & simultatis tela ita feliciter sit prætergressus, ut vitam agens conspiciere aperta Gymnasia, institutas Cathedras, delectos Professores, qui suam traderent propugnarentque doctrinam, meruerit.

Hæc omnia uni TIBI, BENEDICTE SAPIENTISSIME, reservata erant, quæ TE, præter expectationem, & quodlibet aliud cogitantem ad hunc Pontificatum extulere. Non me fugit, vix hæc apud seram posteritatem fidem inventura; quin plures existimabunt, me illorum more loqui qui in Operum dedicatione assentari Mæcenatibus consuecunt. At, ne in hanc adduci suspensionem queant, pandamus sus est splendidissimam illam præ ceteris virtutem quæ TIBI ad hanc præcelsam dignitatem viam aperuit. Patebit vero hæc cuicumque memoria repetenti fundamentum primum cui hanc Deus superstruxit Apostolicam Cathedram, non aliud nisi veritatem esse. Veritas illam excitavit, veritate illa stat, veritate pugnat. Quandoquidem Christo IESU rogante: Quem dicunt homines esse Filium hominis? ceteris silentibus, Petrus clamavit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Et continuo

audire Petrus meruit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hanc TU veritatis viam a primis annis tam firmo arripuisti animo, ut nullum partium studium sive in tot voluminibus componendis, sive in Promotoris fidei munere per viginti annorum intervallum obeundo, fucum aliquem facere TIBI potuerit. Non obscundantis fortunæ illicium, neque adversantis tenebrosus aspectus, non æmulum hostiumve timor, non progrediendi ad maiora cupiditas, non amittendarum dignitatum periculum, TE ab asserenda veritate, & ab innocentia vindicanda abducere unquam valuerunt. Immo inter ipsa rerum discrimina, proculcatis humanis rationibus, contemptisque mundanae prudentiæ consiliis, quæ silentium & dissimulationem suggerebant, in arenam, occasione data, podisti Patronus veritatis intrepidus, quo miseros & calamitosos sublevare, oppressos erigere & consolari, improbosque deterere posses. Sileo exempla multa, & quidem egregia, quæ TE Petri Apostolorum Principis strenuum imitorem, eiusque in confitenda veritate vestigiis insistentem referunt. Qui hanc TUAM invictam fortitudinem, qua rerum humanarum præstigia contempsisti, ut veritatem in tuto collocares, serio meditabuntur, tum intelligent, tantum me a vitio tibi velificandi abesse dum Pontificatus TUI aliqua perstringo facinora, quin potius me facultate destitutum cognoscent qua celebrare pro meritis præconia TUA valeam.

Et ecce, BENEDICTE INVICTISSIME, causam alteram manifestatam, cur mea magnopere interfit hanc quam adornavi Christianam Theologiam, tuo supremo Throno sistere protegendam. Quam promptum validumque auxilium sperare a TE, supra omnium rerum vicissitudines erecto, & in altissimo dignitatis fastigio constituto, illa non debet; si ita comparatus a natura es, ut iam tum depressæ innocentie patrocinium susceperis, cum in privata sorte positus dimicabas? Quid plura? Si iam inde usque sensit validissimum Patrocinii TUI præsidium, cum primum hanc Apostolicam Cathedram quam felicissime moderaris, occupasti. Ut TE Orbis Catholicus Pontificem Summum adoravit, confestim Constitutiones duas sapientia, eruditione, cumulatæque prudentia refertas spectavit, quibus divinus Christianæ Religionis cultus ab Indorum superstitione purgatus resplendet, plaudentibus omnibus, vel ipsis Novatoribus, nedum Catholicis. Vidit collapsam ieiuniorum disciplinam instauratam, castitatem a molliori doctrina asseratam, iustitiam a fenore vindicatam. Vidit Patriarcham Maronitarum in Romano fœdere confirmatum, Episcopum Augustanum in sacrarum imaginum cultu instructum, & cetera plurima, quæ ego in Epistolis, quibus duo alia opera SANCTITATIS TUÆ inscripsi, fufius enarravi.

Verum quamquam magna illa sunt quæ ad Religionem amplificandam, moresque informandos hactenus peregristi, quæque plures illustrare Pontificatus valent; maiora tamen adhuc a BENEDICTO XIV. expectat

divina Theologia , cuius ego vulnera aliqua alius inflicta patefaciam , non sane in alium finem , nisi ut inde constet præsidii TUI imperiendi necessitas summa . Dicam itaque , elapsam iam sæculum cum dimidio & amplius esse ex quo Christiana morum Doctrina pravæ opinionum impetum , & atrocissimas persecutiones sustinet a novo illo opinandi modo quem ALEXANDER VII. decessor TUUS , cum evangelica simplicitate sanctorumque Ecclesiæ Patrum doctrina hostiliter pugnantem declaravit , quemque ingentem corruptelam , ultimasque clades Reipublicæ Christianæ pariturum prædixit , si fideles eundem pro conscientiarum norma sequerentur . Sequuntur vero illum non minus constantissime quam libentissime . Fluit & refluit , & quidem cursu rapido , per universum Casuisticæ Theologiæ corpus modus iste , nullumque pene est membrum cui mortalia vulnera non infligat : nullus vastissima Scientiæ tractatus illesus evasit . Non iura scripta modo pervertit , sed insculptam etiam in mentibus hominum a natura legem magna in parte obliteravit . Quid , si sigillatim quæ invexit adversus iustitiam , sobrietatem , pudicitiam , sinceramque fidem , omnesque virtutes cum theologicas , tum morales ; si quæ pro honestandis ludis , choreis , periuriis , & vitiis ceteris , aut iis quæ ad manifesta flagitia inducunt , inaudita paradoxa recenserem ? Vix veritas est adeo luculenta , vix doctrina adeo inconcussa , cuius modus iste sub simulatione & specie benignitatis , candorem non denigret , obscuretque splendorem . Verum enim vero liceat depresso innocenti coram clementissimo augustissimoque innocentie Patrono BENEDICTO XIV. sonitum vocis extollere , & granditer audenti animo inclamare . Nihil ferme est tam laxum , nihil tam nefarium , nihil tam turpe , ne dicam impium , quod ut pium , ut honestum , ut sanctum depingi mirifico vagæ & nullis terminis circumscriptæ probabilitatis penicillo non queat . Hoc malorum omnium caput , hic pestiferus fons , unde animarum funestissimum exitium manat , ut post ALEXANDRUM VII. & VEN. INNOCENTIUM XI. testatur universus Gallicanus Clerus . Iacet Evangelium Christi , BEATISSIME PONTIFEX , silent Ecclesiæ Patres , Conciliorum Canones , & Apostolicæ Sedis Diplomata cavillatoriis interpretamentis obsidentur , & arroduntur : squallet , amisso colore optimo , & deformata facie , Scientiarum Regina in plurimum Casuistarum voluminibus . Conflatam videmus Theologiam ex mundi oblectamenti & Evangelii mandatis mixtam , ad politicas boni & æquæ regulas , atque ad morum & voluntatum varietatem accommodatissimam . Inventa est via tertia media , nec omnino lata & spatiosa , ut evitetur manifestus horror , & conscientia latratu quadantenus suppressantur ; nec ullo modo arcta & angusta , ut deliciarioribus hominum illecebris indulgeatur , ut mundus & Evangelium in unam coeant societatem , & aspera in vias planas convertantur . Via ista media , quoniam exquisitis opinionum coloribus depicta , plures fortassis in orbem detrudit animas quam extrema spatiosa . Hæc enim aperte , illa ex insidiis

fidis stragem inducit . Si qui forent qui iusto altius hæc a me exaggerari nossitarent , legant Dialogum typis non ita pridem in lucem editum , in quo percelebris vir * Hæresim & Casuisticam nonnullorum , veluti sorores duas colloquentes , & super cladibus Ecclesiæ inflictis decertantes , inducit . Sub terribili horridoque apparatu scelera , discordias , cruenta bella , tumultus , perduelliones , impietatem , discissa Regna , humani sanguinis crudelissimam effusionem , incendia , quæ in Religionem , in Fidem Christianam intulit toror Hæresis , & flammæ quas in dies aliquo aut novi , aut renovati erroris vento perflat , eloquentiæ ubertate refert . Nihilotenus palmam adiudicat torori Casuisticæ , quod hæc sine tumultu , sine strepitu , sine clamore , immo cum ingenti populorum , & magnatum favore & plausu , lenocinante suavi benignitate , plus morum corruptione quam illa fidei perversione Christi Regno nosuerit . Quid quod Patres uno ore testantur , utiles quodammodo hæreses esse ; contra vero nunquam dæmonem adversus Christi Ecclesiam sævire immanius , furere perniciosius , quam cum intra eiusdem sinum sub prudentis indulgentiæ larva , & pacis obtentu opiniones innovat eo moribus noxiores , quo humanitati benigniores ? Et ecce in pace amaritudo mea amarissima : quoniam ex morum corruptela hæreses omnes eruperunt . Quid quod Heterodoxi ipsi , Lutherani & Calviniani , novarum opinionum portenta ab hoc recensito modo parva , Romanæ Ecclesiæ adscribere orantes , & insultantes non cessant ? Illa doctrina , inquit , est alicuius Ecclesiæ propria quæ in eadem Ecclesia communis est . Docent autem Casuistæ (resumunt illi) doctrinam quam benignam vocant , suis consecrariis ornatam communem esse inter Ecclesiæ Romanæ Doctores : quam propositionem adductis testimoniis evincunt . Ecclesiæ ergo Romanæ propria est . Quod sophisma sane insidiosissimum penitus ego hocce in opere labefactavi , a quo tamen nunquam eluctari mollioris doctrine fautores poterunt , nisi ea quæ hætenus obfirmate defenditarunt , prorsus improbeant & detestentur .

Verum tam longe abesse videntur ut ab inceptis pedem referant , quin e contrario pro hoc opinandi modo , & sententiis quæ inde proficiscuntur , veluti pro aris & focis belligerant , & eos qui hanc veneficam corruptelarum radicem averruncare nituntur , qua libellis famosis , qua dolis mellito sermone tectis proscindere , & in hæresis etiam suspensionem adducere exquisita arte conantur . Quilibet istius Theologiæ tractatus in fronte præfert cum propositiones ab hac Sancta Sede proscriptas , cum alias plurimas proscibendas ex libris celebriorum Moralistarum decerptas . Et hæc sunt crimina ob quæ adversarii clamant obrubilari hinc splendorem suum , denigrari famam , imminui penes populos existimationem , inutileque fieri in vinea Domini ministros . Quæ ut præcaverant mala , occidi homines istos , nedum calumniis prosterni posse , docent Theologi nonnulli ; & tam cruentam doctrinam publicis typis evul-

* Vincentius Gravina Tom. II. Venet. edit.

gare haudquaquam reformidarunt . Adeo horrenda monstra erumpunt hoc illuminatissimo saeculo , in quo omnium eruditorum , vel ipsorum Ecclesiae Patrum , opera ad severiorem criticam exiguntur , indicantur , prout , castigantur errata , quin ullus reclamet . Et cum ad critices & evangelicae legis amussim Moralistarum doctrinas , e quibus unicum aeternae salutis nostrae negotium pendet , revocamus , continuo maledici , calumniatores , Tutorista , Rigorista , Iansenista traducimur , ac si ad nimium rigoris extremum vergeret aetas nostra . Tum solum excitantur turbae , & clamores cum in Casuistas criticam exercemus . Aut verum est in istorum libris menda quae proscribenda denuntiamus , reperiri ; aut secus . Si secundum , palinodiam spondemus . Si primum , cur lamentantur ?

Habes nunc , **BENEDICTE SAPIENTISSIME** , expositam malorum causam . Porro Theologia Christiana hoc a TE implorat auxilium , ut inflata sibi vulnera , denigratam famam , obscuratumque castissimae suae veritatis splendorem reparare pro ea qua vales Suprema potestate non dedigneris . Id autem efficacissime a TE praestitum iri credunt docti pique viri , si propositiones plurimas ex variis Moralistarum libris collectas , tamquam eiusdem divinae Theologiae veritati & sanctitati infestas perniciosasque , merita censura , prout summae TUAE Providentiae visum fuerit , confixeris atque damnaveris . Huc Operis istius dedicatio , huc vota mea unice pertinent . Et hoc est praeciarum illud facinus quod innumera alia heroica TUA coronare gesta debet , atque gloriae TUAE complementum imponere . Hoc a TE expectant suspirantque & Catholici omnes sanioris doctrinae assertores , & vel ipsi Heterodoxi doctores , qui suspiciunt magnoque in pretio habent Sapientiam TUAM , & has Casuistarum opiniones sibi scandalo esse , clamare & improbare non desunt . Idque in causa fuit , eum ego tanta libertate ausus fuerim deformatam Ethices faciem TIBI representare ; ut scilicet istorum ora obstruerem , intelligerentque Novatores isti , recensita commenta nonnullis Casuistis tribuenda esse , secus huic Apostolicae Sedis , quae nihil prius habet quam errores omnes , sive fidei sive morum integritati adversos , exterminare . Decessores TUI , **ALEXANDER VII. Ven. INNOCENTIUS XI. ALEXANDER VIII.** tres & quadraginta supra centum propositiones proscribere , pluresque in aliud opportunum tempus damnandas distulerunt . Innumeras post medii & amplius saeculi intervallum evulgarunt Moralista iuniores , quin & ipsas proscriptas lepidis distinctiunculis vanisque commentis , de more censuris subducere & damnationis vim elevare studiosissime ausi sunt . Tantam pravaram opinionum congeriem augeri & grassari Deus permisit , donec **PONTIFEX** sederet **BENEDICTUS XIV.** qui profunda doctrina , rara eruditione , diuturna experientia , magnaque solertia ornatus , in illas omnes anathema tandem pronuntiaret tempore hoc magnopere opportuno , quo , truculentissimo bello extincto , universa Europa tranquilla pace fruitur . Accedit , nihil Christianarum

omnium Ecclesiarum redintegrandae concordiae magis conducere , quam Moralem doctrinam ad suum pristinum splendorem revocantem . Comperit omnibus est , Lutherum ceterosque Haresiarchas ex nonnullorum Concionatorum atque Theologorum doctrinis , Romanae Ecclesiae disciplinae haudquaquam consentaneis , nefariae secessionis praetextum arripuisse . Extollebant isti plus iusto exteriora quaedam pietatis exercitia , caeremoniasque amplificabant ultra christianae prudentiae metas , neglecta interea evangelica doctrina , solidaque morum reformatione . Hinc , quarentibus Tridentinis Patribus , undenam tot haeresum monstra erupissent ? Ex corrupta morum disciplina , reposuit splendidissimum illius Concilii iubar & ornamentum , Bartholomaeus de Martyribus Archiepiscopus Braccavensis , quem Sanctorum factis adscribendum , TE curante , certo speramus . His impedimentis , quae , sicut desciscendi ansam praebere , ita regressui obsistunt , sublatis , omnia fere ad hanc exoptatissimam reconciliationem conspirare , TE felicissime regnante , videntur . Siquidem tam alta **SANCTITATIS TUAE** apud ipsos Protestantium doctores , prudentioresque existimatio viget , ut vix elapsa saecula Pontificatum habuerint sacro foederi instaurando firmandoque opportuniorem . TE quippe illi ipsi luculentissimis praconiis publicis typis editis , rei litterariae & pulcherrimae eruditionis **STATOREM** & fautorem (*) concelebrant . Per TE auream etateni universo erudito Orbi infusum iri omninantur . O faustissimum **BENEDICTI XIV.** Apostolatum , tam fulgentissimis triumphis usquequaque coruscantem , si haec etiam ad universalis laetitiae cumulum omnium Ecclesiarum renovata confederatio accedat . Quod sin minus pro votis successerit , omnes saltem fatebuntur , hoc esse facinus tam Magno , tam Sapienti **PONTIFICI** audendum .

Age porro , **SANCTISSIME PATER** , innocentiae & veritatis vindicem acerrime , & post plurimas quas hactenus promulgasti , emitte tandem solemnem **CONSTITUTIONEM** , Sapientia , & Cathedra TUA dignam , qua , proscriptis laxis opinionibus , ad suum primaeum splendorem , & nativam maiestatem resurgat Christiana Theologia . Et continuo , quemadmodum nunc aperta sunt gymnasia , e quibus TUA Sacrorum Rituum doctrina , qua colendi & discernendi Sancti sint , publice traditur ; sic cum Theologica **LAMBERTINIANA CATHEDRA** trigaretur , hunc in finem destinata , ut proscriptae ab hac Sancta Sede sententiae vero in sensu exponantur ; ut Summorum Pontificum Constitutiones , quae improbant superstitiosos ritus in divinum cultum invehctos , ut doctrina sana , qua homines evadere sancti , aeternamque comparare felicitatem valeant ; ut denique haec omnia adversus captiosa paradoxa illorum qui attenuare damnatas theses , circumvenire Pontificias Constitutiones , eludere Divinas Leges solent , defendantur & vindicentur . Suscipe , **SANCTISSIME PONTIFEX** , ea qua soles humanitate incredibili , hoc , tamen exiguum , grati animi , & observantiae erga TE meae testimonium .

Nec

(*) Aët. Lipsiens. Vole Tom. I. de Ser. D. B. edit. Patav.

(XII)

*Nec enim ob favorem, & magna quibus me ornasti beneficia gratiam
TIBI rependere acceptionem valeo, quam aliquod laboris mei opus, in
publicam Ecclesiæ utilitatem elucubratum, Maiestati TUÆ offerre, atque
demisso animo, ut præsto, consecrare. Ardentissimis interim precibus a Deo
Optimo Maximo implorare non cessabo ut TE, PATER BEATISSI-
ME, per longam annorum seriem sospitem atque superstitem ad commu-
nem absolutamque Ecclesiæ universæ felicitatem, ad Reipublicæ litterariæ
splendorem, ad oppressorum innocentum levamen & consolationem servet.
Et Pedibus TUIS sacratissimis provolutus, eosdem humillime exosculor.*



DE VITA, ET STUDIIS
P. DANIELIS CONCINÆ
ORDINIS PRÆDICATORUM
COMMENTARIUS HISTORICUS
AUCTORE
LAURENTIO RUBEO
PRESBYTERO FOROJULIENSI.

DE

Conc. Theol. Tom. I.

§

LAURENTIUS RUBEUS

Ecclesiæ Foroiulensis Presbyter
Lectori S.*Honoratorum Virorum laudes memorentur.
M. T. Cicero de Legibus lib. II. 14.*

AM dudum de Danielis Concinae O. P. Popularis mei laudibus dixissem, nisi fama, quæ multorum aures pervaserat, Venetos Patres, in quorum sinu eximius vir fato cessit, eius vitam edituros, animum meum avocasset. Sed quum nihil adhuc protulerint, quæ antea pingui minerva collegi, publici iuris facere constitui; atque hunc *Commentarium Historicum*, ceu grati Civis testimonium, & pietatis Concinae honori destinare. In quo quidem elaborando usus sum commentario altero *de vita, & studiis P. Danielis Concinae* inscripto, ab Anonymo Auctore, elapso anno, Bononiae evulgato, atque ab Ephemeridum Florentinarum Cl. Auctore etruscis literis reddito. Adiuvento mihi quoque fuit *Encyclica*, qua PP. Prædicatorii Ordinis acerbum Concinae funus nuntiarunt, ex qua plura exscripsit, plura etiam omisit memorati commentarii Auctor. Quæ ad Concinae familiam, atque in literis institutionem attigi, a religioso viro O. P. Venetæ B. Jacobi Salomonii Congregationis consecutus sum; cætera vero vel ex eiusdem Concinae elucubrationibus excerpti, vel a viris gravissimis accepti. Si qua nihilominus minus accurata conscripsi, eos emendaturos spero, qui idem vitæ genus amplexi, eodemque in Stadio educati, plenius quam cæteri & Concinae labores, & merita noverunt. Vale.

V I T A

P. DANIELIS CONCINÆ

ORDINIS PRÆDICATORUM

P Daniel Concina, celeberrimus ætatis nostræ morum doctrinæ præceptor, honestis Parentibus Petro *Concina*, acerrimi ingenii viro, & Pasqua *Cecconia* non vulgaris honestatis foemina natus est Anno Æ. C. M. DCLXXXVIII. Sexto idus Octobris *Clauzeti*, qui est Provinciæ Foroiulensis Pagus, in quo jus dicunt *Savorniani* Patritii Veneti, sexto lapide a S. *Danielle* eiusdem Provinciæ illustri Oppido, unde in eo Concinam primam lucem vidisse quidam scripsere. Sex Filii *ὁμότροποι* ex laudato coniugio

gio orti sunt ; quorum natu maximus inter mortales non multos annos exegit : *Daniel*, cuius gesta scribenda suscepimus secundo loco natus est . Huic succedit *Nicolaus*, iustri nomine *Leonardus* appellatus qui A. 1712. III. Kalend. Octobris Ordinis Præd. institutum professus, ea opinione doctrinæ, eoque plausu Philosophicas, & Theologicas disciplinas in Ordinis Gymnasiis docuit, ut anno 1732. augusto Senatus Veneti edicto Metaphysicæ profitendæ in Patavino Lycæo adnotus sit. Ineunte hoc anno 1763. idibus Ianuarii vomica pulmonari extinctus est annos natus 69., cui Elogium instruxit Ephemeridum Florentinarum Auctor. In eod. Gymnasio, quo *Nicolaus* doctrinæ præstantia claruit, alter eiusdem germanus frater *Petrus* Theologiæ laurea donatus est : hunc sequitur *Iacobus* qui rei domesticæ curam gerens, familiam & opibus, & honoribus nobilitavit : *Balthassar* denique natu minimus Fratribus, quos *Conventuales* dicunt, adscriptus ipso ætatis flore decessit, magnus profecto vir evasurus, si ipsi diuturnior lucis usura contigisset.

Sed his nemo clarior, nemo illustrior Daniele fuit, a cuius institutione tradenda Fratrum genealogia paululum nos avocavit. Hic igitur nobile, sublimis, ac erectum ingenium fortitus Parentum excitavit industriam, ut de puero erudiendo, recteque instituendo cogitarent ; quorum proinde voluntate Goritiam concessit, ubi sub eximiis Societatis Iesu Præceptoribus prima posuit tyrocinia literarum, eosque conscientiæ suæ arbitros plures annos habuit. Horum igitur magisterio humanioribus literis, & moribus mirifice adeo excultus est, ut magnum virum futurum ominarentur. Nam quemadmodum ab exorientis auroræ lumine, atque nitore licet nobis de totius diei serenitate ; ita etiam ex celeritate arripiendi, retinendique ea, quæ a Magistris tradebantur, Parentes, omnesque Cives matura ætate summum virum, ac multarum virtutum laudibus excellentem fore augurabuntur : Quorum proinde ne expectationem Ille eluderet, qua erat indole virtutis, ut accepta dona feliciter etiam Deo redderet, quum vigesimum ætatis annum attigisset, arctius vitæ genus amplecti, ac sub sanctissimis Patriarchæ Dominici legibus vivere, ac militare statuit. Anno igitur 1707. Dominicanæ familiæ nomen dedit *Conellianni* in Cœnobio SS. Martini, & Rosæ Venetæ Congregationis B. Iacobi Salomonii. In qua pietatem, ad quam a PP. Societatis præformatus fuerat, singularis probitatis viro instituente P. Angelo *Rosa* Lucensi, excoluit, ac ad profitenda religionis vota se uberius comparavit ; quæ evoluto tyrocinii tempore Sacramento firmavit Decimo Septimo Kal. Apriles anni insequentis. Philosophiæ exin naviter incubuit P. Sebastiano *Baita* præceptore usus ; Theologiam vero hausit Venetiis in Collegio Sanctissimi Rosarii præsentibus P. Dominico *Andriussio* Dionysii *Delphini* Patriarchæ Aquileiensis amicitia, & existimatione claro, ac Optimarum Artium in memorato Collegio restauratore, & P. Ioanne Alberto *Zanchio*, a quo mense Iunii 1716. Philosophiam edocendi munus consecutus est, quam *Foroiulii* magna sui nominis fama, & discipulorum utilitate professus est ; ubi Theologicas Disciplinas etiam edocuit, quas postea de novo Venetiis solerter omnino, subtiliterque tractavit.

Sed

Sed in literario ludo diu manere non potuit ob paulo infirmiore oculorum aciem, quam quum in dies debilitari animadverteret, ne ipsa destitutus, inutilis in vinea Domini servus otia retur, concionibus elucubrandis, singulari divinæ providentiæ consilio animum adiunxit, ac assidua Sanctorum Patrum lectione, longa sacrarum Scripturarum meditatione, tanta rerum divinarum scientia pectus complevit, ut brevi inter primos haberetur, qui in eodem studii genere totos se collocassent. Omnia in eo aderant, quæ in absoluto, ac perfecto Oratore desiderantur : formæ dignitas, oris decor, orationis elegans copia ; quibus dotibus benigna præ cæteris illi Parens natura summam addidit canoræ vocis suavitatem, gratissimum in pronunciando sonum, motum denique corporis cum summo lepore, ac venustate coniunctum. Quæ corporis, animique dotes clarius etiam emicabant, quod eas cum incredibili morum sanctitate, atque innocentia ita coniungebat, ut non satis constaret utrum ille doctior, an melior vir esset. Quæ si in Oratore desint, omnia quæ sunt in eo, bona vilescunt. Quum igitur veri, summique Oratoris laude frueretur, verbis exequi vix possumus, quam avide ab illustrioribus Præfulibus expeteretur, ut eorum curæ concreditus ovibus apostolicum impertiret eloquium. Quod quidem non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, adulteratisque mollioris eloquentiæ figuris, & modulis enuntiabat, sed efficacibus verbis, solidisque sententiis proponebat, quæ acres vibrantesque in audientium sensus invaderent, irrumperent, penetrarent in eisque quosdam aculeos relinquerent. Hinc non paucos, qui a recta vivendi ratione deflexerant, salutis viæ feliciter restituit, eosque præcipue quos criminum vincula arête adeo devinxerant, ut eorum solutio magnæ molis opus crederetur. Quo eorum ora obstrui possent, qui Concinam modica, vel nulla Christianorum utilitate e sacro suggestu dixisse evulgarunt. Maximo igitur auditorum profectu verbum Dei enuntiavit Neapoli, Florentiæ, Venetiis, Mediolani, Ferrariæ, Bononiæ, Veronæ, Patavii, Cremæ, Brixæ, Pifauri, Romæ, aliisque in urbibus. Ubi cumque verba faceret, simulac auditum erat eum esse dicturum, templa ita complebantur, & corona multiplex apparebat, ut ampliora sæpe vix sufficerent, imo quandoque habendæ concionis horam coactus fuerit prævenire.

Non ita porro apostolico munere detinebatur, ut viro otii impatientissimo, non multum superesset temporis, quod librorum elucubrationibus impenderet. Igitur non voce tantum, sed & scriptis christianam Rempublicam juvit. Ac primo ea expendere cœpit, quæ Agiographi Antverpienses Tom. I. Augusti in Comment. ad acta S. Dominici §. 33. & 34. memoriæ falso consignarunt ; ubi Minoritarum causam agentes propugnant D. Dominicum, Paupertatem fundis, redditibusque vacuum in capitulo *Storaarum* a D. Patriarcha Francisco didicisse. Tum ea ad examen revocavit, quæ P. Raphael de *Pornasio* O. P. in opere *de communi, & proprio Religiosorum* scripsit, quo evincit sæculi sui disciplinam illam fuisse, quam sub Ordinis initium servarunt sanctissimi fere omnes Dominicani Instituti Professores. Quum vero *Pornasio* scetus post plures editiones anno 1723. prodidisset sub auspiciis Cardinalis *Ursini*, qui postea Benedicti XIII. nomine

Pe-

Petri cathedram conscendit, ac vereretur Concina, ne ejus libri editio iteraretur in quo præter plura S. Thomæ adversa, cum juvenes, tum senes scandalum pati, errandique occasionem sumere poterant, idcirco primo laudatam *Bollandistarum* sententiam; tum Raphaelis de Pornasio opinionem convellendam assumpsit sequenti libro sub conficto nomine *Caroli Antonii Plantamura* = Commentarius Historico-apologeticus in duas dissertationes tributus; quarum altera, anticriticis animadversionibus refellit ea, quæ adversus paupertatis disciplinam a D. Patriarcha Dominico constitutam, in temperantiore critice scriptis prodiderunt Continuatores Bollandi, in Commentariis nuper in acta eiusdem Patriarchæ editis; altera eandem disciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pornasio interpretamentis vindicat = 4. Venetiis 1736. apud Stephanum Monti. Ad huius Commentarii calcem adiecit dissertationem Historicam = de origine disciplinæ regularis primum in Ordinem Præd. per B. Raymundum de Vineis XXIII. Magistrum Generalem ejusd. Ordinis instauratæ = Et Quæstiunculam moralem = de Regularibus = contra nonnullos Theologos, quos definientes audierat, Regulares, qui theatra, & spectacula personati frequentant, nec excommunicationem incurrere, nec letaliter peccare.

Atque hac ratione foras cœpit erumpere fervens illud desiderium pro recta Ethice pugnandi quo iam pridem tenebatur, quodque datis occasionibus manifestare deinceps numquam destitit. Lucem aspexerat Parisiis *Dictionarium casuum conscientie* gallice concinnatum a Ioanne Pontasio juris canonici Doctore notissimo, ac post iteratas Galliarum editiones, tandem Luxemburgi latinitate donatum est. Qua in editione quum nonnulla invenirentur ad gallici regni opiniones, quæ alibi non obtinent, conscripta, occasionem inde nactus est Augustanus interpres novam elaborandi versionem, quæ aliis gentibus probaretur: Neque satis se fecisse ratus, si Gallorum placita aliquot expunxisset, plura etiam ita mutavit, & rescidit, ut non tam opus vertisse, quam contraxisse iudicatum sit. His duabus latinis editionibus serio expensis, consilium cœpit Venetus Bibliopola tertiam cadendi, quæ utriusque defectibus careret, quæque quidquid boni utraque præfert, complecteretur; unde opera, & studio usus est Concina, qui scripsit = Præfationem ad lectorem, & animadversiones critico-morales in menda Pontasiana cum actuario duorum casuum, qui in hoc Dictionario desiderabantur = Extant hæc in Veneta Pontasii editione apud Antonium Bortoli 1738. fol.

Post adornatam *Pontasii* editionem, monasticæ paupertatis causa, quam in *commentario duplici* egerat, retractavit, publici iuris facta = Disciplina apostolico-monastica dissertationibus Theologicis illustrata, & in duas partes tributa, in quarum una de voto paupertatis vita communi circumscripto; in altera de cæteris eiusdem disciplinæ capitibus præcipuis disseritur. Accedunt selecta quædam veterum Theologorum monumenta ad Emin. Card. Albanum &c. = 4. Venetiis ex Typographia Balleoniana 1739. Concina nam paupertatis Apologiam duo ex Dominicana Familia Theologi P. Pius Thomas Milante Regiæ Neapolitanæ Universitatis Professor, ac postea Stabiarum Episcopus, & P. Gundisalvus Carattini enervare tentarunt;

al-

alter in *vindiciis Regularium*; alter in *vita Claustrali*. Hos Concina sane expertus est acriores, quos mitiores habere debuerat. Editis tamen a Concina suis operibus respondit libro, cui præfixit titulum = Defensio Decretorum Concilii Tridentini, & apostolicarum Constitutionum Romanæ Ecclesiæ adversus libros inscriptos: *Vita Claustralis*, & *Vindiciæ Regularium*. 4. Bononiæ (Venetiis) 1745. ad P. M. Benedictum XIV. Accedunt censura in censuram disciplinæ apostolico-monasticæ, & animadversiones in epistolam exegeticam P. Gundisalvi Carattini = . Adversus Carattinum edidit quoque Epistolam = ad Polycarum virum clarissimum, in qua B. Nicolai Iustiniani Veneti Monachus a fabulis, vanisque commentis asseritur = Tridenti 1746.

Controversia, quæ de paupertate monastica agitata fuerat paucis oppugnantibus, brevi extincta est; sed alia exoritur, quæ plures vindices nacta, longo temporis spatio, magna animorum contentione perduravit. In ea enim tempora inciderat Auctor noster, quibus sinceræ morum regulæ, ac pleraque Christianæ disciplinæ capita tristem, deformatamque faciem præferebant. Vigeat enim (sed Superis, ipsique Concina gratiæ, iam ad occasum vergit.) Theologia illa, *accommodatitia* nuncupata, quæ divina & humana iura delinit, temperat, & accommodat humanis appetitionibus, temporis, & personis: leges, & præcepta Dei mollius inflectit, & detorquet ad hominum desideria; ac denique legum, & præceptorum jugum non excutit, sed illud suave efficere, exquisita arte, ac subtilissimis lenociniis studet. Ad hunc morum doctrinæ tradendæ modum sibi iam pridem non arridentem corrigendum, emendandumque nervos omnes, viresque contendit. Atque in primis modis omnibus egit ut ieiunii Ecclesiastici leges in tuto poneret, servaretque. Potestatem fecerat Benedictus XIV. Fidentino Episcopo, ut Quadragesimæ tempore a carniū abstinentia commissum sibi gregem dispensaret. Quam prudentissimus, ac vigilantissimus Præsul ovibus suis elargitus est ea conditione, ut quicumque Pontificia concessione uti vellent, ieiunium servare tenerentur. Dura nonnullis, ac non ferenda visa est Præsulis præceptio; ut non defuerint qui eam improbarent. Hæc causam præbuere doctissimo Præposito Placentino Alexandro *Mantegatio*, ut laudati Antistitis partes defenderet, ejusque agendi rationem ab obiectis vindicaret; edita an. 1736. dissertatione latina elegantè exarata. Mantegatio responsum fecit Petrus *Copellottus* Italica *Diatrybe* evulgata. Cui respondit Mantegatius, atque in sententiæ suæ confirmationem *Votum* etiam obtinuit a Cl. Ludovico Antonio *Muratorio*. *Mantegatii* Apologiæ, & *Muratorii* voto occurrerunt Petrus *Copellottus*, & Bartholomæus *Casalius* dissertatione Theologico-morali critica. Neque hæc disputatio Æmilie finibus conclusa est, sed longius excurrens Genuam quoque pervasit, ubi solide, & erudite Abbas *Corbara Mantegatio* opinionem faventem propugnavit, & ab obiectis P. Benedicti *Brignolez* tutatus est. Ne igitur tot libris tam antiquum de ieiunio præceptum convelleretur, adversus *Copellottum*, & *Casalium* scripsit Concina = La Quaresima appellante dal foro contentioso d'alcuni re-

ce-

centi Cassi al tribunale del buon senso, e della buona fede del Popolo Cristiano, sopra quel suo precetto del digiuno dall'accoppiarsi coll'uso delle carni permesse pel solo nocumento del cibo quaresimale = 4. Venezia 1739. presso Simone Occhi. Quod opus doctis viris adeo probatum est, ut trium mensium spatio vix unum Typographo exemplar superfuerit, qui propterea eodem anno idem prælo subiecit. Sed quæstio quæ extra litem constituta videbatur, ulterius progressa est. *Casali*, & *Copellotti dissertationem* vindicandam sumpsit P. Hercules *Montius* Mutinensis, edita huius apologia Lucæ 1740. Qua etiam Concina arguit, quod sæpe *Probabilismi* verba faceret, cuius idea, & notione erat destitutus. Huic responsum attulit Concina in 3. editione = della Quaresima appellante coll'aggiunta d'un'intera dissertazione, in cui si confuta il libro intitolato = *Difesa della Dissertazione Teologico-morale critica de' Signori Abate Pietro Copellotti, ed Arciprete Bartolomeo Casali &c.* = 4. Venezia presso Simone Occhi. Lis interim hæc magna contentione agitata, ad Ecclesiæ Universæ Pastoris aures tandem accessit, qui ann. 1741. die 30. Maii Encyclicam *Non ambigimus* evulgavit, *Mantegatti*, ac Concina opinionem respondentem. Quum vero ex hac Constitutione nonnulli solas illationes deduci posse contenderent, Pontifex ut horum ineptiis occurreret, aliam edidit Constitutionem *In Suprema* eodem anno 22. Augusti. Utramque porro Constitutionem illustravit Concina in libro, quem inscripsit = *La disciplina antica, e moderna della Romana Chiesa intorno al sacro Quaresimale digiuno, espressa ne' due Brevi: Non ambigimus, & In Suprema* del regnante Sommo Pontefice Benedetto XIV. illustrata con osservazioni Storiche, Critiche, e Teologiche, dedicata all'Emin. Principe Domenico Passionei &c. 4. Venezia 1742. appresso Simone Occhi. Quum vero Compostellanus Archiepiscopus in decretis 1741. promulgatis hæreret, Pontifex, ut ipsi scrupulos eximeret, *rescriptum* ad ipsum dedit; quod Commentario Theologico Concina excepit, ac vulgavit hoc titulo = *In Rescriptum Benedicti XIV. Pont. Max. ad postulata septem Archiepiscopi Compostellæ ieiunii legem spectantia, Commentarius Theologicus.* 4. Venetiis 1745. apud Simonem Occhi.

Sed Concina oculos, mentemque non effugerat, quod ipsi P. Herculem *Montium* obieciisse diximus; idcirco ut rectam *Probabilismi* notionem se habere demonstraret, atque ex Auctoribus, quos *Montius* Concina ceu Magistros indicaverat unde *Probabilismi* ideam hauriret, profecisse nosceretur, universam *Probabilismi*, & *Rigorismi* Historiam conscripsit, eamque sub auspiciis Nerei Corsini S. R. E. Card. Republicæ litterariæ obtulit hac Epigraphe insignitam = *Della Storia del Probabilismo, e Rigorismo* dissertationi teologiche, morali, critiche: nelle quali si spiegano, e dalle sottigliezze de' moderni *Probabilisti* si difendono i principj fondamentali della Teologia Cristiana. 4. Tom. II. Atque hæc *επιτομή* quædam controversiarum est, quæ deinceps adeo ferbuerunt, ut ubique *Probabilismi*, & *Rigorismi* nomina insonarent. Perinde enim, ac si Concina hoc opere claccum cecinisset ad acre bellum conferendum, complures in ipsum insurrexerunt

runt scriptores; inter quos PP. *Jacobus Sanvitali*, *Nicolaus Ghetius*, *Ioannes Antonius Lecchius*, *Bovius*, *Richelmus*, *Gagna*, *Balla*, aliique quorum in Auctorem nostrum adeo exarsit invidia, quæ magnam virtutem insectari solet, ut lucem umbra, ut nihil ferme sit in laudato opere, quod non vel tamquam vitiosum irritum conatu tentarint reprehendere, vel uti absurdum neglexerint, vel ut ineptum irriferint, nullam denique ejus laudem prætermiserint, quam non sint conati labefactare, atque convellere; ut merito dicere liceat = maioribus prope odiis, quam viribus decertasse =. Sed omnis eorum labor in irritum recidit, imo illius splendor illorum clamoribus exagitatus, quasi vehementibus impulsis flatibus toeda, clarius coruscavit. Quare de Concina dicere possumus, quod de omnigenæ eruditionis viro protulit celeberrimus *Bruxerus* (in elogio *Ioannis Lamii*) divinam scilicet Providentiam tot adversarios Concina parasse, ac decrevisse ad augendam nominis eius, & virtutis famam. Nam ipse nunquam sibi, vel bonæ causæ defuit, nunquam nisi victor ex arena discessit.

Probabilismi & *Rigorismi* Historia evulgata recens Concina exhibitur occasio qua se purioris doctrinæ propugnatorem, non astro percitum, ostenderet. Prælo vulgaverat P. *Bentius* dissertationem in *Casus reservatos Venetæ Diæceseos*, qua propugnat vellicare genas, & mamillas tangere *Monialium* esse actus subimpudicos de se veniales, & solum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales. -- Vix lucem viderat hæc dissertatio quam religiosi Viri eius legendæ copiam Concina fecere, enixe efflagitantes, ut enormiter lætam a *Bentio* castitatem vindicaret. Quorum votis antequam faceret satis, Auctorem monendum duxit, ut propositam opinionem scandalum plenam revocaret. Sed monitis *Bentii* non patuere aures; Quare adversus eius dissertationem diu pugnare non distulit, ac typis commisit epistolam -- *Theologico-morales ad Illustrissimum Episcopum N. N. adversus librum inscriptum: Dissertatio in Casus reservatos Venetæ Diæceseos* -- 4. Venetiis apud Simonem Occhi. Post Concina opusculum, *Bentii* sententia ad Romanam Sedem delata est, & censura notata, iussusque Auctor palinodiam canere. Quod quum ex Scriptoris nostri Epistolis evenisse videretur, nonnulli detestanda in vulgus spargere scripta, quibus tanti viri famam perstrinxere, mores, & dogmata peracerbe omnino, ac inurbane lacerarunt, & ne iniuriarum cumulus desideraretur, *famosum* edidere libellum, ut eum existimatione disjcerent omnique commendatione ingenii, atque virtutis spoliarent. Sed tanti viri honori prospexit *Benedictus XIV.* impio, scelettoque libello proscripso. Eo tamen libello Concina, Socraticæ plane constantiæ vir, ne minimum quidem motus est, adeo ut ne iterata damnati libelli editio responsum extorquere ab eo potuerit, contra atque futurum aliqui prænuñtiaverant. Igitur ex hac quasi excursione ad sua castra victor, ipsiusque onustus Concina rediens Auctoribus, quos adversus *Probabilismi* Historiam scripsisse memoravimus, responsum paravit, ac primo typis consignavit -- *Osservazioni critiche, e morali in difesa della Storia del Probabilismo, e del Rigorismo contro il Libro intitolato -- Giustificazione di più Personaggi, ed altri Soggetti ragguardevoli in Lucca 1744.*

esaro 1745. appresso Nicola Gavelli, proposte in questa lettera all' Autore di questa medesima Dissertazione. Tum edidit -- *Esame Teologico del libro intitolato = Saggio de Supplementi Teologici morali, critici, di cui abbisogna la Storia del Probabilismo, e Rigorismo etc.* stampato in Lucca l' anno 1744. dal R. P. Nicolò Ghezzi. Pesaro 1745. appresso Nicola Gavelli. Ac denique Lecchio, & Bovio responsum fecit libro, quem scripsit: = *Espliazione di quattro Paradoffi, che sono in voga nel nostro Secolo. Rifflessioni sopra i due libri de RR. PP. Lecchi, e Bovio intitolati - Avvertenze, e Dissertazione etc.* Si premette un succinto ragguaglio de libri Stampati da alcuni Probabilisti in difesa del Probabilismo, ed altri punti Morali. Coll'addizione di alcune brevi Osservazioni sopra l'estratto, che i RR. PP. Trivolziani hanno fatto del libro del P. Milante intitolato: *Vindiciæ Regularium &c.* All' Em. Quirini. In 4. Lucca 1746. per li Fratelli Marefcaudoli.

Verum quia quotidie fere nova adversariorum erumpebant opuscula; ut si non rationibus, saltem librorum copia Concina causa cecidisse suaderent, hanc Deus quibusdam mentem iniecit, ut Concina ad studia graviora intento veritatis partes ipsi fusciperent. Inter huiuscemodi Apologistas clariores habiti sunt P. Vincentius Patuzzius, P. Vincentius M. Miglioli, P. Dinellius; alique sub ementitis nominibus; quæ hac una de causa nobis ignota esse dolemus, quod propriis appellare non possumus, ut quisque sua laude frueretur; quamquam horum Scriptorum præcipua laus sit, quod veritatem, cui quidam tenebras conabantur offundere, in tuto collocarint.

Dum igitur Concinae Apologistæ adversantium ictus fortiter exciperent, ac propulsarent, ipse utiliorem Ecclesie operam præstare perrexit. Iam multiplices disputationes extiterant elapsis sæculis circa usuras, rationesque contractus. Hoc eodem sæculo Nicolaus Broedersen in Opere de *Usuris licitis, & illicitis* in disputationem iterum eas coniecit, ac plura docuit a Catholicis Doctoribus improbata. Broedersianum opus complexus est vir celeberrimus *Scipio Maffei*, eoque contracto suum confecit librum, quem inscripsit = *Dell'impiego del denaro = Opus a Maffei digestum, ac italica lingua exaratum cuiusvis status homines legebant, cum propter leporem & elegantiam, qua præstabat, tum quia nomen præferbat, per ea tempora partim quidem propriis meritis, partim vero, & potissimum fautorum studiis clarum, unde varendum erat, ne opiniones non satis tutas ebiberent, ac conclusiones ex fœdato fonte non satis certas deducerent.* Hoc quidem Neapoli, in cuius Urbis Metropolitana Basilica iis diebus Concina Ecclesiasten agebat, compertum est, ubi viri docti ipsi significarunt malum, quod laudatum Maffei opus inferebat, ac eidem in animum induxerunt ut in ipsum stylum acueret. Quam provinciam etfi primo Concina recusaret, cum signa collaturus esset cum viro, cuius eruditionem magni faciebat, cuiusque amicitia plurimum gloriabatur; quo tamen pro veritate amore ferebatur, librum confecit *Carolo Borbonio* Siciliae Regi nuncupatum, quo diligentissime exposuit quidquid circa usuras Ecclesia præscripsit, & *Maffei*, cuiusque Antesignani Nicolai Broedersen obiectiones disiecit evulgato opere, cuius titulus = *Esposizione del Dogma, che la Chiesa Romana propone a crederfi intorno l' usura colla confutazione del libro intito-*

titolato = *Dell'impiego del denaro = 4. Napoli 1745. Per Pietro Palumbo.* Hanc lucubrationem suffragiis suis & laudibus probarunt tres Neapolitanæ Urbis viri doctissimi *Cœlestinus Galianus, P. Castrensis Scaia: & Ioseph Cyrilus* Regiæ Accademiæ Professores Clarissimi. Eodem tempore Decretalem scripsit *Benedictus XIV.* ad Patriarchas, Episcopos, Archiepiscopos, & Ordinarios Italiae. Quæ simul ac prodiit, mullitare quidam cœperunt, nihil ea definitum, declaratum nihil. Circumferebantur etiam calamo exaratae Apologiae, in quibus ipsos manifestos errores approbatos esse in decretali Pontificia garriebatur. Gravissimæ defendendæ causæ necessitas Auctori nostro calcaria addidit, ut *Benedicti XIV.* Encyclicam illustraret; ac errores in ea sublatos, & confixos esse palam ostenderet; quod præstitit edito opusculo, hunc præferente titulum. = *In Epistolam Benedicti XIV. adversus Usuram Commentarius (eidem Pontifici consecratus) quo illustratur doctrina Catholica: Nicolai Broedersen, & aliorum errores refelluntur. 4. Romæ ex Typographia Palladis apud Nicolaum, & Marcum Palearinos. 1746.* Doctrinam a se traditam circa scœnus, uberius exposuit sequenti libro = *Usura contractus Trini disputationibus Historico-Theologicis demonstrata adversus mollioris ethices Casuistas, & Nicolaum Broedersen* Accedunt appendices duæ ad Commentarium Auctoris adversus Usuram = *4. Romæ ex Typographia Palladis.* Quo in libro quid Ecclesie PP. quidve Scholastici Doctores circa scœnus senserint, ad examen revocavit; impellente Em. Quirinio, qui celebre S. Basilii Magni dictum, quamlibet usuram excludens, Concinae aperuerat.

Iustitia a scœnore vindicata, qui ieiunii leges Casuistarum libris proculcatis intrepidus Theologus defenderat, easdem denuo vindicare conatus est Evangelicus Orator. Cum enim Romæ e publico suggestu contra ieiunii abusus (inter quos immoderatus cocolatis haustum adnumeraverat) christiana libertate damnasset, indeque molliores animi veluti iniuria affecti per Urbem disseminassent, Concina imprudenter & nimis rigide docuisse, omnes indiscriminim peccare mortaliter qui ieiunii die cocolatium degustassent, ut ab hac calumnia se liberaret, atque Evangelicam quam insinuaverat doctrinam confirmaret, altera luce ab eodem suggestu maxima, ut mos erat, populi frequentia, omnes Auditores in testimonium vocat, talia numquam protulisse, ingenuo ore fatetur, eadem verba referens quæ priori Concione protulerat. Porro cum eiusmodi sincera protestatio veluti doctrinæ suæ de Cocolatis potione retractatio apud benigniores Theologos, eorumque sequaces audiret, & per omnes Italiae urbes propagaretur, ne latior de ieiunii doctrina abs gravitate viri & loci maiestate, unde prodiisse calumniosa fama ferebatur, maiores vires acquireret, satius consultum esse duxit Typis edere librum, cui Titulus: *Memorie Storiche sopra l'uso della Cioccolata in tempo di Digiuno* esposte in una lettera a Monsignor Illustriss. e Reverendis. Arcivescovo N. N. Venezia appresso Simone Occhi 1748. = In quo quid in priori quid in posteriori Concione circa usum cocolatis egregius Orator dixerit, omnibus innotescit.

Sed ingens nimis erat numerus Casuistarum, qui libros morum integritati noxios evulgaverant, quam ut singularis argumenti libro occurrere posset. Quare impellente *Benedicto XIV.* sanioris doctrinæ vindice præclarissimo,

ut Probabilismo uno veluti istu caput detruncaret, universam morum doctrinam pertractavit, & auro, cedroque dignum opus vulgavit hoc titulo = Theologia Christiana Dogmatico-moralis, summo P. Benedicto XIV. foeliciter regnanti nuncupata, in decem tomos tributa. Quibus accedit Apparatus duobus tomis comprehensus: Quorum alter præter decreta, & constitutiones Pontificias fidei, morumque rectam tradentes normam, de locis Theologicis, sive de purioris Ethices Christianæ fontibus librum exhibet: Alter vero Conscientiæ, & Probabilismi argumenta duobus distinctis libris pertractat. 4. Tom. XII. Romæ (Venetiis) 1749. apud Simonem Occhi. = Hanc Theologiam Christianam ipsi appellare libuit, ut ab Ethnicorum Ethice fecerneret. In ea conscribenda methodum adhibuit facilem, ac familiarem, suasque Theses verbo Dei scripto, traditione, Patribus, & Conciliis firmavit, muniit, roboravit; ex iis denique fontibus rationes, & momenta hausit, quos Melchior Canus nobili illo, æternoque volumine de *locis Theologicis* complexus est. Quod styli spectat; iam ipsius animo insiderat opinio, Theologiam implicatos verborum circuitus, translationes longius quæsitas, inanes Rhetorum flosculos, tragicos cothurnos, ac denique fucati eloquii lenocinia præ sua dignitate non tam negligere, quam aspernari; eo proinde usus est didascalico, valido quandoque, acri, & vehementi, quem acuit, & temperavit prout argumenti natura postulabat, ut legentium præiudiciis auferendis aptior inveniretur; a qua scribendi ratione non abhorruisse Ecclesiæ Patres, ii norunt, qui eorum scripta vel leviter attigerunt. Quot plausibus Christiana Theologia a sanioris doctrinæ Theologis excepta sit, luculenter evincunt repetitæ editiones, brevi temporis intervallo evulgatæ. Mille fere exemplaria per Hispanias diffudit zelo, & doctrina spectatissimus Henricus *Henriquez* Neapolitanus; ad Philippum V. Apostolicus Nuntius; qui quam Romam accessurus esset, ut purpureo galero donaretur, data Epistola, significavit: se non magis lætari, quod præcipuo Cardinalatus insigni ornandus Romam conveniret; quam quod tunc sibi potestas fieret Conciniæ colloquiis frui, cuius laudibus & laboribus iam tota Hispania resonabat. Illustriores Italiæ, aliarumque gentium in assidua suarum ovium vigilantia manentes Antislites, Universitatum Doctores, ac denique viri alii doctissimi memoratum opus laudibus exornarunt, propugnatasque in eo sententias exceperunt; ac in publicis Thesis, & disputationibus, imo Concionibus acerrime tutati sunt; ac denique Clericis, qui in Seminariis, & Collegiis aluntur, exposuerunt, commendarunt, sequendumque tradiderunt. Et ut uno verba plura complectamur, tam multos Conciniæ opus habuit sectatores, ut ab Auctore ii non pauci, qui hodie *Concinistæ* dicuntur, nomen acceperint; quod non nisi moratis yris accidisse compertum est.

Ast quia nonnullorum Theologorum placita, ut privatus Theologus, non ut Iudex refutaverat, eorumque, prout occasio ferebat, laxas sententias meridiana luce clarius, legentium oculis subiecerat, hinc invidiam illi conflagrant, quasi ex eorum cœtu Theologos parta in literario ludo gloria spoliare, ac privare constituisset. Ut procul a se calumniam repelleret, *testimonium* edidit pro *inclita Societate Iesu*, quod cap. XIII. præfat. Tom. I. Theologiæ Christianæ legitur. Ubi eidem Societati grande instruit Elogium, atque et-

iam recitat, quæ in primis ingenii sui foetibus prodiderat; ne quisquam in suspensionem veniret, laudatum testimonium = aut tempestatis alicuius evadendæ, periculique declinandi causa, aut assentandi (a quo vitio quam longissime aberat) aut humani favoris, gratiæque captandæ studio extortum esse = Et post pauca suæ agendi rationis causam sic exponit: = Oppugnavi quidem cum aliorum Ordinum, tum Societatis quorundam Auctorum opinionationes, quas falsas reputavi, non ut homines carperem, vellicaremque; sed solum ut perniciose opinandi methodo convulsa, veritatem pro modulo meo in tuto collocarem, & a cavillationibus assererem. Quamobrem illorum semper quoad fieri potuit, lapsus excusavi: piam eisdem habuisse, sanctamque intentionem prospiciendi humanæ infirmitati, & reddendi viam salutis planiorem testatus sum: Et tandem privatorum hominum aberrationes non esse in communitatem ipsam regerendas, semper admonui, atque inculcavi = Verum quæ Concina ingenue fassus est, non id pervicere ne eius Adversarii apud Pontificem non agerent, ut Christiana Theologia toto orbe exularet. Anno igitur 1751. post celebrata generalia Comitium, electus Præses P. Ignatius Vicecomes totius Societatis nomine libellum supplicem supremo Ecclesiæ Hierarchæ obtulit, & ad impetrandum ab ipso Operis proscriptionem, asserere non dubitavit = Nullum hæctenus librum, ne ab Hæreticis prodiisse Societati infensorem, ac perniciosiorem: nullum, qui pluribus imposturis, conviciis, & iniuriis debacchationibus scateat, nullum qui venenum contra Societatem in aliis dispersum plenius in unum colligat = Quo circa ut damni reparationem consequerentur, *suppliciter*, ac *demississime* petebat, ut Theologiam Christianam Apostolico mucrone configeret; sicque beneficia in Societatem collata, Conciniæ Theologiæ proscriptione cumlaret.

Ea prudentia, qua opus erat, exposcentium acta excepit Pontifex, utque rem gravissimam expediret, tres legit Theologos P. Thomam *Sergium* ex piis Operariis, P. *Mancinum* ex Minimorum familia, ac P. *Vezzosium* Clericum Regularem Theatinum; quibus Conciniæ operis ad criticen revocandi laborem demandavit: facta ipsis iussione, iuramenti etiam religione firmata, *de secreto servando*.

Summi nihilominus Regis Sacramentum quod abscondere bonum erat, quo fato nescimus, in vulgus emanavit, indeque ansam arripere adversarii Conciniæ operis proscriptionem arctius urgendi; quod eis etiam pro votis cessisset, si Pontifex aliquid detulisset eorum suffragiis, quos in suam sententiam adversarii iidem callide, versuteque pertraxerant. Iussit igitur Pontifex, de proscriptione ne verbo quidem facto, ut præfati Theologi ea adnotarent quæ aut censura digna deprehenderent, siquidem deprehenderent, in Christiana Theologia, aut in religiosos viros minus reverenter prolata. Viginti censores, præter tres memoratos, licet ipsos apices morose, fastidioseque cribrarint, ne unam quidem aut æquo rigidiorem, aut plus æquo laxiorem offenderunt sententiam; quod iis ora obstruere tandem deberet, qui eximium opus veluti merum putidumque rigorem inaptissime traducunt, idque, quod magis mirandum, vel ii etiam blaterant, qui ne una quidem perlecta pagella, sed quorundam verbis unice abrepti, de stylo, & doctrina temere, imprudenterque pronunciant. Le-

viora igitur quædam dumtaxat, ac etiam typographicos errores descripserunt laudati censores Opusculo illo, quod Pontifici obtulerunt: isque quum adversariorum querelas parum æquas perspiceret, ut pro merito causæ ferret iudicium, Italicam *declarationem* dictavit, eamque P. Antonino *Bremondio* supremo Præd. Ordinis Præsidi tradidit, ut eandem Concina latinis literis redderet, ac operi præfigeret. Hic tamen, ne Pontificis verbis alium, ac præferebant, sensum tribuisse vulgaretur, ob Ordinis Magistro obtinuit, ut alteri hanc provinciam demandaret. Quod postea exacte præstitit P. Vincentius Maria Dinellius Cathedraticus Casanatensis. Quam certe declarationem Conciniæ Theologiæ nec minimum officere, sed levioris tantum mentis homines in suspicionem adducere, probare inutile foret; nam rationibus, quæ afferri possent, ipsa adversariorum confessio præferenda videtur. Qui quum eandem italico idioma te edidissent, ut meliorem fortunam nancisceretur, & e contra eos etiam, qui ancipites hærebant, ab eorum castris discessisse, ac veritati lumina aperuisse novissent, mutatis consiliis omnem adhibuerunt operam, ut oblivione periret. Æternum tamen manebit, & manebit profecto ad perenne ingenui Conciniæ candoris, & irreprehensibilis doctrinæ monumentum.

Quæ hucusque notavimus iam omnibus rem compertam faciunt, Conciniæ labores, cunctosque conatus eo spectasse, ut rectam traderet, incorruptamque doctrinam morum, eosque erudiret qui ad excipiendas confessiones delecti, Dei legem, quam de ore eorum Populi requirunt, præ ceteris profundius callere debent. Hinc ut Sacramenti poenitentię dignitatem ostenderet, & Sacerdotibus ad tam arduum, sanctumque ministerium obeundum viam pararet, *Commentarium* de Sacramento poenitentię, eiusque ministro qui in Theologia Christiana perlegitur, etiam separatim, vulgavit hoc titulo = de Sacramento Poenitentię, *eiusque ministro* Commentarius Dogmatico-moralis = Romæ 1730. Verum quia quorundam peccandi frequentiam ex nimia Sacerdotum absolvendi facilitate exoriri videbat, idcirco ut huic quoque malo occurreret, edidit aliud opusculum, cui titulum prætulit = de Sacramentali absolute impertienda, aut differenda recidivis, & consuetudinariis disputatio Theologica = Romæ 1751. Quo de argumento denuo differuit in Opusculo cui titulum indidit = Instruzione de Confessori, e dei Penitenti per amministrare, e frequentare degname il SS. Sacramento della Penitenza = Venezia appresso Simone Occhi 1753. Eiusmodi zeli pro animarum salute datis munimentis, ulteriora, eaque ampliora præbere nunquam desistit. Iam pridem secum animo perpenderat Theatralia spectacula spectantium mores foedare, vitiorumque omnium, ac scelerum esse gymnasia. Quo circa ut hanc perniciem, quantum ipse valebat, eliminaret, opus confecit, cui titulus = de Spectaculis Theatralibus Christiano cuique tum Laico, tum Clerico vetitis disputationes duæ. Accedit dissertatio tertia de Presbyteris Personatis = 4. Romæ ex Typographia Apollinæ 1752. apud Hæredes Ioannis Laurentii Barbiellini. Quod opus inscripsit Andreæ Maioralio Valentino Archiepiscopo, qui ceu novus Chrysostomus (quem ab Arcadio obtinuisse, ut celebre Theatrum *Maiuma* dictum destrueretur, narrat Baronius ad A. 399.) velis omnibus, ut aiunt, remisque apud Hispaniarum Regem egit, atque contendit, ut Valentini scenarum Theatrum satis amplum solo equaretur; ac lo-

cus ille, quo antea Christianorum vitiis fovendis humani generis hostis utebatur, piis deinde usibus deserviret. Cui Præsuli quam grati extiterint Conciniæ labores, luculentum testimonium est Epistola ad ipsum data Quintodecimo Kal. Ianuarii A. 1752. cuius aliquot verba hic placet exscribere = Adhuc multo maiori gaudio cumulamur, præfagientes, quod sicut in hac nostra Civitate, Ferdinando Piissimo Hispaniarum Rege favente, ac opem ferente, omnibusque adversantium contradictionibus superatis, Theatrum vere superbum evertimus, soloque equavimus, ac ipsa Theatralia spectacula in perpetuum toto in Valentino Regno de medio tolli curavimus: sic etiam efficacia tuorum hortatum in ceteris Hispaniarum Dicecesibus idem continget; præsertim quum jam antea in Dicecesibus Hispalensi, Cordubensi, Conchensi, & nuperrime in Burgenfi, Palentina, Calaguritana, Placentina, & Illerdenfi (cuius rei notitiam libenti animo tibi futuram esse coniicio) Theatralia spectacula omnino expuncta sint, & repulsa = De Theatris lucubrationem edidit Concina, toties memorato Benedicto XIV. suadente; quo etiam Auctore, incredulorum insaniam profigere satagit sequenti opere = della Religione rivelata contro gli Ateisti, Materialisti, Indifferentisti, che negano la verità de' Misteri. Libri cinque. 4. Vol. 2. In Venezia appresso Simone Occhi 1754. Alla Maestà di Carlo Emanuele Re di Sardegna.

Conciniæ de Theatralibus spectaculis opinio haud arrisit Scipioni Maffeo, cuius opera, & studio Veronense Theatrum restauratum fuerat. Igitur ingenium suum in Concina iterum experiri voluit, editoque libro de *Teatri Antichi, e Moderni*, suadere conatus est, Theatra quæ hodiernis diebus frequentantur, utpote veteribus castigiora, Christianorum moribus non officere, ad eaque quemque tuto convenire posse. Celeberrimi antiquitatum scrutatoris doctrinam propulsavit noster Theologus, sui operis edita apologia, cuius Epigraphæ = de Teatri Moderni contrarij alla Professione Cristiana libri due del P. Daniello Concina, in conferma delle sue Dissertazioni = De spectaculis Theatralibus = alla Santità di N. S. Benedetto XIV. = 4. Roma 1755. presso gli Eredi Barbiellini. Disputationem porro ita solide, subtiliterque tractavit, ut controversiam extra disputationis aleam posuisse quorundam opinio sit.

Reliquum est ut de postremis ingenii Auctoris nostri scetibus differamus, quod paucis absolvimus. Nam hoc eodem anno 1755. complexus est tribus libris Cardinalis Thomæ *Ferrarii* gesta, ut Benedicto XIV. gratificaretur, qui eodem Cardinale præceptore gloriabatur, cuiusque sæpius familiariter Concina alloquens non sine laude merita celebrabat. Prodiit opusculum hoc titulo = De vita, & rebus gestis P. Thomæ Mariæ Ferrarii Ord. Præd. S. R. E. C. Titul. S. Clementis libri tres. = 4. Romæ 1741. apud Hæredes Ioannis Laurentii Barbiellini. Quorundam tamen studiis detruncatum prodisse, fama non incerta nuntiavit. Scripsit deinde nonnullas Epistolas adversus Carolum Nocetium, qui Theologiam Christianam maculare contenderat, ac Conciniæ fidem elevare in indicandis, describendisque Casuistarum locis. Has vulgavit cum hoc titulo = Ad R. P. Carolum Nocetium Epistolæ octo de singularibus argumentis, in eiusdem libro inscripto = Veritas vindicata = contentis. Accedunt opiniones laxæ quamplurimæ ex variis Casuistis collectæ. Item censura R. P. Eu-

Eusebii Amort Canonici Lateranensis in Theologiam moralem R. P. C. L. C. Item epistola nona ad eundem P. Carolum Nocetium de nonnullis eiusdem antithetis in epistolam secundam P. M. Dinellii = 4. Venetiis 1755. apud Simonem Occhi.

Quæ hæcenus scripta memoravimus, Concina superflite edita sunt. Post eius obitum lucem vidit Venetiis 1760. apud Simonem Occhi. Theologiæ Christianæ Compendium ab ipso elaboratum; quod post repetitas editiones aliena opera magis contractum hoc anno 1763. typis eiusdem prodiit: cui titulus = *Manuale Concine, seu Theologia Christiana Dogmatico-Moralis a P. Daniele Concina O. P. elucubrata, priore contractior. Opus Confessariis omnibus perutile, Sacerdotibus vero ad excipiendas Confessiones examinandis, nec non Ecclesiasticis Seminariorum Alumnis pernecessarium.* Adiectis ad calcem definitionibus ad examen subeundum necessariis atque opportunis. = Quæ de Danielis Concine studiis literarum consignavimus monumentis, satis luculenter evincunt, Concinam incomparabili adeo præstitisse zelo ad saniores doctrinam vindicandam, ut nil aliud præ oculis habuisse visus fuerit quam ut nimis benignæ doctrinæ magistros coarctaret, eorum sententias a mentibus hominum depelleret, lenocinia blanditias palam faceret, corruptosque hominum mores tot Casuistarum libris, caritatis studio incensus ad sanitatem revocaret. Eo spectabant vigiliæ, eo sermones, ac conciones omnes, eo denique tot volumina zelo plane mirabili exarata, & coelesti quadam unctioe perfusa, qua vel duriora corda emollit, & quæ carni, & sanguini asperiora sunt, solide suadet. Pro veritate tuenda ubique firmissime asserta semper stetit infractus; ac stilo modo acri, modo mitiori, modo leporibus asperso, pro ut efficacius veritati asserendæ, & deridendæ falsitati conducere opportunum ducebat, nunquam a proposito recessit oppugnandi evulgatores opinionum moribus non utilium. Nec eius pectoris constantiam dimovere, fortitudinem animi turbare, vultus mentisque serenitatem minuere potuerunt minæ, calumniæ & contumeliæ, quibus illius nomen obscurare nonnulli tentarunt, cum nec benedictione nec maledictione moveretur. Ut enim laudes, resque prosperas, averfabatur, ita adversos fortunæ casus, ac inimicorum tentamina, atque conatus invicto animo tolerabat. Et quod ejus animi fortitudinem magis demonstrat, vix ea novit, nedum persensit quibus homines maxime commoveri solent, ac deiici. Quod accidisse notum est, quum famosis insolenter libellis truculenter sane, ac veluti virum atrociorum criminum reum representare, ac exprimere viliori plebi, irrito conatu contenderunt. Hæc enim ludibria multo ante præviderat, seque ad ea fortiter subeunda comparaverat singularis patientiæ munimento. Hinc eos pios animi sensus identidem promebat, quorum specimen in *Alloquio ad Christum Iesum* (cap. XIV. præf. ad Theologiam Christianam) scriptum reliquit. = In hoc præsertim certamine (aiebat §. XI.) Tu, Christe Iesu, insigne exemplar nobis fuisti. Quæ non sustinuisti veritatis asserendæ causa? Quæ non pertulerunt omnes servi tui? *Inimicus vobis factus sum, verum, dicens vobis* (ad Galat. IV.) Quid itaque mirum, si in me quoque, mellum homunculum, doctrinæ tuæ assertorem, maledicta, diæteria, scommata, calumnias atrocissimas intorqueant? Quid mirum, si ciere turbas, si commovere procellas, si concitare turbines, & tempestates incredibili versutia satagant munda

di

di homines? Propterea ne verendum mihi, desistendumque ab inceptis? Deficerem tum continuo abs te Duce, & exemplari certandi in hoc agone. Irruant in me turmatim adversarii mei, clamentque *durum esse sermonem meum*, sicut *durum* dixerunt sermonem tuum: *Durus est hic sermo*: non trepidabo a facie eorum. Quoniam tu Domine Deus dixisti: *Scuto circumdabit Te veritas ejus: non timebis a timore nocturno* &c. = Quam certe fortitudinem animi brevibus lineis expressam ad extremum usque vitæ terminum servavit; hujusque haud obscura præbuit experimenta.

Par constantiæ fuit humilitas, qua despici, & contemni ab omnibus vehementer optabat, & licet sapientiæ omniſque laude eruditionis eatenus processisset, ut magnam Europæ partem doctrinæ suæ admiratione compleisset, nunquam tamen quemquam ludibrio habuit, nec ullum spiritus arrogantis indicium prodidit, sed eandem semper animi demissionem, modestiamque retinens, quam cum Dominicanæ Instituti vestibis induit, inclyta religiosi animi virtute, suspiciundaque moderatione, ipsa sua fama visus est major. Honoribus nunquam animum admovit, nec fulgentioribus quidem, qui per ignem, ut ita dicam, ferrumque peti solent; quod hi perfectum habebant, quibus Concinae agendi ratio cognita erat. Qui proinde uno ore dicebant, plurimos quidem in spe fructus arare, Concinam vero omni abjecta spe militare. Amicis laborum præmium exoptantibus, aliis etiam calide, versuteque animum pertentantibus, subiratus respondebat. „ Mal- „ le se ad abiectissimum vitæ statum detrudi, quam aliqua dignitate, vel eccle- „ siastico munere onerari. “ Quod non verbis solum, sed factis quoque testatum voluit. Nam supremam Congregationis suæ Præfecturam a P. Thoma Ripollio totius Ord. Præd. Generali Magistro oblatam, modestè recusavit.

De ingenii sui lucubrationibus, quas exterorum etiam linguæ nonnullas reditas videbat, ac non semel typographorum præla fatigare, non ita sibi blandiebatur, ut alienas respueret; sed christianæ Republicæ utilitatem unice spectans, quasi non satis morum doctrinæ cultoribus propriis operibus consulisset, alienis quoque locupletavit: ipsi enim debentur editiones operum Joannis *Pontasii*, Jacobi *Besombes*, & Pauli *Gabrielis Antoine*, aliorumque, quibus & præfationes, & monita addidisse scimus.

Caritate in proximum maxima affectus erat. Rudibus catholicæ Religionis arcanis imbuendis plures annos præclaram impendit operam; eosque ita studiose, amanterque diligebat, ut oblato in celeberrimo templo concionum habendarum honore, si ab illo demissiore, uti reputabant, ministerio cessaret, maluerit nuncium remittere, quam ab humili caritatis officio desistere. Atque ut doctrinæ suæ fontes in eos etiam qui futuri erant, effunderet, christianam Catechesim exaravit, quæ tamen nondum publici juris facta est.

Summa erat erga Deum pietate & devotione. Familiaris ipsi sermo erat de ejus implenda voluntate, de formidandis ejusdem judiciis, ac denique de terrenarum rerum contemptu. Quam loquendi rationem, ultimis præcipue vitæ suæ mensibus, ita ardentius instituebat, ut & suos, & externos ad lacrymas compelleret. Quod quidem evenit, ubi post expertas Lucentes aquas, ut dicemus, Florentiæ aliquandiu commoratus, cum præter alios viros generis nobilitate, & honoribus claros, ad eum invisendum Principes *Corsini* advenissent, tanta animi vi, tantaque facundia de præsentium rerum caducitate, deque futu-

torum honorum præstantia differuit, ut ipse lacrymaretur, ab eisque etiam lacrymas eliceret, qui differentem audiebant; ut nobis humanissime significavit doctrina, & eruditione celeberrimus Petrus Franciscus *Fogginius*, qui hæc non audita, sed cognita prædicavit.

Post sacrum quotidie incredibili religione peractum, flexis genibus supra horæ dimidium Evangelium perlegebat, & pia animi meditatione contemplabatur; quo constat castioris doctrinæ zelum, qui mirifice in ipso enituit, non fervidæ mentis viribus tribuendum, sed sincero cordi de luce evangelica depromenti assignandum.

Sed magnam summis tanti viri virtutibus injuriam facere videremur, si cunctas ex latissimo, in quo vagantur campo, in exiguum sane gyrum conaremur includere. Quamobrem satius esse censemus silentio præterire. Hoc unum vere affirmantes, eum pietatem, & incorruptos mores, quibus ab ineuntis adolescentiæ annis excelluisse diximus, ad extremum usque diem excoluisse, & ad eam vitæ rationem, quam & scriptis, & voce gentibus manifestavit, se suosque mores conformasse; ut non tam proinde faciendæ scripsisse constet, quam scribendæ fecisse; quos viros beatissimos a veteribus legimus appellatos. Nam vitæ morumque magistri, si secus vivant quam docent, si legibus quas aliis indicunt, continentiæ, virtutumque omnium, ipsi non obtemperant, magna ex parte doctrinæ commendationem videntur evertere. Hanc igitur amplissimam omnium artium bene vivendi disciplinam non solum literis, verum etiam moribus est Concina profecutus.

Quas percensuimus virtutes, Christianam perfectionem constituunt, ac hominem quemque informare debent. In iis proinde Concina non solum se exercere studuit, sed eas quoque coluit quæ in viro sacris addicto elucere debent. Quare disciplinæ regularis integerrimus custos fuit, cujus nec apices negligebat; ut nonnullis supersticiosior visus sit: si tamen in iis, quibus æternam nostram salutem operamur, nimia cura esse potest. Fratres suos ad amplexati instituti leges conservandas, custodiendasque jugiter excitabat. Hinc ejus exhortationibus, vel librorum lectione nonnulli ad religiosorum hominum Conventus convolarunt; alii etiam ut securiora vitæ instituta amplecterentur, vel ex ipsa Lusitania ad Italorum austeriora Coenobia se contulerunt. Ipse præibat exemplo. Consuetæ Dominicanæ Ordinis septem anni mensium jejunia, perpetuamque a carnibus abstinentiam inviolate custodivit, immo postremos ferme viginti dierum suorum annos rigido jejunio peregit. Vir cibi minimi semel in die tantum viliori esca utebatur, neglectoque omni alio cibo, & potu, modicam tantum aquam simebat. Durior proinde parcissimæ mensæ disciplina, jugesque lucubrationum vigiliæ adeo vires imminuerant corpusque affixerant, ut musculorum dorso, dextræque manus paralyti correptus fuerit, seroque nimis medicæ artis levamina, quæ per annum neglexerat, adsciscere tentaverit. Primo Fesulas concessit, ut salubriori illius regionis cœlo frueretur; deinde Lucam Thermalium aquarum beneficium experturus contendit. Quæ in urbe nova se se obtulit Concina occasio, ut invictæ patientiæ daret documentum. Concina adventu vix evulgato, ejus adversarii, ut eum Lucensibus invisum redderent, famosum libellum, cujus sapius verba fecimus, luce utique indignum, in diem prodidere, ac in symposio non infimæ nobilitatis hominum coronæ perlegerunt. Quam agendi rationem, quæ vel mensæ assidentibus stomachum moverat, Concina patientissime tulit.

Igitur fere nullo ex Fesulano aere, & Lucensibus aquis levamento percepto, Flo-

rentiam se contulit; ubi a nobilissimæ Urbis viris Principibus gratissime exceptus est, qui ut eius infirmæ valetudini prospicerent, ultro ipsi cuncta exhibuerunt, quæ ad morbi vim auferendam quoque modo facere videbantur. Quam Florentinorum comitatem in sui commodum transferre noluit Concina, maluitque Venetias ite accelerare, ut quod sibi supererat vitæ spatium, inter suos transigeret. Et mense Septembris exeunte ann. 1755. reducent eum exceperunt Veneti Patres; sed non multo post vitioso rheumatis ad pectus affluxu conspexere afflictum. Quo tamen solerti cura, & peritissimi Archiatri studio, & diligentia ita levatus videbatur, ut tardius quam a natura vitam hauserat, morte commutaturum sperarent; sed dies Februarii vigesima insequentis anni, brevior ipsi attulit lucis usuram; ea namque novus accessus rheumatis aggressus est Concina, qui quum ipsi spiritum elideret, brevî moriturum universi timuerunt. Vitæ discrimen imperterritus sensit; & exomologesim fecit integerrimo, doctissimoque viro, ut solebat, Fulgentio *Cuniliato*, mediaque subsequente nocte Christi corpus ad æternitatem viaticum religiosissime sumpsit, ac primo sole sacro exeuntium Oleo inunctus est. Tuam a gravi viro interrogatus, num tot ingenii opera altercandi prurigne actus, animoque malevolentia suffuso conscripisset, Crucifixi complexus imaginem, eamque sancte testatus ad solius Catholicæ Ecclesiæ utilitatem, animarumque Christi Sanguine redemptarum salutem se edidisse pronuntiavit. Sic igitur comparatus enixe postulavit ut preces pro se dicerentur, quas Ecclesia in agone constitutis recitari præcipit; quibus clara voce, promptoque spiritu respondit. Reliquum vero tempus, quo semper integris sensibus, lucidaque mente a Deo donatus fuerat, a quo gratiam hanc quotidianis orationibus exoptabat, in ferventioribus virtutum actibus eliciendis insumpsit. Diem illam felicem faustamque sibi appellabat: cito ad Deum rapi expetebat: durum agonis cruciatum levem nimis fatebatur, maiorefque dolores pati exoptabat, ut Christo & Martyribus conformior inveniretur. Fratres denique circumstantes, ubertimque flentes admonuit, ut consuetam ad Deiparam *Salve Regina* nuncupatum hymnum inciperent; ad cuius finem erectis in cœlum luminibus, dulci, altaque quiete, placido veluti simillima somno oppressus est X. Kal. Martias Hora XVI. A. MDCCLVI. annos natus LXV. III. Menses IV.

Iam omnibus patet, quibus animi dotibus effulserit Auctor noster; emicuit enim in Concina perspicacitas ingenii summa, iudicium acre, ac solidum, abstrusioribus disciplinis meditandis vere comparatum: tenacissima memoria, ampla singularisque Theologorum, Ecclesiæ P. P. eruditio, pertinaci fere quotidiano duodecim horarum studio, ac labore parta: mira dicendi, scribendique facilitas, quæ incorruptam doctrinam semper exposuit. Erat animo æquo, & sincero, ab assentatione maxime alieno, nec ea veritatem usquam adumbravit; hinc factum ut omnes magni facerent, non omnes diligerent. Vir denique fuit Dominicanæ Familiæ lumen splendidissimum, doctrinæ morum acerrimus assertor, ac vindex: Ecclesiæ fidelis minister; vero zelo Dei domus succensus, iis denique virtutibus se ornatum ostendit, ut quicumque scripta eius, & actiones paulo attentius considerarent, redivivam in ipso præcorum Patrum imitationem agnoscerent.

Quod si habitum quoque eius Posterî noscere velint, sciant naturam quam in tot animi virtutibus tribuendis faultricem habuit, beneficam quoque in corpore expertum esse. Statura enim iusta fuit: aquali, & apta dispositione membrorum:

facie hilari, ac tranquilla, ut serena quadam comitate accurrentium animos alliceret: pleniore vultu, venusto colore: micantibus oculis, visu paulo hebetiore: rutilo ore, subrubido crine qui latiore frontem decenter ornabat: valetudinem studia, & castigatio corporis, ut diximus, mature infirmarunt.

Ea dum in humanis ageret, eius doctrinae opinio fuit, ut nulla res tam ardua, tam consilii egens in quaestionem deduceretur, quae non eius iudicio committenda videretur; ac tam multae ad eum deferebantur causae difficiles, atque contortae, in quibus Theologorum opera desiderabatur, ut nulla ipsi quietis pars relinqueretur: quas ille causas singulari doctrina, prudentia, & mirifica illa sua in animi sensibus explicandis perspicacia ex incertis certas, ex dubiis exploratas, ex implicitis explicatas facile reddebat. Haec Benedictum XIV. acerrimi in expendendis clarorum hominum meritis iudicii, impulere ut Cardinalium Congregationi Theologum, & Consultorem adungeret; in perarduis disciplinae quaestionibus, quid Concina opinaretur avidissime sciscitaretur, peramanter audiret, libentissime probaret; ac denique privatis Epistolis non solum se eius doctrinae propugnatores, ac vindicem profiteretur, verum & publicis literarum monumentis commendaret, famamque viri honorificentissimi *famoso libello* in summo discrimine constitutam, summa iustitia, & suprema auctoritate tutaretur, ac vindicaret.

Magni quoque habitus est ab eximiis pene totius Europae viris; quorum aliqui *virum incomparabilem* appellarunt, *Gentiumque Apostolum*; alii *Christiane moralis Redemptorem*; omnes denique veritatis amatores effusis laudibus prosecuti sunt. Ex purpuratorum Patrum numero in sui admirationem, ac benevolentiam pertraxit Tamburinum, Passioneum, Quirinum, Corsinium, Albanum, Spinelum, Amedeum a Lanceis, Thomam Ruffum, aliosque & doctrina, & dignitate Eminentissimos. Carus quoque extitit Regibus, & Principibus, ac Ordinis sui moderatoribus. Sed eorum amicitia, & consuetudine praecipue laetabatur, qui moribus, & literis praestabant. Inter quos amicitiae, epistolarumque foedere coniunctos habuit Joannem *Lamium*, Petrum Franciscum *Fogginium*, Joannem *Bottarium*, Ludovicum Antonium *Muratorium*, Scipionem *Masseium*, Apostolum *Zenum*, Augustinum *Spinulam* Savonensium Antistitem, Joannem *Cadonicum*, Constantinum *Rotigni*, P. *Luciardum* ex Clericis Regularibus Barnabitis; FF. *Ballerinos*, P. P. *Aegidium Giulium*, & *Orlandium* recti exempli, probatissimaeque vitae viros ex Societate Iesu, ac plures alios eruditionis, & probitatis fama conspicuos.

Haec sunt, quae nobis raptim scribentibus occurrunt. Quae vero a multis nominis viris de illo, & pro illo scripta, vulgataque fuere, notiora sunt, quam ut egeant huic opellae censeris, iterumque vulgari. Si qui vero minus amice de homine senserunt, facile licet eos praeterire; se ipse enim aliquando partim tutatus est, partim celebres viri defenderunt. Eos autem, qui se illi, eiusque scriptis quibuscumque inimicos esse aperte professi sunt, ac vel ipsis Concinae manibus insultare non erubuerunt, quam ille vivens contempserit, & nos contemnendos esse censemus.

PRÆFATIO.

INSTAR PROLOGI GALEATI.

CAPUT I.

De librorum moralium multitudine, & Christianae Theologiae dignitate.



I. Uousque tandem obruemur innumera moralium librorum multitudine, in quibus nihil luculentius, nihil eruditius expositum apparet, sed eadem semper sola verborum diversitate refecta, atque recocta exhibentur? Perpetua sane querimonia isthaec, iuxta dictum illud Salomonis: *Faciendi libros nullus est finis* (a). At numquid sola doctrina morum superflua librorum copia redundat? Aliquod ne disciplinarum genus ab hoc incommode evasit umquam immune? In ea commentaria oculos conice quae ad tricas chronologicas, ad lapidum inscriptiones, ad numismata, ad minimas profanae antiquitatis reulas, ad mulierum, si vis, etiam calceos, & ornamenta, ceteraque id genus illustranda prodeunt: cuiusmodi commentationes subiecto Plautino sale perfricure Svetonius (b), Iuvenalis (c), Seneca (d). Evincunt haec omnia, quam sit infirma mentis humanae vis, quae, cum summo in veritate impetu abripiatur, nullam intentatam relinquit viam, nullumque non movet lapidem, quo ad eam comparandam perveniat. Deplorent ergo severi Censores, non librorum copiam, sed humani intellectus in veritatis investigatione tenuitatem. Quemadmodum medicinarum multitudo ingentem hominum morborum numerum arguit; ita moralium librorum copia vitiorum, scelerumque illuviem concludit. Utinam, non paucorum Casuistarum, ut vocant, voluminibus de medio sublatis, sola, quae novem circiter primis religionis nostrae saeculis viguit, tradendae saluberrimae morum disciplinae ratio obtineret. Simplex illa, sincera, incorrupta ex purissimis evangelicae veritatis fontibus derivata, paucisque contenta, in hominum corda blande suaviterque illabebatur. Haec quae aetate nostra dominatur, in multis fucata est, contentiosa, sophistica, non tam recte vivere, quam subtiliter disputare docet, ut vel ipse Seneca de suis Philosophis advertit (e). Optandum proinde esset ut, pulsis, sin minus omnibus, pluribus.

(a) *Eccl. XII.*

(b) Quae fuerit mater Hecubae? Quid Achilli nomen? Inter virgines fuisset? Quid sirenes cantare sueverint? *de Gel. cap. lxx.*

(c) Ut legat historias, Auctores noverit omnes,
Tamquam unguis, digitosque suos, ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, Patriamque novercæ
Archemori: dicat, quot Aceltes vixerit annos;
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Satyræ VII.

(d) Quem numerum remigum Ulysses habuisset? Prior ne esset scripta ab Homero Ilias, an Odyssæa? (e) Verissimum enim est. Antiqua sapientia nihil aliud quam facienda, & vitanda praecipit: & tunc longe meliores erant viri. Postquam docti prodierunt, boni defuerunt. Simplex enim illa, & aperta virtus in obscuram, & solertem scientiam versa est; docemurque disputare, non vivere. *Epist. xxvii.*

rimis saltem Ethices casuistica scriptis, primæva illa christiana Theologiæ tradendæ methodus revivisceret. Verum cum hoc vix desiderare, nedum sperare, valeamus, quid reliquum est, nisi ut veritatem, tantæ opinionum pravitate inquinatam, & disputationum farragine usquequaque involutam, ad puritatem pristinam, avitamque maiestatem revocare pro viribus satagamus? Huc sane conatus omnes, & molimina mea tendunt. At imbecillitatis propriæ conscius vereor ne votis & animo exitus bene apteque succedat. Sentio quippe quam sit humeris meis impar suscepta provincia. Neque enim falsa illa teneor persuasione quæ multorum animis insedit, atque in illis inveteravit, morum nempe scientiam non eam esse quæ tractari a doctis eruditisque viris debeat. Isti profecto qui ita desipiunt, vel primam facultatis huius notionem prorsus ignorant. Quandoquidem una est Christianorum Theologia, quæ ab eodem Scripturarum, Conciliorum, Patrumque fonte dimanans, ex diverso dumtaxat respectu varias excipit appellationes. *Dogmatica* dicitur, cum articulos fidei credendos interpretatur. *Polemica*, cum eiusmodi dogmata ab hæreticorum versutis commentis, atque oppugnationibus vindicat. *Scholastica*, cum via & ratione digerit, & ad certam ratiocinandi formam cuncta deducit. *Moralis* vero, non modo hæc omnia comprehendit, non modo & fidei articulos exponit, & hæreses, a quibus fideles sibi caveant, breviter quidem, sobrieque indicat; sed præterea (quod omnium longe difficillimum est) animos a vitiis purgat, mores ad divinas leges informat, non istas ad hominum officia inflectit; cumulatam proinde requirit prudentiam, non carnalem, sed cælestem, qua æternæ salutis negotium tractetur, & lites implicatissimæ dirimantur. Hac divina Theologia imbutus homo, tuæ pro tribunali sedens iudicia pronuntiat, non de stillicidiis, non de agrorum terminis, non de tigno, aliisque similibus; sed de gravissimis controversiis quæ æternam aut beatitatem, aut miseriam spectant: nunc magister, & orator, docet, suadet, increpat: modo contra hostes, tum domesticos, tum extraneos arma stringit, & pugnat.

II. Heinc consequitur ad THEOLOGIAM CHRISTIANAM pro dignitate tractandam ea omnia simul desiderari quibus in singulis elaborare permagnum est, quæque in Theologo sive *Dogmatico*, sive *Polemico*, sive *Scholastico*, etiam seiuncta fortassis sufficerent. In hac quippe præ ceteris exquisitum iudicium, acie ingenium, maturamque prudentiam necessariam fore si dixerò, non modo a veritate non aberrabo, sed neque id quod cum primis requiritur, patefaciam. Quodnam istud? Animi candor, morum sanctitas, passionum humanarum dominium, & moderamen, atque rerum terrenarum omnium contemptio, patientia, & fortitudo adversus calumnias, & persecutiones illas quas pertulere primi huius divini scientiæ promulgatores. Hoc est saluberrimum illud monitum quod non Paulus modo, sed vel ipse ethnicus homo Aristoteles suæ Ethices auditoribus exhibet: *Amplius autem passionum secutor existens, inaniter audiet, & inutiliter (a)*. Quod effatum pluribus exponit Doctor Angelicus inquis: *Finis enim huius scientiæ non est sola cognitio, ad quam forte pervenire possent passionum sectatores; sed finis huius scientiæ est actus humanus Ad actus autem virtuosos non perveniunt qui passiones sectantur. Et sic nihil differt quantum ad hoc, an auditor huius scientiæ sit iuvenis ætate, vel iuvenis MORIBUS, id est passionum sectator (b)*. Alterum Ethnicum audiamus M. Tullium morum Philosophiam summis præconiis extollentem, in cuius sinum, veluti in suæ tranquillitatis portum, a tempestate prolabentis Reipublicæ, Romanæque libertatis deficientis iactatum quassatumque se se recipere, ut ipse testatur, consueverat. Eius verba, quia multa, infra subiicio (c). Quamobrem in

(a) Lib. I. Ethic. cap. III. (b) Lect. III. ibi.

(c) Sed & huius culpæ, & ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a Phi-

in illos eruditulos, atque saperdas Cicero iure invehitur qui inanis gloriola rumore elati eos nauci faciunt qui doctrinam morum interpretantur. Istos, veluti per contemptum & ludibrium, *Moralistas* vocitant, & cum *Moralistam* dixerint, ineprum hominem intelligunt. Eos vero inflatis buccis eruditos, doctos, doctissimos, & sapientissimos conclamant qui siderum motus considerant, qui aquarum in annos singulos e cælo delabentium dolia numerant, qui arcanas lapidum litteras, & symbolicas numismatum figuras edisserunt. At *Philosophia quidem* (resumit Tullius) *tantum abest ut proinde ac est de hominum vita merita, laudetur, ut a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam, inquam, vitam parentem, & hoc parricidio se inquinare audeat? Et tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiamsi minus percipere potuisset? Sed, ut opinor, hic error, & hæc indoctorum animis offusa caligo est quod tam longe retro respicere non possunt (a)*. Neque solum Aristoteles, & Cicero, sed aliorum etiam omnium Ethicorum sapientes, cum Ægyptii, tum Græci, & Romani, Socrates, Plato, Xenophon, Theophrastus, Zeno, Panætius, Seneca, Plutarchus, innumerique cultarum nationum alii, & cuiusque ætatis principes viri in id operam dederunt semper, ut morum Philosophiam, ac recte beateque vivendi præceptiones explanarent. Huc illorum, quæ ad nos pervenerunt, opera spectant.

III. Quod si Ethicorum doctiores, eruditioresque tanti fecerunt morum Philosophiam a solius naturæ principiis arcessitam; si eiusdem derisores tam acriter infectati sunt: quid, si nostram divinitus afflatam Theologiam novissent? Quibus eam laudibus celebrarent? Quo animi sensu, quam vehementer profecto iis omnibus succenserent quos deprehenderent plurimi facere profanam quandam eruditionem, cuius nec notitia emolumentum affert ad æternæ salutis negotium, nec ignorantia detrimentum parit; minimo autem in pretio habere, aut prorsus negligere cælestem morum doctrinam, necessariam admodum ad beatæ vitæ consecutionem? Nec iniuria tam divinæ scientiæ obiurgatores reprehenderent; cum infinita propemodum absurda inde consequantur. Ex quo enim præstantissimi viri propriæ gloriæ, suæque litteraturæ sublimitati haud bene consultum iri iudicarent, si ad illustrandam christianam Theologiam studium operamque conferrent, quid evenit? Hoc profecto, ut hanc exornandam spartam non pauci fuerint aggressi qui neque ingenio, neque eruditione, neque prudentia satis valebant. Non itaque mirandum, si in dies despiciatur, si squallidior, & veluti in contempionem adducta, iaceat scientiarum princeps; si triticeis, si captionibus, si vanis distinctivulis, ab evangelica simplicitate prorsus alienis, scateat illa, redundetque. Hanc enimvero garrula anus, inquit Hieronymus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Nobilissima Theologorum natio tributa est in partes duas, *Scholasticorum* nempe, & *Casistarum*. Illi quasi in eminentiore subsellio constituti ingenii acumen, disputandi que artem sibi vindicantes, de alto istos in inferiore statione iacentes respectant, & tantum ut truncos, bardosque non despiciantur. Melchior CANO (b) utriusque

Philosophia petenda correctio est. Cuius in sinum cum a primis temporibus ætatis nostra voluntas, studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. O vitæ Philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino vitam hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti: tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum, & vocum communione iunxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum, & disciplinæ fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totoque tradimus. Est autem unus dies, bene, & ex præceptis tuis actus, pene toti immortalitati anteposendus. *Lib. V. Tuscul. quest. sub. initium*.

(a) Loc. cit. (b) Lib. VIII, cap. I.

classis plurimos adscriptitios, atque umbraticos Theologos, quin neque Theologos, sed sophistas, & rabulas appellat. Illos ne, inquit ille, sive *Scholasticos* qui sophismatum faciem in scholam inferentes ad risum doctos incitant; sive *Casistas* qui conscientiae casuum centones infarciunt, eruditos provocant ad contemptum, in Theologorum censum perscribent? Hos ipse Christus Iesus severe increpat, quod *prelia, & opiniones praeliorum* (a) contestantes, sine causa Deum colunt *docentes doctrinam, & mandata hominum* (b). Quid plura? Ad omnium malorum cumulum eo redacta res nostra est, ut huic divinae scientiae e cathedra explicandae, non nisi pinguiora ingenia frequentius destinantur, hominesque ita imperiti, ut nec Logicae Aristoteleae declarandae habeantur idonei. Tam inauditam cogitandi perversitatem hoc ipso eruditissimo saeculo videre cogimur. Hominem non adeo experrectum, prudentem, & acutum eam Theologiae partem quae aut Dogmatica, aut Polemica nuncupatur, excolere cum laude posse, paullo ante indicavi. Habet enim haec praestituta confinia, & definita capita; quae si semel bene tenueris, excurrere libere, & celeri pede communiter vales. E contrario in morum scientia vix unum conficere gradum potes, quin obstacula plurima & varia occurrant. Si plana alicubi via apparet, continuo salebrosa evadit. Circumstantiarum nubes veritatem passim obscurant; undique scopuli, undique syrtes. Praeter dogmata exponenda, iura naturalia, divina, humana, sacra, & profana, publica, & privata latebrarum, & tricarum plena fere ubique lites implicatissimas definiendas porrigunt. Irruunt extrinsecus sophistarum copiae contra iura, contra legem incredibili subtilitate, & undique accitis cavillationibus humanae naturae causam orantes. Insidias moliuntur intrinsecus cordis appetitiones acutissimae mundanae gloriae, & carnalis voluptatis, timor & pavor hominibus displicendi, placendique desideria: haec & plurima alia quae a Dogmatico, & Polemico certamine absunt, in morum controversiis ad pervertenda iudicia nostra callidissime conspirant. Trutinam semper in manibus tenendam, ut malitiae gravitas, aut levitas ponderentur, ut inde quae mortalis, quae venialis sit, colligatur. Homines retuso ingenio, aut animi integritate, prudentia, & fortitudine destituti, & usquequaque gravissimis obsessi difficultatibus, ferre ne recta & incorrupta iudicia queant? Si vel ad ipsas civiles causas componendas viros doctiores eruditoresque deligere leges iubent, vulgares ne homines super aeternae salutis negotio controversiis dirimendis apti erunt? Memini supra Ethnicorum sapientiores in naturalis moralisque Theologiae studium totis nervis incubuisse. Nunc vero percontor, quae sint Scripturae sanctae tum veteris, tum novi foederis argumenta perpetuo illustrata. De Deo sciente, volente, praedestinante, trinoque, & ceteris arcanis, quae primam Theologiae partem Dogmatico-Polemicam efficiunt, sermo rarus, atque contractus. Libri historiales omnes, rerum gestarum, & miraculorum narratione ad Dei cultum, & amorem excitant. Alio ne sive prophetales, sive sapientiales pertinent, quam ut legem sanctam doceant, quam ut a vitiis abducant, inflammentque ad virtutum officia? Quid quatuor Christi Evangelia, quid Paulinae, aliorumque Apostolorum epistolae continent, nisi morum praecipiones, vitiorumque increpationes? Mysteria & dogmata fidei pauca, & presse exposita ibi occurrunt. Quid de sanctis Ecclesiae Patribus dicam? Non nisi rerundanda haereticorum audaciae, & profligandarum haeresum necessitate cogente dogmaticos & polemos dumtaxat egerunt Theologos. Quorsum vero molimina sua collinearunt omnia? Ut morum Theologiam explanarent, intaminatamque christianarum virtutum doctrinam a pravis opinionibus assererent. Huc profecto pertinent ingentia illorum volumina. Quid postremum de quinto Ecclesiae Doctore S. THOMA AQUINATE dicam? Primam ille Theologiae partem, quae mysteria comprehendit, congrua brevitate perstrinxit. Alteram vero, quae mores informat,

(a) *Matth. cap. xxiv.* (b) *Matth. cap. xv.*

adeo ampla est, ut tributa sit in partes duas. In hac potissimum illius prope divini ingenii dotes; in hac illius Metaphysicae profunditas incredibilis, eruditio- nis vastitas, exquisiti iudicii maturitas, cumulataque prudentiae perfectio ad porten- tum usque coruscant. Divini itaque Scriptores, Prophetae, Evangelistae, Aposto- li, Patresque omnes morum Theologiae exornandae, altiusque hominum animis in- culcandae perpetuam navarunt operam. Et eo aetate hac nostra floridissima, doctis- sima, eruditissima caecitatis & fatuitatis non pauci prolapsi sunt, ut hanc divi- nam scientiam aut flocci faciant, aut eidem explicandae destinent homines igna- vos, imperitos, hebetes, quos per ludibrium *Moralistas*, & *Casistas* vocitant? Quae omnia vera cum sint, quis me iure reprehenderit, si exclamavero: O tem- pora! o mores!

IV. Pauca quae haecenus in christiana Theologiae commendationem delibavi, non eo vel oblique spectant, ut aliarum scientiarum professores aut improbem, aut minus suspiciam. Absit a me dementia tanta. Numquid omnes Theologi? Numquid omnes Prophetae? Si cuique vel mechanicæ arti suus debetur honos; quanto maiori in pretio habendi sunt artium liberalium, & cuiuscumque littera- turæ sive sacrae, sive profanae cultores? In eas quilibet artes, & scientias incum- bat quae hominum decent societatem, & quibus excolendis se magis experitur i- doneum, & quatenus patitur proprii status conditio. Illud dumtaxat iure asseri- mus, quod M. Tullius ipse altius inculcat, in morum nempe doctrinam illustran- dam industriam nostram potissimum conferendam esse. *Quid est enim* (inquit Ci- cero) *in vita tantopere querendum, quam cum omnia in Philosophia, tum quod in iis libris quaritur, quis sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene viven- di, recteque faciendi consilia referenda?* Quod si, iudice Tullio, vel ipsi ethnici homi- nes morum Philosophiae sedulam navare operam debent; pudeat mehercule, & maxime pudeat viros christianos, & praesertim illos qui, tametsi, & ut sacris ad- dicti, & suae professionis vi, non in aliorum tantum, sed in aliorum quoque salutem sua studia referre astringantur; nihilominus non modo detestant evan- gelicæ Moralis doctrinam a captiosis interpretamentis asserere, verum etiam in eos invehuntur, si quos videant, humano spreto timore, tantumdem praestare, ut sui muneris partes expleant. Similes hi sunt illis quos Christus increpat *Matth. xxiii. 13. Vos non intratis, nec introeuntes finitis intrare.* Omnium ergo Religioso- rum animis impressa sit S. Thomae doctrina. *Religiosis competit principaliter inten- dere studio litterarum pertinentium ad doctrinam qua secundum pietatem est, ut dicitur ad Titum 1. Aliis autem doctrinis intendere non pertinet ad Religiosos, quorum tota vita divinis obsequiis mancipatur* (a). Dicitum quoque Lactantii perpendendum est: *Quid interest ea scire quae si scias, non proinde beatior fias?* (b)

V. Verum obstrepunt morosi censores, satis iam superque exultam esse morum Theologiam. Quid tu, inquit, ligna in silvam defers? Quid tu scribillator in scenam prodis? Nonne doctiores, nonne eruditiores, sapientioresque viri provin- ciam hanc exornarunt? Nisi tu meliora promas, quid quisquiliis tuis fastidium le- storibus, tibi dedecus paris? Quid eandem recoquis crambem? Quinimmo lacu- lentius ab aliis scripta, vix diversitate sola verborum, obscurius ingeris? Haec obtrudunt iucundi censores, quorum aliqui tanta abripiuntur vesania, ut illos effutire non pudeat, haudquaquam in praesens opus esse christianae Theologiae defen- soribus. Quid? Prodeunt continenter opiniunculae, quae morum corrumpunt casti- tatem: laxitatis lenocinia usquequaque obrepunt: mollioris Ethices assertores multiplicantur in dies: & opus non est ut sana doctrina ab eiusmodi insidiis vin- dicetur; ut imperitis, ne fucatis erroribus decepti aeternum pereant, provideatur? Insistent, tali propugnatore Dei Ecclesiam non indigere, meque imparem esse ad

Conc. Theol. Tom. I.

(a) 2. 1. *quaest. clxxxviii. art. 5. ad 3.* (b) *Lib. II. Instit. cap. ix.*

tantum malum tollendum, opportunumque ferendum subsidium. Esto. Sed audiant S. Augustinum; cui similia a similibus viris opponebantur, hæc reponentem. *Ut potui, quantum a Domino adiutus sum, psalmum istum magnum pertractavi, & exposui. Quod profecto melius sapientiores doctioresque fecerunt, sive facturi sunt. Nec ideo tamen ei nostrum deesse debuit ministerium (a).* Ceterum, dicit alio in loco Augustinus, si aliorum opera doctiora vobis sunt, & luculentiora, hæc legitote, his fruamini; nostra vero negligite, ac reiicite. *Si ita est, ponat librum meum, vel etiam, si hoc videatur, abiciat; & eis potius quos intelligit, operam, & tempus impendat. Quid inde? Silendum ne mihi propterea erat? Minime gentium. Non tamen propterea putet me tacere debuisse, quia non ita expedite, ac dilucide quam illi quos intelligit, eloqui potui. Sciant præterea morosi, & tetrici censores, eandem veritatem pluribus variisque modis propositam latius manare; pluribus ac variis hominum generibus arridere, & se in plurium animos insinuare; quemadmodum dapes apta condimentorum varietate dispositæ pluribus sapiunt, pluribus afferunt iucunditatem. Neque enim omnia (prosequitur Augustinus) quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri potest ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in istos saltem incidant. Ideoque utile est plures a pluribus diverso stilo fieri libros, non diversa fide, etiam de questionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. At ille qui se ista non intellexisse conqueritur secum agat votis, & studiis, ut proficiat; non mecum querelis, & conviciis, ut taceam (b).*

VI. At pressius adhuc urgendi sunt vani ineptique censores, qui, dum talia obrudunt, vel ipsius evangelicæ doctrinæ elementa se se penitus ignorare basilice patefaciunt. Aures itaque arrigant, & tremendam, formidandamque de talentis parabolam impensius meditentur. *Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua: & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem (c).* Et ait ad illos: *Negotiamini, dum venio (d).* Talenta hæc dona sunt docendi, prædicandi, scribendi in communem fidelium utilitatem, inquit Apostolus Corinthios alloquens. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: alii quidem sermo sapientie; alii sermo scientie . . . alii interpretatio sermonum (e).* Quod ad Romanos scribens repetit. *Habentes donationes secundum gratiam indifferentes . . . sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando &c. (f).* Cedo. Quo in sensu accipis hoc Christi oraculum? *Negotiamini dum venio.* Audi S. Thomam, omnium Patrum ore edisserentem. *Negotium est prædicatio verbi Dei; & pecunia Domini sunt eius eloquia, probata sicut argentum, Psal. xi. mentibus hominum feneranda (g).* Et S. Ambrosius: *Alia est pecunia fenebris, alia doctrinæ celestis usura (h).* Quoniam, subdit Angelicus ibidem, in sensibilibus divitiis debitores, quantum recipiunt, tantum eos reddere necesse est; & nihil plus ab eis queritur. *In divinis autem eloquiis non solum ad custodiam obligamur, sed etiam multiplicare monemur. Hæc est omnium Patrum doctrina. Pecunia (inquit Hieronymus) est prædicatio Evangelii, seu sermo divinus, qui dari debet ceteris Presbyteris, qui possunt pecuniam duplicare, & cum usuris reddere (i).* Qui hæc talenta aut voce, aut scripto negotiari pro virium diversitate neglexerint, eosdem gravissimas pœnas duros, Dominus ipse minatur. Innumeri sunt Theologiæ christianæ tractatores (inquunt iterum censores isti) abundat ætas nostra, immo redundat librorum copia. At propterea ne quia alii uberrimo cum lucro negotiati sunt talenta sua; nos a negotiationis nostræ debito liberi sumus? Quia alii legem imple-

(a) In Psal. cxviii. con. 32. (b) Lib. I. de Trin. cap. III. (c) Matth. xxv.
(d) Luc. xix. 13. (e) I. XII. Cor. (f) Rom. xii. (g) In Catena. Luc. xix.
(h) Lib. VIII. in Luc. (i) Comment. in Matth. cap. xxv.

vere; tu forsitan eiusdem negligendæ privilegium tibi comparasti? Huc sane recidunt censorum vanissimæ argutationes. Sed evangelica parabola illorum obstruit ora. *Accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratum sum. Ait illi dominus eius: Euge serve bone . . . intra in gaudium domini tui. Accessit & qui duo talenta acceperat, & ait: Ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus: Euge serve bone . . . intra in gaudium domini tui (a).*

VII. Clamant iterum Aristarchi eadem molestissima cantilena. Celeberrimi, sapientisque viri, ingenio, eruditione, eloquentia, ceterisque dotibus apprime ornati præclara edidere volumina. Tu ne istorum sapientiam scriptionibus tuis æquabis? Tot ne tibi ad scribendum, quot illis talenta? Minime gentium, fateor; sed illis quinque, mihi unum datum est. Quid tamen, si hoc unum otiosum servavero? Audiant & contremiscant censores isti. *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti; & timens abii, & abscondi talentum tuum in terra . . . Dominus autem dixit ei: Serve male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis . . . Inutilem servum eicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium (b).* Quoniam igitur ego non decem, non quinque, non duo, sed unum accepi talentum; ideo fas erit mihi cum servo nequam in sudario illud repositum tenere? Quia refulgere inter primos christianæ Theologiæ tractatores non valeo, ideo ne sine culpa possum & otio diffuere, & recondere donata talenta? At numquid talenta prædicatione, aut scriptione tantum negotiationi exponuntur? Ille confessiones excipit, hic laudes Deo pangit. Bene habet. Qui ad hæc tantummodo peragenda talenta acceperunt, his fungantur, & sileant. Alii vero, quæ amplius præstare valent, perficere non omittant. Sed quid diutius istorum ineptias, superbia, invidentiæque congestas, refellimus? Terribilem potius formidandamque parabolam attento animo meditetur omnes, nobisque, quoad possumus, caveamus ne cum ingrato, & infideli servo nos quoque damnemur. Humili itaque demissoque animo quisque talenta a divino largitore accepta, sive multa, sive pauca, sive magna, sive parva, negotiari totis conatibus fatagat, si æternam evitare cupit damnationem. *Meditare (inquit S. Gregorius Magnus) in Dei tabernaculo non solum phiala, sed præcipiente Domino etiam cyathi facti sunt (c).* Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos vero parva, atque angusta designatur scientia. *Alius doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat. Per hoc ergo quod dicit, phialam porrigit. Alius quod sentit, utcumque denuntiat, & per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo, idest in sancta Ecclesia positi, si per doctrinam sapientiam ministrare phialas minime potestis, in quantum pro divina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date (d).* Quisque ergo cum S. Augustino dicat: *Et nos, licet tantilli . . . in agro Dei, quod est cor vestrum, verba Dei seminamus (e).*

VIII. Tandem fortasse non deerunt critici homines adeo tetrici, & imperiti, qui contra ipsam operis istius epigraphem virgam censoriam sint extensuri. Quid, inquit, opus istud inscriptisti THEOLOGIA CHRISTIANA? An non christiana aliorum Moralistarum Theologia? Tuo ne operi foli hunc vindicas magnificentum titulum? Qui ita desiperent, ingenii sanitate se carere patefacerent. An & Ethnici suam non habent Theologiam, & quidem triplicem, ut diserte S. Thomas asserit? *Videtur Apostolus triplicem Theologiam tangere Gentilium. Primo quidem civilem, que observabatur a Pontificibus in adoratione idolorum in templo. . . . Secundo*

(a) Matth. xxv. (b) Ibid. (c) Exod. xxxvii. (d) Homil. vi. in Evang.
(e) Tract. de Epic. & Stoic. cap. I.

Theologiam fabularem, quam Poeta tradebant in theatris . . . Tertio Theologiam naturalem, quam observaverunt Philosophi in mundo, partes mundi colentes (a). Iure ergo Theologia nostra, ut ab ethnica distincta nuncupatur *christiana*. Quid quod liber ipse in quo prima religionis nostrae rudimenta pueris tradenda continentur, **DOCTRINA CHRISTIANA** inscribitur? Quid plura? Primus ne ego morum doctrinam *christianam* appello? Legant imperiti critici opus Merbessii inscriptum: *Summa christiana*. Legant alterum opus *Besombes*, quod similiter hanc præfert titulum: *Moralis christiana*. Catholicorum nemo nisi christianam docet Theologiam. Quod non omnes in operum suorum fronte id exprimant, propterea ne vetitum mihi erit id præstare? Sed quid adversus insulsam, vanamque critice verba congero?

C A P U T I I.

Ex tot religionibus UNA est salutis arca: & in tanta opinionum multitudine UNA est vera doctrina morum quæ ducit ad vitam.

I. **V**idere mihi videor, lector optime, te ex sola propositi tituli lectione commoveri. At commoveor & ego, totisque artubus contremiscens me cohibere haud valeo, quin exclamem: *O altitudo divitiarum sapientia, & scientia Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius (b)!* Quid inde? Numquid commotio nostra, numquid terror noster efficiet ut quod verum est, verum non sit? Numquid neganda veritas, quia tremenda, quia formidanda, quia viis nostris, quia anticipationibus nostris adversa? In id ergo incumbendum ut videamus, num verum, num certum sit quod utraque thematis parte proposui. Sed, antequam exordium capio, hoc velim firmiter tibi persuadeas, quæ dicturus sum, non illud tendere ut rigore nimio, iniqua severitate, vanisque terrore mentis te opprimam, aut ad desperationem (quod absit) te impellam; sed potius solummodo ut te ad saluberrimum Dei timorem, qui sapientiæ cælestis initium est, excitem; ut animum tuum ad christianæ Theologiæ studium suscipiendum, atque perficiendum præparem, ac disponam; ut demum ipse cum metu & tremore operari & tuam, & aliorum salutem pro viribus adnitaris.

II. Perge porro. Quemadmodum duo sunt religionis diviniæ capita prima, unum quod credenda proponit, alterum quod agenda imperat; ita duo sunt extrema potissima iisdem opposita, summa diligentia cavenda. Primum est Lutheranorum, atque Calvinistarum, qui salutis negotium plus iusto fidei committunt: huic iustificationem, huic sanctitatem, huic gloriæ coronam adiudicant. Contra, Scripturæ sanctæ prædicant equidem, fidem esse primum salutis nostræ initium; at continuo subdunt, fidem hanc per se solam nequaquam sufficere, quæ, sanctis operibus destituta, mortua est; sed eam fidem nos salvos facere quæ per caritatem operatur. Ex hac igitur fide christianus homo pie, sobrie, & iuste vivit. Fides hæc spem comitem habet, & caritatem, quæ, teste Apostolo, omnium maior est, quæque, duabus primis expulsis, nobiscum in cælis æternum manebit.

III. Alterum oppositum extremum est illorum hæreticorum quos *Tolerantes* vocant, scilicet non tam fidem, quam mores spectandos esse; & quemlibet in sua religione, admissis paucis Evangelii articulis, quos *fundamentales* appellant, posse salvari. Hæc duo extrema ut caveamus, omni studio & contentione curandum nobis est ut primum omnium mentem nostram tam fidei, quam morum doctrina imbuamus; ac deinde ex parte voluntatis operum sanctitas consequatur.

Quan-

(a) *1. Cor. 13. in cap. 1. Epist. Pauli ad Rom. (b) Ad Rom. XI.*

Quandoquidem numquam voluntas recta est in agendis, intellectu errante sive in dogmatum, sive in præceptorum doctrina. Qui vera doctrina negligunt suam mentem excolere, turpissime decipiuntur, si voluntatem suam circa res agendas rectam esse posse arbitrantur.

IV. Nos Catholici ob singularem Dei erga nos clementiam in arca veræ diviniæque religionis collocati sumus, tamquam electus populus, gens sancta, regale Sacerdotium. In hac arca, in hoc Dei templo constitutum Hebræorum populum, sibi plaudentem adversus infideles, sic redarguit Hieremias; *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini: Templum Domini est. Quoniam, si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra, si feceritis iudicium inter virum & proximum eius habitabo vobiscum in loco isto Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari &c. . . . Proiciam vos a facie mea (a).* Quis ad hæc animum intendens, non contremiscat? Populus ille electus veram profitebatur religionem, ceteris gentibus cultum idolorum sectantibus; sed quia in morum doctrina aberrabat, divini furoris pœnas subiit.

V. Nos, viri fratres, catholici sumus, Dei templum inhabitamus, vera dogmata, omnesque a Deo revelatos articulos divina fide credimus. Una est religionis nostræ circa fidem doctrina. Numquid circa mores item una est doctrina nostra? An non innumeræ potius apud nos de actionum bonitate, & malitia dissidentes invicem, ac mutuo pugnantes sententiæ inveniuntur? At, quod peius est magisque dolendum, an non pugnantibus doctrinis respondet vitiorum cum virtutibus pugna, bellumque implacabile? An non scelerum, flagitiorumque illuvies usquequaque grassatur? Si ex morum contagione fere universali, atque raritate virtutum ratiocinari liceret; nonne in paucis sanam, in multis doctrinam falsam vigere recte colligeremus! Peccant sane multi, non mentis errore, sed aut infirmitate naturæ, aut animi pravitate. At innumeri sunt qui opinionum falsitate flagitia excusant, & obtegunt quodam fuce honestatis. Quid itaque cum electo olim, & nunc improbatæ populo clamamus: *Templum Domini, Templum Domini?* Religio catholica, Religio catholica? An non timendum nobis pariter divinam immingere vindictam? *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes &c.* Sectarii extra salutis arcam variarum religionum fluctibus exagitati naufragantium instar altercantur invicem, hanc veram esse, falsam illam, & quemquam in sua religione salvum fore contendunt. Illorum cæcitatem, & amentiam ipsi lugemus, pro certo habentes, unum baptisma, unam fidem esse salutis viam. At clamant ipsi adversus doctrinas nostras de morum sanctitate omnino oppositas. Quid responsi dabimus? Anne error in morum doctrina præmium assequetur, in fidei vero articulis æternas dabit pœnas? An non eodem odio Deus errorem, ubicumque sit, detestatur? Non me latet, Theologum catholicum, & quidem pium, scribere. *Cum Magister veritatis sis, adeo humane condescendis inscitia, ut in tuo veritatis tribunali error incupit & ipsam coæquet veritatem. Eum enim non accusas, sed excusas, non plæctis, sed præmiaris; ipsam tuam legem habendo pro non lege, & tuam non legem habendo pro lege; si lex ut non lex, & non lex ut lex invincibiliter proponatur (b).* At quis est qui tam absurdam opinionem non detestetur? Si Deus errorem inculpatum, æque ac veritatem remuneratur; inquirendæ veritatis mandatum in nihilum abit. Si Deus legem suam pro non lege, & non legem pro lege; ita & fidem suam pro non fide sua, & non fidem pro fide sua habebit. Quæ monstrosa paradoxa cui, quæso, horrorem non ingerunt? Errorem excusare a culpa, si invincibilis sit, certum est. At non propterea ad cælum evehit, ut præmium promereatur. Quod veram religionem catholicam ignorare quis invincibiliter possit pro aliquo rem-

(a) *Cap. VII. (b) Carolus Antonius Casnedi in Dedicacione Tom. II. Ad Christum Iesum.*

tempore, inficias non eo. At extra religionem catholicam aliquem posse saluum fieri, falsum omnino reputo: idque in hoc ipso Tomo evincam. P. Michael Elizalde Societatis Iesu, quem inter elapsi sæculi summos sapientes constituit Cardinalis Pallavicinus, hæc fatur. „ Probe equidem scio, non modo in amotissimis „ gentibus, sed in ipsis etiam Italiæ finitimis, & ipsos inter Catholicos commixtis „ hæreticis admitti a quibusdam infidelitatem negativam, & hæreses invincibiles, „ & sceleris innoxias. Sed, quidquid de his erit, illud mihi firmum est, & præ- „ ter omnem opinionis formidinem certum, indubitatumque, extra Ecclesiam „ catholicam tam salvari neminem quam in diluvio extra arcam evasit nemo (a). „ Tantæ sapientiæ, & pietatis Theologum vidi nullum qui oppositum tam asseveran- „ ter pronuntiet. Hanc veritatem, nulla distinctione facta, confirmant Patres om- „ nes. Unum nunc referre sufficiat Augustinum epif. cxli. alias cxlii. *Quisquis ergo „ ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet se vivere existimat, hoc solo scelere „ quod a Christi unitate disunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet saper cum.* Verum, ut Lectorem meum cuicumque errandi periculo subducam, fingam modo, posse aliquem idiotam hæreticum, extra arcam materialiter, ut pauci iuniores opi- nantur, extantem, salutem assequi; hoc tamen omnes asserunt perrarum esse, & valde difficile, & numquam hoc de doctoribus, magistris, ac pastoribus sectarum concedendum, omnes fatentur; cum inculpatus error in istis esse nequeat. De aliquo autem perraro eventu nullus nobis in præsentia sermo est. Quo in sensu intelligas velim quæ leges *Lib. I. diss. II. cap. XIII.*

VI. Nulla itaque falsa religione, quantumvis certo vera existimata, iuste, & recte Deus colitur. Et falsa doctrina morum, quia vera reputata, poterit Dei gloriam amplificare, morumque sanctitatem fovere? Quæso ad mentem revocemus Scripturæ oracula, quæ propositi argumenti veritatem perspicue demonstrant. Propterea Isaias clamat: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes (b).* Omnis falsa doctrina, ut advertit præfatus P. Elizalde, dicit malum bonum, & bonum malum; errorem pro veritate, & pro errore veritatem obtrudit. Intonat Christus Servator noster divinus Evangelistæ Matthæi voce: *Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum (c)* Doctrinæ falsæ, non Dei, sed hominum sunt. Sola autem doctrina Dei Deo animas iungit. Omnis quippe veritas a Deo est. Sinè causâ autem Deum colunt qui non Dei, sed hominum doctrinas persuadent; servandasque proponunt. Aliud rursus divinum oraculum meditemur: *Est via quæ videtur homini iusta, novissima autem eius deducunt ad mortem (d).* *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia (e).* Ut formidanda, quam proposui, veritas clarior tibi sit, exemplo viæ materialis eam patefacio. Romam pergere contendis. Viam arripis quam tu ducere Romam firmiter credis; at revera ducit Constantinopolim. Iter conficis hoc firmo animo adeundi Romam. Cedo. Viam istam obambulans, Romam ne pervenies umquam? Inculcata erit deceptio tua, qua falsam pro vera viam existimasti. At interim via falsa numquam te Romam ducet. Tumesce confectarium tenes. Dum viam falsarum doctrinarum, sive fidei, sive morum, percurris, numquam per illam ad cælestem ac beatam vitam pervenies. Iusta tibi videtur, vera, & recta hæc doctrinarum via. Esto. At novissima eius, Salomone teste, deducunt ad mortem, ad æterna supplicia. Vel si id potest summum a culpa excusare, neutquam certe valebit ad cælum perducere.

VII. Cum his, quæ hæctenus retuli, divinis oraculis conferas nunc velim opinio- num

(a) *Quæst. I. S. 4. de recta morum doctrina.* (b) *Cap. v.* (c) *Cap. xv.*
(d) *Proverb. XIV. 12.* (e) *Ibid. cap. XII. 15.*

num circa mores incredibilem varietatem, & miram vicissitudinem. Nam quæ olim probabiliora, nunc minus probabiliora iudicantur. Sententiæ quæ uni placent nationi, displicent alteri; & quæ una ætate assentientes magistros habent, altera ætate obsolescunt, & inveterascunt. Sed quid tempora, quid nationes commemo- ro? Intra eandem urbem, in eadem domo, eodem tempore Theologia unius cubiculi ab alterius cubiculi Theologia discrepat, & cuique sua probabilior apparet; aut, si probabilior, saltem minus probabilis; quod Probabilitatis sat est. *Quorum opiniones (in- quit vel ipse Tullius) cum tam varie sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto po- test, ut earum nulla; alterura certe non potest, ut plus una vera sit (a).* Sola autem veritas, non probabile, non probabilior, si falsum sit, ianuam cæli patefacit. Videbis in eodem cœtu alterum suum habere casuum moralium Collectorem, alterum suum legere Moralistam. Mutuo dissident. Contendit unus: Hæc mihi opinio probabilior est. Opposita, inquit alter, mihi probabilis est. Minus quidem, subdit tertius, proba- bilis altera mihi apparet Casuistæ mei doctrina; at id mihi fat est. Tu tene tuam, ego meam. Quod dissidium his verbis explicat Optatus Milevitanus. *Vos di- citis, Licet; nos dicimus, Non licet. Inter licet vestrum, & non licet nostrum mutant, & remigant animi populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis, omnes contentiosi homines sumus. De calo querendus est iudex (b).* Hodie vi Probabilissimi utrique parti fit sa- tis: & utrumque licet, tamen contrarium, per oppositas vias ad cælum ducet?

VIII. His omnibus constitutis, quisque serio perpendat, quam verum id quod proposui, quamque formidandum sit, unam scilicet & religionis, & morum do- ctrinam illam esse quæ affeclas suos ad vitam perducit sempiternam. Quis sibi in animum inducet ut credat, Deum tantopere in religionis negotio, secus in mo- rum doctrina, veritatem amplectendam imperare? Quis dixerit, divinam provi- dentiam pro regula sanctarum actionum nobis designasse vagam illam, volubilem- que probabilitatem quæ vix in eadem æde una est, quæ tot subit mutationes; quot sunt hominum cerebra? Nemo sane qui vel a limine salutaverit divinas Scri- pturas. Quid enim hæc passim hortantur? *Lex tua veritas. Mendaces filii hominum in stateris. Statera dolosa abominatio est apud Deum. Quarumcumque rerum mensuræ uniformes, constantes, & notæ. Sola ne morum mensura pro ingeniorum diver- sitate vaga, inconstans, uni maior, alteri minor? At hoc improbat Deus: Pon- dus & pondus, mensura & mensura: utrumque abominabile est apud Deum (c).* Sed ad rem nostram luculentius per Michæam Prophetam contra mensuras minores in- vehitur. *Mensura MINOR ira plena (d).* Hoc solum formidandum sane oracu- lum a minoris probabilitatis mensura me absterret, etiamsi aliunde falsam illam non cognoscerem. Sermo quippe Prophetæ est de morum mensura, cum ibidem in- clamet: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te.* Nos dicimus malum bonum, & bonum malum. At numquid, pergit Propheta, *iustifica- bo stateram impiam, & sacelli pondera dolosa? Stateræ falsarum opinionum dolosæ sunt apud Deum, quia decipiunt animas; licet pia intentione existimentur rectæ. Quare concludit Michæas: Apprehendes, & non salvabis: & quos salvaveris, in gla- dium dabo.* Istius textus commentationes alibi tradam. Obvius ceteroquin illius si- gnificatus. Bona intentio, & firma persuasio, qua quisque credit suam religionem, reipsa falsam, esse veram, ad salutem assequendam minime sufficit. Paulus, in discipulos & fideles Christi furens, obsequium se præstare Deo certe credebat; & tamen ignorans peccavit. Valde ergo ad sectariorum extremum declinare viden- tur ii qui sibi blandiuntur, bonam intentionem fat esse ut quisque sua de moribus probabilitate, tamen falsa, æterna assequi præmia valeat.

IX.

(a) *De nat. Deor. Lib. I.* (b) *De schism. Donatist. Lib. V. §. 3.* (c) *Prov. xx.*
(d) *Mich. cap. vi.*

IX. Definita, inquis, sunt in religionis negotio credenda dogmata: idcirco nulla de hisdem falsa suffragatur opinio. At de morum malitia, vel honestate libere disputatur in utramque partem. An non fuerunt inter Patres ipsos diffidia, disputationes, & pugnae litterariae? An non datur ignorantia invincibilis plurium veritatum? Hæ sunt argutationes, & sophismata plurium iuniorum, millies contrita, & quæ hoc in opere ad nihilum omnino redigentur. Ex uno aliquo, & perraro eventu regulam isti generalem colligunt. Quinam Patres in contrarias partes disputarunt, num prima illa divina mandata fidei, spei, amoris Dei, & proximi obligent per se in toto vitæ cursu, aut quolibet quinquennio? Quis illorum disputavit, urgeat ne præceptum diligendi proximum actu interrao? Quinam Patres, Doctoresque sancti pugnantes sententias invexerunt, num licitum sit occidere eos qui prævidentur calumniosi, & infensi honori proprii coetus? Quinam disputarunt in oppositas partes, liceat ne comedere, & bibere ob solam voluptatem; adiuvare herum ad stuprandam virginem; eam osculari, amplecti; absolvere concubinarium, non dimissa concubina; iurare sine animo iurandi; simulare sacramenta ob metum gravem; munera offerre iudici, ut iniuste iudicet; occulte furari compensationis titulo; fenerari, mentiri materialiter; restitutionem difficilem procrastinare; contractus trinos inire? Quinam Ecclesiæ Doctores per tredecim & amplius sæcula sexcentas alias quæstiones, quibus abundant iuniorum quorundam volumina, quibusque in discremine adducuntur mandata divina fere omnia, excitarunt umquam? Conferantur opera omnium Patrum, Doctorumque Ecclesiæ cum unius Dianæ, aliorumque similium Casuistarum libris; ut inde maxima inter utriusque partis doctrinas distantia, & oppositio deprehendatur. Perrarum fuit inter sanctos Ecclesiæ Patres, beatosque viros de morum integritate diffidium. Ignorantiam invincibilem aliquarum veritatum admitto. At omnibus Ecclesiæ Patribus, omnibusque antiquis Theologis, in quibus præiudicata sententiæ nullæ fuerunt, monstrosa, & inaudita est illa ignorantia quæ majori lumini oculos claudit, ut aperiat minori; &, reiecta maiori verisimilitudine, constanter minori adhæret. Hoc invincibilis ignorantia portentum universæ antiquitati cum sacræ, tum profanæ incognitum. *Mensura minor ira plena.*

X. Verum enimvero post hæc omnia loquatur tandem divinus Doctor gentium, & veritatis præco Paulus Apostolus. Inquit autem: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria concerpabunt sibi magistros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (a).* Primum omnium advertas velim, S. Paulum minime prædicere, futuros magistros, qui nimio zelo correpti aggravent iugum Christi, nova onera imponant, divinamque legem æquo severiorem efficiant. Sed eos decursu temporis Theologos venturos fore ominatur, qui divina mandata fucis, & blanditiis delibuta populorum desideriis accommodent, eorum auribus pruriant, & sensus titillent: qui, sana doctrina reiecta, opiniones blandas, & consentaneas humanis appetitionibus evulgando, populos illiciant ad talium doctrinas ambabus ulnis excipiendas. Alterum magnopere perpendendum est, nempe magistros istos iam a multo tempore advenisse, immo omni tempore plus minusve extitisse, & futuros esse. Hoc luculenter testatur apostolica Sedes, voce ALEXANDRI VII. cuius verba infra dabimus. Quid quod vel ipse Probabilissimi reflexi facile Princeps, & quidem benignus P. Antonius Terillus S. I. apertissime testatur, & verbis sane amarulentis, atque aculeatis deplorat, sæculo potissimum elapso, talium magistrorum multitudinem inundasse in moralis Theologiæ agrum? Pauca tantum delibabo ex multis quæ is in magistros eiusmodi contorquet. „ Innumerabiles sunt qui a 30. annis (post natum „ Pro-

(a) II. ad Timoth. IV.

„ Probabilissimum) in opiniones laxiores oculos animumque coniecerunt, „ gnari præ omnibus vulgo placituras Vidi ego ex hisce recentioribus „ nonnullos, viros ceteroquin egregios (N. B.) qui cum in rebus summi momenti ad Dei legem, & conscientia obligationem pertinentibus, ab unanimi „ omnium sententia, ad intolerabilem laxitatem declinassent, aliud tamen, quo moverentur, argumentum, quam a simili ductum, non habebant. *Vidi & exhorruui.* „ Neque hic stetit quorundam audacia. Plurimi enim, etsi doctrina longe inferiores . . . „ ex laxis resolutionibus ad alias laxiores iter sibi, rectius dixerim, & sibi & aliis precipitium aperuerunt. Nec desuere qui laudi sibi verterunt laxiores sententias in UNUM „ COLLIGERE, easque tamquam legitimas conscientia regulas sub specioso Probabilitatis „ tegmine venditare. Immo incredibile non est eos subtili SATANÆ insinuatione deceptos, „ sub humanitatis cuiusdam lenocinio, mutuique honoris specie, quibusvis aliorum dictis „ probabilitatem ideo attribuisse, ut quam ipsi prerogativam prioribus ultro dedissent, eam „ ipsis posteriores non inviderent. Hac arte dolosus inimicus, postquam doctiores, qui „ & sibi invigilare, & aliis prospicere debuerant, prægustato plausu amplioris fame „ per laxarum opinionum evulgationem sibi certo acquirendæ fascinasset, per eos „ nimis incautos in campo Moralis Theologiæ optimo, severarum opinionum abunde „ sato, detestanda laxitatis zizania superfeminavit, & abiit. Conscius quippe erat, ea „ absque boni tritici iactura numquam evellenda (a) “ Quid si ego talia scriberem in „ Probabilistas? Et tamen, divina providentia sic disponente, talia scripsit vel ipse „ benignissimus Probabilista Terillus, plurium laxarum opinionum & ipse Auctor. „ Magistri isti publicis typis in lucem dedere ingentia volumina laxarum opinio- „ num, & sibi, & aliis precipitium aperuerunt, inquit Terillus. Quinam isti, ut ab „ iisdem lectores cavere queant? Quinam? Qui laxius scripsere. Porro si ego dice- „ rem, laxius omnium scripsisse Caramuelem, Dianam, Tamburinum, Escobarium, „ Sanchezium, Lacruzium, Zanardum, Bonacinam, Elbelium, Sporerium, & sex- „ centos similes; continuo reclamarent diversi Instituti affectæ, & singuli suos a la- „ xitatis nota vindicarent. Et tamen urgere ego illos possem, & ad incitas redigere, „ ut alterutrum præfent. Nempe aut designent ipsi innumerabiles illos magistros qui, „ sana doctrina reiecta, teste ipso P. Antonio Terillo, laxitatum fabulas invexerunt: „ qui sibi, & aliis precipitium aperuerunt: qui sub satanæ insinuatione prægustato plausu „ amplioris fame laxarum opinionum zizania superfeminarunt in Moralis Theologiæ campo. „ Aut, si ipsi designare nolint innumerabiles istos magistros, quos futuros prædixit „ S. Paulus, & advenisse vel ipse Terillus confitetur; concedant necessum est eius- „ modi magistros esse illos quos indicavi, aliosque plurimos qui similem opinandi „ modum sequuntur. Pateret ne aliqua ad effugium rima, si ita ego argumentari „ vellem?

XI. Verum ipsos Ecclesiæ Patres audiamus, qui eiusmodi magistrorum caracteres nobis patefaciant. S. Thomas sic Paulinum textum interpretatur. *Sana doctrina est que non habet admixtam falsitatem. Ergo sanam doctrinam non sustinebunt, dum veritatem nolunt audire, Osæ IV. Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra (b).* Sola ergo doctrina vera sana est. Doctrina, sive probabilis, sive probabilior, si admixtam falsitatem habeat, sana non est. Quanta ergo industria inquirenda veritas est, & pro viribus eidem accedendum, divinumque auxilium implorandum, ut comparetur? Laudatum Apostoli textum sic item exponit S. Ambrosius. *Tales futuros esse dicit, qui pro desideriis doceri velint, & a magistris constantibus, & veracibus ad hos convertantur, qui hæc illos doceant que libenter audiunt: quia veritas illis aspera est.* Omnes uno ore fatentur, asperam, rigidamque esse hominibus veritatem, quæ pompis vanis, gulæ, avaritiæ, superbiæ, ceterisque vitiiis bel-

(a) In præf. ad Tract. de conscient. (b) Lect. I. ib.

bellum indicit. S. Anselmus hanc adiecit interpretationem. *Sanam doctrinam non sustinebunt; sed velut onus grave reiciunt eam ab humeris suis. Non enim sustinebunt, sed ad sua desideria complenda coacervabunt, idest acervum sibi congregabunt magistrorum, qui doceant eos ea quæ desiderant: ipsi, dico, prurientes auribus spiritualiter fornicantibus. Nam sicut caro quæ prurit, semper vult fricari; semper aures eorum sic cupiunt audire verba quæ errores doceant, & ad delectationes illiciant: & a veritate auditum avertent, idest fugient audire sermonem veritatis, quæ illis erit aspera, quia non mulcebit eos.* S. Ioannes Chrysostomus exponens hoc verbum, coacervabunt, inquit: *Indiscretam, confusamque significat Doctorum multitudinem. Et præter Chrysostomum, & Anselmum, S. Thomas addit: Coacervabunt, idest multiplicabunt. Loquimini nobis placentia: & hoc est secundum sua desideria, quia unus vult audire unum, alius alium; & sic querunt diversos magistros. Plures iuniores quæstionem instituunt, num tuto quis possit circumire civitatem, & plures adire Doctores, nec unum inveniat sibi obsecundantem. An in conscientia tutus sit habens usum atque propositum varios Doctores consulendi, donec aliquem ad libitum suum respondentem inveniat? Respondent autem licitum id esse, quando id præstet recta investigandi intentione, an ea opinio sibi favens sit probabilis, animo firmo nil mali efficiendi; sed id solum quod sibi licere invenerit. Quia unicuique ius est, ius suum protegendi, & ad id rationes querendi. (a) Audistis? Non querunt, an opinio sit vera, sed an sit probabilis. Præter eo peiora, quæ de hac plurimum Doctorum consultatione docent. Qui plures Doctores consulunt, donec inveniant aliquem unum sibi faventem, ideo hoc incommodum suscipiunt, ut duo assequantur. Unum est, ut peccatum evitent: si enim peccare aperte vellent, nullum consulerent Doctorem, sed omnibus nuntium remitterent. Alterum, ut absque peccato ea peragere possint quæ sibi ardent, beneficio opinionis probabilis. Idcirco enim quæritant, non ut inveniant veritatem, sed ut sciant an opinio sibi favens sit probabilis. Ut autem sit probabilis, sat est eam a tribus quatuorve Casuistis doceri. Num vaticinium Apostoli Pauli eiusmodi Christianos carpat qui reipsa coacervare plures Doctores sibi faventes student, ceteri iudicent.*

XII. Ut plenius percipias divinæ prophetiæ sensum, nolo ego meis verbis eam fusius interpretari. In medium proferre mihi liceat interpretationem quam exhibet sapientissimus, atque piissimus P. Michael Elizalde Societatis Iesu Theologus celeberrimus, qui post allata Patrum testimonia hæc adiecit: „ Similes scilicet homines libenter audient parvitatem materiæ in re venerea; *plexus nescio quos, & oscula, quæ ad delectationes illiciant, licere; occasionem periculosissimam his & illis de causis domi retineri posse; ex pecunia mutuata propter hoc & propter illud, cum pignore quidem octo, sine pignore decem aut plus etiam ultra sortem tuto accipi; & hoc genus plurima libentissime mundi homines audiunt, quæ secundum desideria carnis sunt. Illud etiam in Paulo significatissimum est. Erit enim, inquit, tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt.* Hoc enim non paucorum, sed quasi universalem, ac fere omnium pravam dispositionem significat: ut si diceret: Erit tempus in quo homines seminare nolent: non enim erit, erunt aliqui; sed *Erit, inquit, tempus, in quo sanam doctrinam non sustinebunt; ut si dicas: Erit tempus in quo non pluet.* Hæc iuxta doctissimi Theologi, & ipsius Apostoli, atque omnium Patrum mentem accipias velim, nempe plurimos sane reperiri qui veram, sanamque doctrinam sustinere recusent. Numeri vero huius amplitudinem Deus solus definire valet. Familiaris est Scriptoribus sanctis hic loquendi modus, ut ingentem prodant multitudinem. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Omnes avaritia student* &c.

(a) Lege Thomam Sanchez Lib. I. in Decal. cap. IX. num. 24.

&c. Sed hæc veluti per parenthesis. Persequamur interpretem, qui ita pergit clariusque se se explicat.

„ Sed hoc modo omittamus. Illud in præsentia vides de quo tractamus, adesse scilicet hic Doctores & magistros permultos, & tamen peccare ipsos, & peccare sequentes; neque haberi ex tot magistrorum dicto aut probabile ab extrinseco, quod regula sit, aut ignorantiam invincibilem, quæ in totum a peccato sequentes excuset; sed cæcos sequentes cæcos alios, utrosque in foveam, ut veritas dicit, cadere. Vides item totum, quantum & in textu, & in glossis, in hoc pauculo esse repositum, quod sanam, idest veram, doctrinam audire nolint, & alias, quam veritatis, doctrinas quærant, & alios, quam veritatis, magistros, & Doctores congregent, neque vero eorum quantamcumque multitudinem excusare.

„ At inquis, hos de quibus Paulus scribit, ultro scientesque, ac mala fide hos magistros congregatos, quorum proinde auctoritate excusare se nequeant: nihil porro simile hæctenus saltem fidelibus nostris accidisse, qui propterea tuti sunt, magistrorum, quoscumque sequantur, auctoritate, & testimonio: quos scilicet bona fide simpliciterque adeunt. Rursus illi sanam doctrinam non sustinebunt, nostri omnes sustinent: illi a veritate auditum avertent, nostri non avertunt: asperaque demum eis veritas erit, non nostris. *Nulla ergo textus particula nostris hominibus congruit.*

„ Sed vero ista frivola sunt. Nam illi de quibus scribit Paulus, aliquid sibi profuturum existimabunt coacervatorum magistrorum auctoritatem. Alioquin quorsum eos coacervarent? Nam, si profus mala fide peccare, scienterque peccando desideria complere sua vellent (hoc sciunt omnes) nullis magistris, nulla eorum auctoritate opus esset, ut patet. Hæc ergo contingunt, quemadmodum plus minus apud aliquos nunc quoque contingunt, qui habent desideria implicentia. *Nam ex una parte peccare, damnarique nolent; ex alia vellent desideria explere sua, pecunias cumulare, non solvere, gaudere, letari, mundoque frui. Ut itaque ista duo concilient, conscientiamque vel sopiant, vel semisopiant, & quantum possunt, se excusent, & abscondant, magistros querunt, non qui vera, sed qui a se desiderata doceant. Atque hoc passim experimur: & si, quod volunt, non respondeamus, alios adeunt, ubi quod volunt inveniant. Iam porro sane doctrina, hoc est vera, quanta est cura? Utrum enim magistros habeant, vel non habeant, hoc unum multi curant; utrum verum, vel falsum dicant, prætereunt. Experti loquimur. Profanum adeo mundum, scotaturasque tange, & ita de aliis non tot quin pluribus, & invenies illud III. Reg. XXI. Et ait Rex Israel ad Iosaphat: *Remansit vir unus, de quo possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Veritas illis aspera videbitur, fugient audire sermonem veritatis, quæ illis erit aspera. Nam, ut Augustinus in Lib. Confess. docet, odio amant veritatem, sed quod amant, volunt esse veritatem. Denique volunt magistrorum, si quos invenerunt, auctoritate se tutos & salvos. Atque hoc est quod modo refellimus, neque magistros ipsos, neque sequentes tutos esse. Nam quod nunc allegare possunt pro sua immunitate, hoc idem in terminis allegare illi poterunt quos Paulus insequitur. *At illis ad excusationem non valebit. Ergo neque nunc valet. Et forte illud TUNC EST NUNC (a).**

XIII. In hanc apostolicam doctrinam animum serio intendat lector salutis suæ studiosus. Sicut Christianorum nemo adeo amens, & perversus est, qui ideo Theologos inquirat, ut decipi velit; ita nemo Theologorum ita stultus, & improbus est, ut expresse & data opera pervertere doctrinis, quas ipse reputat falsas, fideles intendat. Vel illi qui loquuntur placentia & blanda, sibi persuadent, consenta-

(a) Part. II. Lib. VI. quest. VI. §. 3.

taneum esse legis rigorem delinire, viamque salutis faciliorem opinionum benignitate efficere. His præventionibus occupati, nobis impropertant, quod iugum Christi gravemus, quod conscientias angustiarum laqueis torqueamus, quod fideles, doctrinarum severitate perterrefacti a sacramentorum frequentia abstineant, atque in desperationem prolabantur. Illinc *Laxismus*, hinc *Rigorismus* impropertatur. Utrumque redargutiones, lamentationes, & querelæ. Utrumque pugna, iurgia, bella, & clades. Utraque pars a se veritatem stare contendit. Et tamen, cum una veritas sit, si illi pro falsitate, isti pro veritate pugnant, sustinent, patiuntur, illi falsitatis, isti veritatis martyres sunt. Causa vero, non poena, martyrem facit, æterna gloria coronandum, ut sapienter advertit S. Augustinus. *Cum boni, & mali eadem faciunt, eademque patiuntur; non factis & poenis, sed causis utique discernendi sunt (a)*. Tremenda, inquis, hæc sunt. Dubio procul. Quid ergo agendum? Respondet S. Ioannes Chrysostomus. *Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiremus. Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare; pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? præsertim cum habeamus exactissimam trutinam & regulam divinarum Scripturarum legum assertionem. Ideo obsecro, & oro omnes vos ut relinquatis, quidnam huic, vel illi videatur: deque his a Scripturis omnia inquirete (b)*. In pecuniarum supputatione, alteri fidem denegans, ipse rei periculum facere vis? In conscientia vero negotio, veritate neglecta, cuiusque magistri opinionibus animam fidis? Quid hac ætate nostra peragunt quamplurimi, nisi inquirere quid huic appareat probabile, & quid alteri, ut quod sibi magis favet, quisque eligat? Quid tot Scriptores moliti sunt, nisi opinionum inter Catholicos diffidentium texere censum: & alii ex aliis easdem transcribunt ut pro rebus, idest pro veritate, opiniones habeas?

XIV. Paucis nunc, quod proposui, argumentum concludo. Una ex tot religionibus est salutis arca. Una in tanta opinionum multitudine circa mores doctrina est, quæ ad cælum ducit. Nullus hic ad effugium patet exitus. Religionis veritatem assequi omnes possunt: quoniam, cum Deus salvos fieri omnes velit, omnibus auxilia sua offert, præbet, infundit, quibus & fidei dogmatum, & de moribus mandatorum veritates indispiscantur. Quid? Non negotiorum curæ, non populorum obesitas, non hominum hebetudo circa unicæ veræ religionis delectum excusant? Cur? quia providentia divina omnibus lumen effundit, ut quæ ad salutem requiruntur æternam, cognoscant, & operentur. *Fieri enim non potest (inquit S. Augustinus) quadam providentia divina, ut religiosi animis seipsos, & Deum unum, idest veritatem pie, caste, & diligenter querentibus, inveniendi facultas desit (c)*. Religio hæc, ut alias dixi, non minus agenda quam credenda imponit: non minus morum quam fidei veritatem amat. Numquid providentia divina in rebus fidei credendis Pyrrhonismum, seu Probabilismum detestatur; illum vero probat in morum doctrina? Nullius falsæ religionis, tametsi reputatæ firmiter veræ, Deus cultum ratum habet: & falsam morum honestatem gloriæ præmio donabit? An obtrudes consuetam strophem, non omnium moralium veritatum notitiam ad salutem requiri? Fac aliquam ignorari sine culpa posse. Quid inde? An sine culpa ignorabuntur veritates illæ quæ frequenter exerceri imperant fidei, spei, caritatis, fraternæ dilectionis officia: quæ promptæ restitutionis, debitorumque solutionem, & iustitiæ iura impleri mandant: quæ luxum, pompas vanas, impudicas scenas, ludos, crapulas, voluptates damnant: quæ ieiunia, poenitentiam, contritionem iubent? Harum ne veritatum, & similium, quæ ingentibus voluminibus in utramque partem a Casuistis non paucis disputantur, & cuique parti sua favet pro-

(a) Epist. xlviii. (b) Hom. xiii. in Matth. (c) Lib. de quant. anim. cap. xiii.

probabilitas, inculcata ignorantia erit? Inculcata ignorantia erit, etiam si maius lumen deliberate reicias; etiam si repudiata maiore veritatis notitia, minori adhareas, ut quod tibi favet & lubet, amplectaris? An non tibi hæc ignorantia monstra apparent?

XV. Sed, ut te fortius urgeam, quænam difficilior notitia, doctrinæ unius veræ religionis, an doctrinæ morum? Omnia Decalogi mandata, quibus potissimum nititur Moralis christiana, iuris naturæ sunt, atque humanæ menti quam maxime apta, & consentanea. Omnia fidei mysteria divinitus revelata humani ingenii aciem totam excedunt. Nonne igitur longe difficilior est horum mysteriorum quam præfatæ morum doctrinæ cognitio? Et tamen populi qui in religionis negotio Arii, Nestorii, Diocori, & aliorum, qui neque eruditione, neque ingenio destituti erant, doctrinam sunt amplexati, periere, nulla ipsis suffragante ignorantia. An æternum non pereunt modo qui Lutheri, Calvini, Socini, aliorumque hæreticorum falsa dogmata de altissimis religionis nostræ arcanis sequuntur? An efficere ignorantia potest ut qui falsæ religioni adherent, salvari valeant? Minime gentium, quemadmodum infra (e) lato calamo demonstrabo. Difficilior ergo quam maxime est unius veræ religionis notitia. Et nihilominus eiusdem ignorantia nescientes homines æternæ subicit damnationi. Facilior, immo facilissima est doctrinæ morum cognitio. Eiusdem lumen signatum est super omnium animarum vultum: eius capita summa huc revocantur: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Et huius doctrinæ sic perviæ ignorantia innoxia erit, culpa vacabit? Damnantur miseri rustici, idiotæ, & montium incolæ Lutherani, undique tenebris circumsepti, qui altissimum Eucharistiæ mysterium, & cetera Romanæ Ecclesiæ excelsissima arcana, unamque veram religionem ignorant. Catholici vero, tot divinis subsidiis muniti, & tanta divina luce circumfusi, salvi erunt; tametsi unam morum doctrinam obviam, & quam probabiliorē evidenter agnoscunt, deliberate respiciant? Argumentationem hanc sane tremendam, atque formidandam fuscè exposui in Appendice ad primum Historiæ Probabilismi Tomum.

XVI. Quæ ergo præstanda sunt, ut veritatis unica via seligatur? Duo. Primum syrtis, & scopuli, qui te ab invenienda veritate abducunt, declinandi. At quis nobis scopulos istos patefaciet? Sancta, & Apostolica Romana Sedes eos tibi ostendit voce Alexandri Papæ VII. his verbis: *Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui dolore, complures opiniones christianæ discipline relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire; & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS OPINANDI IRREPSIT ALIENUS OMNINO AB EVANGELICA SIMPLICITATE, SANCTORUMQUE PATRUM DOCTRINA; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christiana vitæ corruptela*. Modus hic opinandi a simplicitate evangelica alienus **PROBABILISMUS** est, quem cum sanctissimo Pontifice universa Gallicana Ecclesia, tamquam omnium vitiorum, malorumque fontem, execratur. Ab hac igitur syrte, ab hoc scopulo innumeris vorticibus circumdato declinandum omnino est. Modus hic opinandi adeo nihil curat veritatem, ut immo id quod ad veritatem propius accedit, respiciat: & non modo minorem probabilitatem in concursu maioris, sed vel ipsum probabilitatis spectrum pro conscientia, & humanarum actionum regula amplectitur.

XVI. Dum hæc scribo, ad manus pervenit opus novissimi Probabilistæ R. P. *Beniamin Elbel*, ex quo pauca transcribere lubet, ut etiam hinc colligas, qualis sit *modus opinandi* quorundam Probabilistarum. „ At quid, inquires, si opinio sit
Conc. Theol. Tom. I. b „ pro-

(a) Lib. I. diff. II. cap. XIII.

„ *probabiliter* dumtaxat *probabilis*, licebit ne eam *practice* sequi? “ Viden' gravem,
 „ nobilemque propositam quæstionem? Audi responsum, quod exhibet num. 205.
 „ Etsi diffideant inter se Doctores, quibusdam negantibus, aliis vero affirmanti-
 „ bus, prout videre licet apud Viva num. 10. ad propositionem 3. e damnatis ab
 „ Innoc. XI. existimo tamen quod si nomine opinionis *probabiliter probabilis* intel-
 „ ligatur illa, quæ putatur prudenter *probabilis* (nam *probabiliter*, & *prudenter* in
 „ *practicois* sunt synonyma, ait Cardenas) existimo, inquam, cum eodem Carde-
 „ na, Illung, Tamburino, & aliis pluribus, huiusmodi opinionem absque pec-
 „ cato deduci posse ad praxim: nam eo ipso quod prudenter *probabilis* suppo-
 „ natur, potest ex *principiis reflexis* concipi resolutio *practica*, quod liceat eam *pra-*
 „ *cticare*. Et hanc opinionem, utpote gravium Doctorum, sua *probabilitate non*
 „ *cavere fatetur Viva*. “

XVIII. Obiter, & veluti per transennam, unum ex tot Probabilissimi vorticibus tibi patefeci, ut evidentius perspectum habeas, *modum hunc opinandi*, qui per universam Theologiam christianam grassatur, omnium corruptelarum originem esse, ut sanctissimus Pontifex Alexander VII. testatur. Modus hic opinandi in æternæ salutis controversiis primo id quod *probabilius verum est*, repudiat; & quod minus *probabiliter verum est*, atque adeo quod *probabilius falsum est*, amplectitur. Post ultra pergit. *Opinio*, non certe *probabilis*, sed tantum *probabiliter probabilis* est optima conscientiæ tuæ regula. Cur? Quia est, inquit P. Elbel, *graviorum Doctorum*. Quinam isti *graviores Doctores*? Pauci Casuistæ, damnatarum opinionum auctores, & casuum collectores. Nam doctiores Probabilistæ tantam improbant laxitatem.

XIX. Ab his itaque Probabilissimi sirtibus, scopulis, & vorticibus tibi primum omnium cavendum summopere est. Post, ut viam veritatis ingredi valeas, præcedant necessum est iuges preces, christiana humilitas, ardens cognoscendæ veritatis desiderium, patientia in adversis, constantia in periculis. Quoniam, ut illius unde profecta oratio est, revertatur, religio nostra credendis, agendisque constet. Hæc duo, si mutuo fuerint foedere copulata, ad cælum te attollent; si eadem separaveris, in orcum præceps ruas. Fœderis istius vinculum caritas est, quæ viam inveniendæ veritatis patefacit. Hæc una inextricabiles quæstiones, quibus referta sunt plurium Casuistarum volumina, de vindicta, de odio, de compensatione, de contractibus, de restitutione, de elemosyna, nullo negotio dissolvit. Caritas hæc non alium doctorem, non iudicem alium istarum litium quærit; nisi te, quem sic velut intime alloquitur. Illius, contra quem furis, contendis, læsaque iura clamas, locum occupa. Ex te consilium pete, animumque tuum introspice: & si tu velles iniuriam tibi remitti, debita solvi, iuste tecum agi, cogita idem & alterum velle. Idem igitur alteri præsta quod tibi præstari ab illo velles. Ulterius progredere. Indue, quæ caritatem comitantur, virtutes, patientiam, fortitudinem, humilitatem, & ceteras quæ evangelicæ legis perfectionem constituunt. In mentem revoca, apud Deum illum præstantiorem esse qui iacet abiectior, beatiorem illum qui vilior atque contemptior vivit in terris. Recogita, quam levia reputentur a Christo Domino quæ maximo sunt hominibus in pretio, quamque rapide cuncta fluant, cuncta evanescant. In hac caritatis schola edoctæ mulierculæ ipsæ litterarum rudes, ingenio ineptæ, sed Platone doctiores, terrena fastidientes, despiciatui habent fastum, superbiam, divitias, voluptates, aliaque id genus præstigia. Unde ergo, inquis, de morum integritate tam pugnantes quæstiones? Ex evangelicæ doctrinæ neglecta, ex perturbatis animi affectionibus, vanisque cupiditatibus. Ex his utique immensa illa quæstionum nubes, & disputationum tenebræ coalescunt. Evangelica luce hominum mentibus affulgente, dissolveretur confestim tanta caligo. At, quia homines magis tenebras istas quam lucem illam amore prosequuntur, animumque coercere a mundi illecebris refugiunt;

giunt; idcirco ad *casuisticum Scepticismum* confluunt, ut hic suo opinandi modo eos delicias inter & bladmmenta in cælum efferat; illosque Casuistas turmatim adeunt a quibus mollius, benigniusque tractantur. Quid? Audes ergo Casuistarum lectionem dissuadere, & veluti in contemptionem adducere? Absit. Casuistas omnes debito honoris officio colo, suspicioque, ut sæpius dixi. Illorum tantum opinandi modum cum Alexandro VII. universa Ecclesia Gallicana, & gravioribus totius Romanæ Ecclesiæ Theologis exulare a christiana morum Theologia vehementer cupio. Moralitas qui sanam doctrinam, divinis Scripturis, & Patribus conformem, propugnant, legendos assero. At illorum Casuistarum qui oppositas de eadem re sententias amplectendas proponunt, fucis Probabilissimi delibutas, lectionem dissuadeo. Hanc opinandi rationem falsam esse, perniciosamque animarum salutem, ego evidenter, præfata auctoritate fultus, iudico. Numquid quod falsum, quod perniciosum firmiter arbitror, lectoribus dissuadere mihi non licet? Immo an omni lege ad id præstandum non urgeor? Carpant adversarii meum antecedens; evincant illud falsum esse: & tum consequens redarguere iure poterunt. At, illo concesso, falso & immerito confectarium meum criminantur; seseque a recta ratiocinatione alienos prorsus declarant.

XX. Habes ergo, unde veram & fidei, & morum doctrinam dignoscere, si sincere velis, possis. Quæ hic obiter delibavi, fufus alibi exponam. Nunc pauca adiciere lubet ex doctissimo Iesuita P. Michaeli Elizalde, qui similiter te altius monet ut caveas a modo opinandi probabilistico, si canere cum David cupis, *Viam veritatis elegi*. Hæc autem scribit Elizalde. „ In universa itaque doctrina morum nihil videtur tam largum, atque Confessariis, & Confessoribus „ adeo commodum, & expetendum, quam quod iuxta probabilia contradictoria, & iuxta opiniones omnes sive æque, sive magis, sive minus probabiles, quam „ nihil opinando, & contra etiam opinando, & responsa dare, & sacramenta administrare valeant. Hanc unam lectionem brevi addiscunt, & Theologia ipsius „ rudes, & incipientes etiam, & iuvenes quique. Inde rursus a labore multum libris incumbendi, & casus per se examinandi, quod incundissimum est, liberantur. Inde rursus vix quilibet idoneus non esse videtur aut resolvendis casibus, aut sacramentis administrandis: abundat enim ætas libris Collectorum moralium, apud quos facile & opiniones, & Auctores graves legant. Ex tot deinde „ de contrariis opinionibus, quod etiam maxime homo appetit, placere omnibus possumus „ in restitutionibus, in solutionibus, in occisionibus, in contractibus, in elemosyna, in „ ieiunio, in parvitatibus, in bello, & in pace; & quando inter potestates ipsas lis est. „ Sed, unde magis timendum est, zelus etiam prætextitur: nam offendicula „ dicent, apponimus salutem animarum, perplexitates inducimus, sacramentorum „ administrationem difficiliorem reddimus, numerum aptorum ministrorum minui- „ mus, terrorem nimium incurimus, & quod summum est, addendo peccata, „ id contra sanguinem Salvatoris efficitur, quod pauciores salventur. “

XXI. Deinde post relata & Patrum, & potissimum Alexandri VII. adversus *modum opinandi* cum Evangelio pugnantem, testimonia, sic pergit. „ Hæc mens, „ hæc sensa Romani Pontificis, quem in fidei, morumque doctrina, quam proponit fidelibus, errare non posse, certa prorsus, & perneccessaria Theologia est: „ illis proinde resistentibus, si qui essent, non obtemperandum, sed reluctandum. „ Vix sane nugæ non sunt nobis, ita vel ita opinantibus, plures, vel pauciores salvari. Optandum utique foret quod salvi fierent omnes; at nemo, ait Augustinus, optando facit ut verum sit quod verum non est.

„ Quin immo non Romani solum Pontificis, totius pene mundi est ea de relaxatione doctrinæ morum persuasio. Nemo hominum, hac saltem ætate, de rigore doctrinæ conquestus est: *largiores dolent universi*. Hoc quadraginta quinque „ laxæ opiniones præscriptæ, hoc ipsorum sacrorum Ordinum iustæ sanctiones con-

„ testantur. Lis plane, ut ante tactum est, exarsit inter partes de doctrina mo-
 „ rum relaxata. *Factum* utraque pars concessisse videtur, sed utra in causa fuerit,
 „ litigatur: cuius rei locuples testis est *Amadeus*, etiam ipse prohibitus. *Neutra*
 „ itaque partium sibi vult tribui quod laxatum fuerit. Hoc ergo quod coram, & in con-
 „ spectu hominum nemo vult sibi tribui, sed erubescit, quis iam bonum esse clam mussi-
 „ tare audeat? Atque inde nos displiceamus, quod summa, ut decretum (*Alex. VII.*) lo-
 „ quitur, luxuriantium ingeniorum licentia in dies magis excrefcenti obfistamus viribus
 „ omnibus.

„ De Probabilissimo autem in specie idem etiam fel. recor. *Alex. VII.* Magistro
 „ Generali Ordinis Prædicatorum, Iulio Mercoro teste, ut his Probabilibus restin-
 „ guendis curam omnem adhiberet, iniunxit, atque, ipso Magistro generali ad-
 „ hortante, *Mercorus* ipse, *Baronius*, & *Gonet* adversus illa scripserunt. Mutius
 „ Vitelleschius Societatis Iesu Præpositus & ipse generalis ad superiores quidem
 „ scripsit, ut cavere diligenter ne sui in delectu opinionum ea norma uteren-
 „ tur. *Tueri quis potest. Probabilis est. Auctore non caret (a).*“

XXII. Uberius forte quam par erat, me disputasse, inquier aliqui. Verum,
 si argumenti gravitatem spectes, plura scitu necessaria paucis perfrinxi. Ut itaque
 primis respondeant ultima, una est morum doctrina, una est ex tanta opinionum
 multitudine circa mores sententia, quæ te ad patriam ducit. Huc recidunt omnia.
 Hæc est veritas, adeo luculenta, adeo certa ut eam omnium hominum cogitatio-
 nes loco dimovere suo neque tantillum valeant.

C A P U T I I I.

De stilo scribenda

T H E O L O G I Æ C H R I S T I A N Æ.

I. **I**TA sunt homines natura comparati, ut nequeant, quemadmodum angelici
 spiritus, mutuam illam, suavemque veritatum communicationem, absque
 sensibilibus instrumentorum, scripturarum nempe, & vocum, quæ ordine certo
 dispositæ stilum formant, beneficio alere, atque fovere. Stilus iste species quadam
 externa est, & vestis, sub qua visendam se veritas exhibet: & in humanam pro-
 dit societatem. Suus cuique stilus, non secus ac vox, gressus, risus, vultus, ge-
 stus, quem perficere quidem, haudquaquam tamen immutare artis industria valet.
 Ad stilum pertinet veris coloribus, fucato posito, rerum imagines referre, & legen-
 tium oculis obicere. Hinc aliquando altior, & sublimior affurgit: interdum con-
 citatus, ac vehemens ad arguendum, ad inceperandum irruit: interdum blandus
 & lenis ad docendum, & suadendum incedit, iuxta rerum, de quibus disputa-
 tur, varietatem.

II. Plurimum sententia est, divinam nostram Theologiam orationis cultum fastidire,
 atque respuere, quod intimo fulgore, & nativa maiestate resplendens adscitio orna-
 mento non egeat. Quorum sane opinio non minus absona est quam si gravem nobi-
 lemque matronam fordida lutulentaque veste induendam contenderes. Meretricium
 hæc, fucatumque, non sincerum, sibi que consentaneum ornatum dedignatur. Sic
 quoque Theologia nostra vanam quamdam superbiloquentiam, implicatos verborum
 circuitus, translationes longius quæsitæ, inanes Rethorum sterculos, tragicos co-
 thurnos, atque fucati eloquii lenocinia contemnit, & execratur; at vindicari sibi
 gra-

(a) Lib. I. q. 1. §. 3.

grave illud, perspicuum, nitidumque scribendi genus quod suæ altissime dignitati
 respondeat, quodque facilius sublimes suas veritates intelligendas, meditandasque
 hominum mentibus repræsentet.

III. Vera hæc cum sint, iure mihi improprium præsentio, cur scribendæ
 Theologiæ provinciam susceperim? Quibus hoc est responsum: *Video meliora, pro-
 boque, deteriora sequor.* Non est itaque quod censores me carpant, cum ipse sincere
 fatear, vel mihi ipsi stilum meum displicere, in eoque non paucos deprehendere
 navos, quos ne evitarem, plurima sane in causa fuerunt. Nam præter intellectus
 exiguitatem conciones triginta circiter annorum intervallo in præcipuis Italiæ ur-
 bibus habitæ, itinera frequentia, & longa, atque alia plura maiorem meliorem-
 que ætatis partem sibi vindicarunt, paucosque huic operi perficiendo ab occupa-
 tionibus vacuos annos concessere. Tamen utinam non aliis abundaret malis stilus
 meus, nisi quod frequenter serpat humi, careatque concinna verborum dispositio-
 ne, simili semper tenore, ceterisque dotibus. Effet id quidem ferendum malum,
 modo saltem perspicuitate præstaret, quæ ab omnibus primo ac principe loco confi-
 deratur. In id vero aliquam dedi operam: an sim affectus, aliorum esto iudi-
 cium. Id in mea scribendi forma aliqui reprehendunt, quod digressionum fre-
 quentia lectores detineam. Si ego scripta mea vindicare ab omni censura vellem,
 fatuus nedum imprudens plane forem. Illud tamen mihi iure postulare videor,
 ut qua libertate alii meam scribendi rationem vellicant, eadem ego reponere va-
 leam, plures illorum qui stilum præcisum passim crepant, optimi stili formam i-
 gnorare, & rudem, hiulcam, strigosamque orationem cum Atticismo confundere.
 Illud in controversiis dispiciendis primum omnium spectandum, num argumentum
 quod est in manibus, pleno in lumine constituitur; num presso, solidoque ratiocinio
 confirmatum sub eo aspectu proponatur quo facilius in lectorum animos veritatem indu-
 cat; num omni ex parte ita urgeatur, ut nulla ad effugium latebra adversario ad incitas
 redacto pateat. Aliquid mihi hocce in genere donare nec adversarii dedignantur. Si
 postea severi ratiocinii expleto officio, digredi aliquantisper e via, & alia pro re
 nata ad ornatum, ad lectoris solamen adicere quis velit, cur improbanda, dum-
 modo utilia lectoribus fuerint, tamen ad Dialecticæ rigorem exacta omnino
 non sint? Morosi censores hæc prætereant, eaque mediocri ingenio instructis le-
 ctoribus pro quibus scribuntur, relinquunt. Recogitent præterea delicatuli homines
 in libris apologeticis declinari vix posse sive repetitionis vitium, quod idem argu-
 mentum pluries retractetur, & eadem sæpe recoquatur crambes; sive digressiones,
 quia frequenter palantes adversarios insequi oporteat. Tandem adicio me ex iis
 præcipue libris profecisse qui rerum copia abundant, & eiusmodi libros ad com-
 munem sapere palatum, illisque solis displicere qui propria dumtaxat magno ha-
 bent in pretio. Ex ossibus aridis, tamen concinne dispositis, nullus exprimi suc-
 cus valet: ex alia parte, moles indigesta confundit, & opprimit. Extrema igitur
 vitanda. At quis ita temperare scriptionem suam poterit, ut nec orationis siccitas
 & sterilitas, nec sententiarum abundantia, & sermonis vehementia displiceat?
 Stultitia laboraret qui id sibi induceret in animum. Si plura hac de re cupis,
 legis *M. Tullium Christianorum*, *Ludovicum dico Granatensem* in sua *Rethor.* &
 in *Præfat. ad conciones*. Interim ego cum *S. Hieronymo Præfat. in Daniel.* dicam:
*Præsentium iudiciis oblatrantium non satis moveor: qui in utramque partem aut amore la-
 buntur, aut odio.* Prudentum vero non oblatrantium, sed admonentium iudicia &
 magno in pretio habeo, & summa prosequor veneratione.

IV. Verum enim vero, ut quod sentio, ingenue fatear, sicut hominum in sti-
 lum meum maledicta, convicia, & censuras parvipendo; ita e contrario illud
 valde me torquet atque perterrefacit, quod divinam persentisco obiurgationem.
Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum per
Conc. Theol. Tom. I. b 3 os

os tuum? (a) Hoc mihi, peccata mea & multa, & gravia memoria repetenti, terrorem incutit gravissimum, & cor amaritudine amarissima, vultumque confusione replet inenarrabili. At propterea ne a laxioris Ethices portentis insectandis, atque pro virili labefactandis abstinere? Absit, reponit S. Augustinus. *Prohibet ergo predicatores peccatores? Et ubi est illud: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite? Ubi est illud: Sive veritate, sive occasione Christus annuncietur? Sed hæc dicta sunt, ut timeant qui audiunt, a quocumque audiant, non ut securi sint qui dicunt bona, & faciunt mala. Modo ergo, fratres, vos securi estis: si bona auditis, Deum auditis, per quemlibet audiat. Quam solari hæc Augustini doctrina lectores, auditoresque valet, tam me scribentem, & docentem confundere, & humiliare efficacius debet.*

V. Stilus quo homines alloquimur, aut cum hominibus disputamus, sive voce, sive scripto, lenis, blandus, & mansuetus sit oportet, ut iurgia, & iræ mutæ declinentur. Homo natura sua, peccato origili sauciata, superbia laborat. Quare mutæ infirmitatis ratio habenda magnopere est, & alter alterius onera portare debemus. Hominis corrigendi spectari indoles quoque debet. Leni sermone communiter homines lucrifunt. Sunt tamen hominum monstra, quæ non nisi malleo cervices submitunt. Distinguenda quoque est privata, & publicæ correctionis ratio. Illa blandior, hæc severior esse debet. Paulus in faciem Cephæ resistit, quia reprehensibilis erat. *Dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudeus sis &c. (b)*. Hac tempestate vix homunciones similem ferrent reprehensionem, quam humiliter sustinuit Princeps Apostolorum. Stilus quo non homines viventes alloquimur, aut cum iisdem disputamus, sed defunctorum virorum aberrationes refellimus, fortis & vehemens sit necessum est. Sunt hi extra invidiæ istus, & irascendi pericula. Excusanda utique illorum intentio, præsumenda eorum bona voluntas, & eorumdem honori consulendum est. Ceterum pleris faciendæ est viventium hominum salus æterna, providendumque, ne pravis defunctorum opinionibus decepti fratres nostri pereant. Quare ille adhibendus stilus est qui efficacius lactores dormientes exciter, eorum aures vellicet, & validius ad deridendos, detestandosque errores conducatur, ut mox fufius demonstrabo.

C A P U T IV.

Quodnam stili genus in morum Theologia conscribenda adhibendum? Pacatum ne, & placidum, an acre, & vehemens?

I. **P**roblema solutione difficillimum, utilitate ingens, scitu necessarium aggredior enucleandum. Longior fortasse aliquibus videbitur hac de re disputatio; sed, cum rationes perceperint, quæ ad hoc me pertractandum argumentum impulerunt, spero fore ut consilium, laboremque meum non sint improbari. Verum ad id quod instat. Quamquam tot stili, quot homines distinguantur, ii tamen ad duo genera in morum tradenda doctrina possunt revocari: quorum unum pacatum, & lene, alterum concitatum, ac vehemens dicatur. Homines natura mansueti, placidi, conniventes, politici, primum semper usurpant, & usurpandum persuadent; viri fortes, strenui, iracundi secundum adhibent semper, & adhibendum inculcant. Sed æque illi, ac isti egregie falluntur. Quoniam non ab indolis conditione, sed ab argumenti tractandi qualitate repetenda est stili adhibendi forma.

II. Quemadmodum enim variæ animorum inclinationes, cordisque affectus, non modo doctrinæ vim extenuant, sed veritatem ipsam corrumpunt, & pulchra ut foeda, mala ut bona, & bona ut mala referunt; ita quoque stilum ipsum aut concita-

(a) Psal. xlix. (b) Ad Galat. II.

citatum, tumidum, & furentem; aut placidum, lutulentum, demissum, languidumque efficiunt. Itaque primum omnium diligentia summa comprimendi sunt naturæ impetus, coercendæ, quoad fieri potest, inclinationes, & sola doctrinæ tradendæ conditio sub examen inducenda est, ut eidem aptior, magisque consentanea stili forma deligatur. Viri prudentes, eruditi, doctique in solius veritatis nativum vultum, & in sola rationum momenta, quæ mentem imbuunt, oculos intendunt, spreto verborum ornamento, figurarumque apparatu quo res proponuntur. At quot sunt hi, qui deposito partium studio, qui præiudiciis abiectis omnibus, qui anticipationibus consuetudinis, educationis, amoris propriæ libertatis, & gloriolæ vacui ad veritatem investigandam accedant? Paucissimi sane, & rari admodum. Contra vero frequentissimi plurimique sunt qui eiusmodi præstigiis obducti in litterarium certamen descendunt. Caligantibus hominum istorum oculis lux veritatis parum resplendet: sola, & nuda ratio exiles imparesque vires apud istos habet. Ad horum animos devinciendos, insectandosque, secundum divini luminis auxilium, exquisita arte, industria summa, & tota orationis vi, stilique efficacitate opus esse, nemo prudens ibit inficias.

III. Illud nunc perquirendum diligenter manet, quæ sit christianæ Theologiæ indoles; quinam illius hostes, quibuscum dimicandum est; quæ superanda impedimenta, quæ removenda obstacula, quæ insidiæ, quæ fraudes, quæ sophisæata detegenda. Quibus omnibus serio matureque expensis, compertum fiet quo illa stilo munita, quibus dicendi præfidiis roborata prodire debeat ad hostes suos certo profligandos. Hæc omnia perspicue mihi sunt exponenda.

IV. Et primum omnium extrema fugienda quam diligentissime sunt. Nihil frequentius ore hominum circumfertur, quam extrema in quocumque negotio vitanda esse; at nihil difficilius quam, ubinam hæc extrema reperiantur, qui sint eorum limites, quænam via media ab utrisque distans, patefacere. Et, ut de re nostra differamus, quis valeat aut iustæ gravitatis, congruæ asperitatis, honestique leporis; aut contra, moderatæ lenitatis, mansuetæ redargutionis, benignæque increpationis confinia præscribere? Illi quibus obtigit natura mitis, tardum ingenium, delicatum palatum, orationem validam, concitatam, vehementem, ut amarulentam, mordacem, contumeliosam fastidiunt. E contrario qui ferventiore indole, igneoque temperamento constituti sunt, vel ipsa asperiora, & inurbana, lenia reputant, & blanda. Morosis, melancolicis, tristitiæ indulgentibus nihil aridet: aspera, & blanda, acris & lenia ipsis æquo modo displicent. Scurrilia cum urbana festivitate confundunt: iustam redargutionem loco convicii, & improperii habent. Quis itaque hominum moderati stili æquissimos terminos circumscribet? Una sola ad tam occultos scopulos, frequentes syrtes, & vortices declinandos regula mihi occurrit; cavendum nempe, temperandumque a quocumque verbo contumelioso, aspero, inurbano, &, si placet etiam, minus honorifico adversus homines quorum opiniones refellimus: quin eos arbitror cum honore semper suscipiendos, in bonam partem eorumdem interpretandam intentionem, & quoad fieri potest, excusandam.

V. Quibus constitutis, ad id quod proposui, demonstrandum accedo. Et ut perspicue id præstem, duo in christianæ Theologiæ Scriptore considero, quæ stili postulant diversitatem. Interpretatur ille primum revelata mysteria, quibus imbuendæ sunt hominum mentes; & implenda mandata exponit, quibus hominum voluntates, moresque informantur. Dum hæc scribit, æquabili, gravi, mitissimo, &, quatenus cuique datum est, caelesti unctiōne perfuso stilo utatur fas est. Ultro fatemur & nos hæc omnia quæ in mente sola imbuenda subsistunt, presse, atque præcise, & ad vivum omnibus refectis exponi debere. Nihil hic concitationis, nihil declamationis, nihil asperitatis esse debet; sed omnia suavitatis plena, ple-

na omnia benignitatis. Deinde ad Theologum spectat præfata omnia ab erroribus, opinionumque pravitate asserere, vana hominum commenta, cavillatorias distinctiunculas, falsa principia reiicere, labefactare, atque exterminare. Ad hæc autem præstanda stilum modo acrem, & vehementem, modo temperato lepore aspersum, prout suadendæ veritati, & falsitati convellendæ opportunum fuerit, usurpandum esse, quis refragari audeat? Enimvero errores, seu deceptiones (pro eodem enim nunc, & alibi semper, dum adversus Catholicos scribo, ambo accipio) in fidei, morumque doctrina eo altius menti, & cordi insident, quo suavius humanis appetitionibus blandiuntur. Quid quod simul ac editi in lucem sumus, in tanta opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutriticis fuisse eiusmodi errores videamur? Hæc ne evelli placida, & leni oratione queunt?

VI. Sed rationis momentum, quod usum vehementis orationis luculenter evincit, atque demonstrat, a consuetudine arcessitur. Nihil tam familiare & tam consuetum est quam in recenti morum Theologia omnia per *Probabilismum*, sive per opposita probabilia disputari, & definiiri. Idem ipse Scriptor eandem actionem ut licitam & illicitam, ut bonam, & malam, ut honestam & inhonestam, sub contrariæ probabililitatis fuce proponit. Adversus hunc opinandi modum, quem malorum fontem, & corruptelarum originem Alexander VII. & Ecclesia Gallicana nuncupant, qualibet ferme pagina pugnandum mihi est. Porro nemo nescit consuetudinem in ipsam migrare & converti naturam, ipsaque natura potentior evadere. Plurima huc ex Patribus advocare possem. Sed primum omnium allegare Aristotelem volo hæc de consuetudine scribentem. *Auditiones secundum consuetudines accidunt: quemadmodum enim consuevimus, ita iudicamus dici debere, & quæ præter hæc, non apparent similia; sed quia non consuevimus, ignotiora, & magis peregrina, & extranea: consuetum enim notius est. Quantam vero vim consuetudo habeat, leges declarant, in quibus fabulosa ac puerilia plus possunt propter consuetudinem, quam si cognosceremus ea. Aliqui igitur nisi mathematice loquentem non admittunt. Quidam vero non nisi exemplis utentem. Quidam autem dignum ducunt ut testis producat aliquis Poeta. Et quidam exacte omnia. Quosdam vero tadet certitudinis (seu, ut alii vertunt, *flexibilis est eis certitudo*) aut præterea quod non possunt consequi, aut propter *micrologiam*. Habet enim certitudo tale aliquid, quare, ut & in contractibus, ita & in orationibus illiberate esse quibusdam apparet (a).*

VII. Consuetudinis hydram sane portentosam adeo vividis depinxit Stagyrita coloribus, ut neminem viderim qui exactius multiformem eiusdem representaverit imaginem. Vera, quibus assuevimus, nobis sunt; falsa, peregrina, extranea, quæ a nutriticibus nostris ab adolescentia non suximus. *Flexibilis* nobis est certitudo, si iis adversetur quæ a teneris unguiculis didicimus. Inter mille exempla, quæ sub oculos quotidie cadunt, unum nobis meditandum proponit præteriti ævi splendidissimum lumen P. Michael Elizalde Soc. I. (b). Plura millia hominum scholam Thomisticam, Scotisticam centena millia, Molinianam plura millia sequuntur. Cuinam Thomistarum probatur scientia media? Quis Molinistarum approbat prædeterminationem physicam? Scoticam distinctionem totius a partibus quis Thomistarum veram reputat? Porro iidem isti homines, hæc ipsa ingenia, si diversum professi essent institutum, vestisque colorem mutassent, quæ nunc probant ut vera, improbassent ut falsa, & quæ nunc pro falsis habent, habuissent pro veris. An solum exemplum istud incredibilem consuetudinis vim non patefacit?

VIII. Porro, si destinatis sententiis, quibus ab adolescentia addicti, & veluti consecrati sumus, non secus ac polypus ad saxum, adhærescimus; quid, si opiniones istæ exquisito lenocinio libertati, genio, & nostris appetitionibus indulgerent? Molli

(a) I. *Metaphys. cap. ult.* (b) *De rec. doc. mor. quest. I. §. 3.*

Molli ne, ac enervato labefactari sermone possent? Quis non mirabitur, deceptionem dixerim, an fatuitatem illorum qui, quo præciso stilo problemata geometrica, lapidum inscriptiones, eruditionis puncta disputantur, eodem etiam tractandas esse gravissimas morum quæstiones contendunt? Expergiscantur tandem aliquando decepti homines, atque recogitent, christianam Theologiam certamen inire adversus prævalentes, ac longe lateque propagatos errores, non modo adversus consuetudinem, verum etiam adversus consuetudinem benignam, laxam, humanitati blandientem, circumquaque grassantem, temporis diuturnitate firmatam, doctorum hominum præsidio munitam, populorumque consensione vallatam. Si valde laboriosum est in lapide, cui vetus insculpta figura sit, effigiem novam calare; quanto difficilius erit mentes oppositis anticipationibus præoccupatas ad veritatis notitiam deducere; & voluntatem opinionum pravitate inquinatam in semitam revocare virtutis? An exile, aridum, concisum dicendi genus potens erit rapidissimo depravatorum humanorum morum torrenti aggeres obilcere, consuetudinis secum omnia abripientis impetus coercere, obfirmata præiudicia evellere, animos illecebrarum præstigiis fascinosos inflectere, efficere demum ut corrupti homines se ad frugem bonam recipiant? Facebant somnia isthæc, illudque compertum exploratumque maneat, causam christianæ Theologiæ, quam contra tot infensissimorum hostium molimina tractandam aggredimur, iure sibi vindicare summo nervosum stilum, orationemque prævalidam, omnesque efficaciores scribendi artis opes, atque subsidia. Neque ista eo in sensu accipienda sunt, quasi ex humanæ dictionis artificio prosperum tractationum mearum eventum profecturum confidam; sed eo pertinent dumtaxat, ut palam fiat, talem esse argumenti nostri conditionem quæ præfata omnia adminicula postulet. Absit tamen ut dicamus hæc sola sufficere; quin nec tota Tullii, aut Demosthenis eloquentia sat esset ad ea quæ indicavimus impedimenta convellenda. Divinæ gratiæ auxilio opus est, & quidem efficacissimo: illudque ferventissimis implorare precibus debent tum qui hæc scribunt, tum qui eadem legunt.

IX. Confirmare hæc omnia lubet, non modo Patrum, sed vel ipsius Aristotelis doctrina. Si verba ad reddendos probos homines sufficerent, multas sane, & magnas mercedes, ut inquit Theognis, asserrent, oporteretque ea comparare. Sed videntur quidem posse liberales adolescentes hortari, atque incitare, moresque eorum ex virtute sibi obnoxios, generosos, ac vere honestatis studiosos reddere; at plerisque ad probitatem provocare non posse. Non enim pudori, sed timori obedire; neque abstinere a malis ob dedecus, sed ob penam consueverunt. Nam, cum ex affectu vivant, proprias voluptates, atque ea ex quibus existunt, persequuntur, doloresque oppositos fugiunt; eius autem quod honestum est, & vere iucundum, cum id profusus non degustarint, ne notionem quidem habent. Eos igitur qui tales sunt, ad moderationem traducere quæ oratio possit? . . . Plerique enim necessitati potius quam rationi, & multis quam honestati obediunt (a).

X. Plurima habet S. Thomas in hunc locum, sane angelica, quæ legi ibidem possunt. Pauca lubet tantum decerpere. *Sermo, & doctrina non habet efficaciam in omnibus; sed oportet ad hoc quod habeat efficaciam in aliquo, quod auditoris anima ex multis bonis consuetudinibus sit preparata ad gaudendum de bonis, & ad odiendum mala; sicut oportet etiam terram esse bene cultam ad hoc quod nutriat bene semen. Et post multa, quæ brevitate gratia prætereo, valde apposite concludit. Homines qui volunt contrariari moribus alicuius, habentur odio ab eo cui contrariantur, etsi recte hoc faciant. Æstimatur enim quod faciant hoc ex aliquo malo zelo (b).*

XI. Nonnulla tum ex Scripturis, tum ex Patribus adiiciamus. *Tanta est consuetudinis vis, ut vel ipsa scelera formam virtutis induant. Interveniente tempore,*

(a) *Ethic. Lib. X. cap. ult.* (b) *Leet. XIV. ibi.*

et convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est (a). Plurima, & gravia hac de re scribit S. Augustinus. Peccata, quamvis magna, et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur (b). Sed, pluribus missis, Gregorii Nazianzeni pauca verba transcribo. Minoris negotii rudi adhuc anima veritatem primum instar cere nondum signata imprimere, quam super litteras, hoc est pravas doctrinas et dogmata, pium sermonem scribere, ita ut posteriora cum prioribus confundantur, et perturbentur. Neque enim planam, et tritam viam praestat incidere quam asperam, nullisque pedum vestigiis impressam. . . . Ita commodius quoque fuerit animum depingere, cui vitiosa aliqua doctrina impressa non sit, improb.que littera altissime consignata. Alioquin pio Scriptori duplex hic labor suscipiendus erit, ut et priores formas deleat, et probatiores, dignioresque, quae maneant, substituat. (c).

XII. Quid ad haec reponent sapientiae illi quos obgannire passim non pudet, theologicas veritates, pravasque opiniones eo tractandas stilo esse quo profanae eruditionis controversiae dispiciuntur? Si pauca quae delibavimus, illos non plane convincunt, rei periculum faciant, semetipsos consulant, induant pro aliquo temporis spatium hominis recte ratiocinantis personam. Propriam conscientiam interrogent, ut inde colligant, quam difficile sit, inveteratas consuetudines sensibus nostris indulgentes, anticipationes altius animis nostris defixas, & larva honestatis, convenientiae, ac decoris obductas, evellere. Fateri vel nolentes cogentur, ad tot & tam gravia superanda offendicula totius artis industria opus esse. Certo certius comperient, eandem ipsam veritatem languida, & remissa oratione propositam nihil suos animos commovisse; altius vero exaggeratam, atque tota dicendi efficacitate inculcatam ultimos animorum suorum recessus penetrasse. Audiant S. Augustinum, narrantem adversarios suos falsos esse, ab illo veritatem utique propugnari; sed durum nimium esse, semel scholae susceptae, & maiorum traditam disciplinam benignam deferere: dicentes nobis. Verum quidem dicitis. Non est quid respondeatur. Sed durum est nobis traditionem parentum relinquere (d).

C A P U T V.

In Theologia christiana scribenda Prophetarum, et Apostolorum stilus imitandus. Numquam Deus Prophetas, et Apostolos redarguit, quod aspero et severo, sed quod blando et dulci stilo legem suam interpretati sint, ne populorum plausum, et oblationes perderent. Veri Prophetae aspera, pseudoprophetae dulcia pollicentur.

I. IN divinis Scripturis non solum Dei legem, sed etiam modum & rationem qua interpretari, & exponere illam populo debeamus, tradiderunt Prophetae sancti. Stilo isti usi sunt gravi, vehementi; figuris, similitudinibus, & parabolis referto. Nullibi legimus illos increpatos, quod nimis asperum, & austere, sed quod astuto silentio pravas corruptelas dissimulaverint. Isaias omnium Prophetarum celeberrimus, se tacuisse luget, labiisque compressis, & nimia pollutis indulgentia, in medio populi simili lue inquinati habitasse. *Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito* (e). Labiorum pollutionem caelesti igne Deus purgavit, atque ad inclamandum, detonandumque Prophetam excitavit, & compulit. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (f). Libera haec & resonans veritatis promulgatio, errorumque acres, & severae redargutiones irritant, exasperant, detractiones, & maledicta fuscitant, obla-

(a) Sapient. xiv. (b) Lib. de fide, spe, car. cap. viii. (c) Orat. i. apolog. (d) Epist. xlviii. (e) Cap. vi. (f) Cap. lviii.

oblationes, & subsidia populorum penitus avertunt, iniquiunt mundani homines, ut advertit S. Augustinus in laudati textus commentatione. *Nulla enim causa est quae magis faciat dispensatorem Dei pigriorem ad arguendos contradicentes quam timor verbi asperi. Dum enim timemus detractiones, irrisiones, et opprobria hominum superbiorum, dumque ab eis in terrena substantia metuemus praegravari, timentes perdere temporalia, MINUS quam oportet predicamus aeterna. Et ideo, dum per illorum nequitiam aliquid mundanum perdere formidamus, peccatorum eorum vulnera medicamentis spiritualibus curare negligimus. Unde timendum est ne et pro nobis, et pro illis, quibus pro amore terrenarum rerum non loquimur DURA, rationem in die iudicii reddere compellamur* (a). Argute Doctor sanctus advertit, legis interpretes non cessare omnino a divina doctrina interpretanda propter terrenae substantiae iacturam; sed minus quam oportet eandem inculcare. Amore quippe rerum terrenarum obducti, dura, quae hominibus displicent, denuntiare praetermittimus. Sunt hi similes illis pseudo-prophetis quos arguit Deus per eundem Isaiam: *Canes muti, non valentes latrare, videntes vana, et amantes somnia* (b). S. Greg. Mag. relatus cap. *Si Rector*, haec scribit. *Sape namque Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt.*

II. Alterum Prophetam Ieremiam urget Dominus, ut vehementer clamet. *Vade, et clama in auribus Ierusalem* (c). Lugetque populi calamitatem Vates divinus, quod fallaces Prophetae blandientium sermonum lenociniis legis sanctae severitatem delinirent. *Propheta tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent. Viderunt autem assumptiones falsas, et eiectiones* (d). Plura in hunc textum scribit Doctor maximus S. Hieronymus, quae brevitati studens praetero, & haec pauca transcribo. *Ut loquar quae sentio, difficile hoc maledicto cavere quis potest, cum et malis frequenter adulemur propter POTENTIAM, et bonos despiciamus propter INOPIAM.*

III. Sed altius per Ezechielem Deus obiurgat Prophetas, & Doctores, qui eloquiorum dulcedine auribus populorum blandiuntur. *Fili hominis, vaticinare ad Prophetas Israel, qui prophetant. . . . Vae Prophetis insipientibus. . . . Quasi vulpes in desertis, Propheta tui, Israel, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel* (e). Exprobrat illis, quod vulpecularum more per cuniculos sermone blandiloquo auditores demulcerent, minime audentes invicto pectore, & aperta oratione falsas refellere persuasiones; quin fallente opinionum benignitate, vitia ipsa honestatis fuculo linirent. *Et erit manus mea super Prophetas qui vident vana, et divinant mendacium. . . . eo quod deceperint populum meum. . . . ipse edificabat parietem, illi autem linebant eam luto absque paleis* (f). Variæ sunt S. Hieronymi, Theodoretii, & aliorum Patrum huius textus interpretationes. *Populus enim* (inquit Theodoretus) *edificabat murum: isti vero per bonas predictiones, et pollicitationes veluti quoddam linimentum, et unctionem adhibebant.* Commentatio clarior, & opportunior haec mihi videtur. Consuetudines pravas, opiniones, atque persuasiones primum populi invehunt, murumque aedificant. Sed vel ipsi vident, aut saltem ambigunt, sit ne murus iste vitiosus, ac distortus. Idcirco Doctores, & magistros consulunt, ut aliquo opinionum luto deformitatem regant. Verba Elizalde transcribo. „Exploratum namque in primis videtur per muros istos, ac parietes „falsas populi persuasiones, existimationesque, quibus vivebat, & in pace quidem „vivere ei dicebatur, intelligi. Prius porro observo falsas istas persuasiones, opinionones, & doctrinas, quibus populo pax falsa promittitur, haud primum, & „primitus a Doctoribus, magistrisque induci; a populo in primis ipso aedificari, „dein-

(a) Lib. I. Homil. hom. vii. (b) Cap. lvii. (c) Cap. ii. (d) Thren. cap. ii. (e) Cap. xiii. (f) Ibid.

deinde vero a magistris liniri, & quasi excoli, colorarique. Etenim prius populus consuetudines quasdam invehit, varia contrahendi genera excogitat, atque in universa morum materia plurima introducit quæ permulti sequantur. Dein vero vel ipsa, quæ talia facit, multitudo dubitat, an recta sint, vel non sint, & Doctores consultat. Vel nihil ipsi qui ea profequuntur, dubitantibus, Doctores veniunt, & tractant, num ea recta, & licita sint, an non sint. Haud raro autem accidit Doctores aliquos per bonas pollicitationes similia multa resolvere, atque decernere: dicunt enim, ut ex Augustino alias observatum est: *Quia multi hoc faciunt. Immo quis non facit? An ergo omnes perditurus est Deus?* Subsumunt itaque bonam pollicitationem, dicendo: Durum est hos omnes peccati reos pronuntiare, damnare: indeque concludunt, ea peccata saltem gravia non esse. Atque postremo, quod populus facere nesciret, rationes etiam quæruntur, & adduntur, quibus ea populi placita factaque recta & licita esse videantur.... Nihil enim est, ait Cicero Probabilista, tam horridum quod oratione non emolliatur, & quasi excolatur, & dicendo probabile non fiat. Atque hoc pacto satis exponi videtur, quomodo populus quidem parietem ædificaret, Prophetæ vero linirent luto absque paleis, temperaturaque (a).

IV. Adversus eiusmodi mollioris eloquii magistros rursus Deus per Ezechielem inclamat. *Va qui consuunt pulvillos sub cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universa ætatis ad capiendas animas.... Et violabant me ad populum meum propter PUGILLUM HORDEI, ET FRAGMENTUM PANIS, ut interficerent animas que non moriuntur, & vivificarent animas que non vivunt (b).* Audistin? Timore amittendi hordei, panisque, blandis alloquiis populi animus titillabant. Quid, si accessisset spes augendarum divitiarum, plausuum, acclamationum, atque occupandi primos recubitus in cœnis, & prima subfellia in Synagoga? *His per translationem (inquit Theodoretus) molliores, ac mitiores immuit sermones. Cervicalia enim, & pulvinaria quietem afferunt membris, & molliora verba, cum falsa sint, ad tempus aures titillant, sed omnis generis everfiones animis afferunt.*

V. Infinitus essem, si referre omnes vellem redargutiones quibus Deus increpat benigna, & dulcia Doctorum alloquia, quibus rigorem liniunt legis sanctæ. Sed sat est divinum indicare furorem, indignationem, atque vindictam, quæ tam Doctoribus qui mellitis sententiis veritatem adulterant, quam populis similes Doctores inquirentibus, manet. *Populus enim (clamat iterum per Isaiam Deus) ad iracundiam provocans, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite aspiciere nobis ea que recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores... Pro eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia, & in tumultu, & innixi estis super eo; propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens (c).* Iterum per Oseam Doctores exagitat, inquiens: *Peccata populi mei comedent (d).* Quæ verba sic interpretatur Chrysofostomus: *Cur peccata populi comedunt, nisi quia temporalia stipendia non amittant?*

VI. Audiamus modo quibus verbis Deus concitet, inflammetque veros Prophetas, & Doctores, ut stilo forti, & vehementi, ut fronte imperterrita, atque petore invicto diruant parietes linitos absque palea, labefactent blandientium opinionum præstigia, sanctumque divinæ legis rigorem patefaciant, fucō posito. Sic enim Iosue alloquitur. *Confortare, & esto robustus... Confortare igitur, & esto robustus valde... Non recedat volumen legis huius ab ore tuo... Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus. Noli metuere, & noli timere.* Ad Ezechielem conversus clamat. *Fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos... Ecce dedi faciem tuam valentiorē faciebus eorum, & frontem tuam duriorē frontibus eorum. Ut*

ada-

(a) Lib. VI. quæst. IV. §. 5. (b) Cap. XIII. (c) Cap. XXX. (d) Cap. IV.

adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum: quia domus exasperans est (a). Populum suum admonet ut caveat sibi a Doctoribus blandiloqua præcipientibus. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant (b).* Hinc colligunt Patres sancti, nullum signum luculentius occurrere distinguendi veros a falsis Doctoribus, quam sermonum blandimenta, opinionumque sensibus prurientes. *Singularis (inquit Chrysofostomus) pseudopropheta nota est, si ab omnibus hominibus benedicantur. Quoniam pseudopropheta semper dulcia pollicentur.* Contra sapientum Doctorum stilius fortis, acer, & pungens est aures obtusas. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi (c).* Quod divinum oraculum hoc pacto exponit Hieronymus. *Notandum est quod dicitur, verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciviam... Si cuius igitur sermo non pungat, sed oblectationem faciat audientibus, iste non est sermo sapientis. Verba quippe sapientum ut stimuli.* Opportuna est altera S. Hieronymi animadversio in præfatum divinum oraculum, quod his verbis exponit. *Mel in divinis sacrificiis non offertur; nimia dulcedo arte mutata est, & quadam, ut ita dicam, piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suave placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis (d).*

VII. Clamitabant forsitan scituli nonnulli: Quorsum hæc omnia? Propheta ne tu es, qui Prophetarum stilius, liberamque scribendi rationem imitari debeas? Tantum ne tibi audaciæ? Qui hæc fundunt dicta, Scripturarum ignaros se produunt. Prophetarum nomine Scriptura sancta non modo Vates, divino lumine afflatus, sed ceteros etiam magistros, doctores, legisque interpretes comprehendit. Audiant S. Hieronymus. *Ne quemquam moveat, quod Propheta appellatur. Hanc enim habet Scriptura sancta consuetudinem, ut unumquemque vaticinationis suæ, & sermonis Prophetam nuncupet (e).* Audiant S. Ioannem Chrysofostomum. *Hæc autem diximus, ut ostendamus, quia Propheta, de quibus loquitur Christus, Doctores intelliguntur (f).*

VIII. Pauca nunc ex novo testamento perfringenda sunt. Et primum omnium in medium prodeat divinus magister noster Christus, qui non minus operum quam sermonis exemplar omnibus nobis se præbuit. Simplici, mansueto, & gravi sermone, ut illius decebat maiestatem, populum imbuens utebatur. Verum enim vero, cum falsas, & laxas opiniones a Doctoribus populi, suæ divinæ legi contra rias, invecitas convellere oportebat; stilius fortem, vehementem, & opinionum laxitati consentaneum adhibuit. Accipe illius verba. *Quare & vos (Scribas, & Phariseos, idest legis magistros, alloquitur) transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem... Vos autem dicitis: Quicumque dixerit &c. Hypocrita, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum (g).* Qua orationis vi, quo acri & vehementi stilo non irruit in Doctores istos, qui opinionum pravitate Decalogi doctrinam adulterabant? *Vae vobis Scribae, & Pharisei... Vae vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque iuraverit per templum, nihil est; qui autem iuraverit in auro templi, debet. Stulti, & cæci. Quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Et quicumque iuraverit in altari, nihil est; quicumque autem iuraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci. Quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus que super illud sunt: & quicumque iuraverit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in celo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Vae vobis Scribae, & Pharisei hypocrite... Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glu-*

(a) Ezech. cap. XIII. (b) Isai. cap. III. (c) Eccles. cap. XII.

(d) Epistol. ad Eustoch. (e) In cap. XIII. Ezech.

(f) Rom. XI. in cap. VII. Matth. (g) Matth. XV.

glutientes. *Vae vobis Scribae, & Pharisei hypocrita, qui mundatis quod deforis est calicis . . . Pharisee caece, munda prius quod intus est calicis . . . Vae vobis Scribae, & Pharisei hypocrita: quia similes estis sepulcris dealbatis . . . Vae vobis Scribae, & Pharisei hypocrita, qui edificatis sepulcra Prophetarum . . . Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennae? (a) Generatio mala, & adultera (b). Vos ex patre diabolo estis (c).*

IX. Duo hinc colligas velim. Primum IESUM CHRISTUM, quo erat erga peccatores, vel scelestissimos benignior, & clementior, eo fuisse adversus Doctorem opiniones falsas, perniciosasque severiorem obiurgatorem. Alterum, non modo Christum Dominum acri, ac severo stilo opiniones Doctorum contra iuramenti sanctitatem confutasse, verum etiam interiorum cordis pravitatem patefecisse, pro illa infinita sapientia, & auctoritate qua præditus erat. Absit autem ut mortalium quisquam tantum sibi auctoritatis usurpet. Internum forum animi Deo soli reservatur; quin nos in meliorem partem accipere hominum proposita, & consilia interiora debemus. Severa magistri nostri divini animadversio in errores qui in publicum evulgantur, imitanda dumtaxat nobis est, cum id ad maiorem falsitatis manifestationem expediens visum fuerit. Si Christus Dominus tam acri stilo opiniones Scribarum, cum sanctitate iuramenti pugnantem, infectatus est; quæ verborum fulmina iaculatus non esset in hæc quæ sequuntur, opinionum portenta, ætate nostra, ad eludenda sacrosancta iuramenta excogitata? Licitum est iurare sine animo iurandi. Si a verbo *iuro* subtrahas *i*, dicendo *uro*, non eris periurus, cum vere nihil *uras*, licet sis mendax falsum *urendo*. Mercatores qui non possunt iustum pretium ab emptoribus obtinere, nisi *iurent* tanti sibi stare mercem, cum de facto non stet, possunt iurare, subintelligendo cum alia merce quam habent domi. Etiam si quis exigat *iuramentum* dicendi veritatem *sincere* absque ulla *equivocatione*, adhuc poteris iurare iuramento *amphibologico*, & *restrictione facta*. Potest quis *iurare* se non occidisse Petrum, quem reipsa occidit, intelligendo, *antequam nasceretur*. Innumera alia similibus opinionum monstra propriis Auctorum verbis referam commentario in secundum Decalogi mandatum. An ergo licitum nobis non erit, divinum magistrum nostrum Christum IESUM imitari, & adversus hæc & similia horrenda deliria, quæ passim per Theologiam grassantur, vocem extollere, & stilum acuire eo tantum fine, ut ad illa detestanda lectores inducamus, & efficacius in tuto veritatem divinæ legis collocemus? Ob id ne nobis mordacitatis, & acrimoniæ notam inurent flaccidæ orationis patroni? Istis mirifice quadrat illud Matthæi; *Quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Quæ verba sic exponit S. Gregorius. *Mollibus vestitus ille non fuit, quia vitam peccatorum, non blandimentis fovit, sed vigore asperæ invectionis increpavit dicens: Genimina viperarum &c. culpas delinquentium nesciens palpave, sed pungeret (d).*

X. Quid quod conceptis verbis Redemptor noster hortatur ut sui Apostoli pro doctrinæ falsæ confutandæ qualitate acri, & opportune lectorem aures, animosque vellicante stilo utantur? Salis acrimoniæ illorum sermones comparat. *Vos estis sal terræ (e)*; idest, exponit S. Ioannes Chrysostomus, *non adulantes, neque palpantes, sed asperæ, acriterque agentes, sicut sal . . . Illud enim salis est opus, ut molles mordent, & pungat (f)*. Lamentabantur Corinthii, quod Pauli Epistolæ acres, fortes, gravesque essent. *Epistolæ, inquit, graves sunt, & fortes (g)*. At S. Apostolum non pœnituit, quod forti epistola illos contristasset: *Etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet (h)*. S. Petrus Apostolorum Princeps magistrum suum divinum imitatur dicens: *Fuerunt pseudoprophetae in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui*

(a) Matth. xxiii. (b) Ibid. cap. xvi. (c) Ioan. viii. (d) Hom. vi. in Evang.
(e) Matth. cap. v. (f) Hom. xvi. in Matth. cap. vi. (g) II. Corinth. x.
(h) II. Corinth. vii.

qui introducent sectas perditionis . . . & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur (a).

XI. Iterum Paulus Galatas, veritati obstantes, his verbis increpat. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? . . . Sic stulti estis, ut, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? (b)*. Denique, quoties adversus homines divinæ doctrinæ corruptores loquitur, severe, & acriter eosdem redarguit, & alios hortatur, ut acri sermone eiusmodi pravæ opinionum auctores infectentur. Hæc quippe scribit ad Titum. *Sunt enim multi, etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores . . . quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia . . . Cretenses semper mendaces, mala bestia, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Increpa eos dure (c)*. Neque heinc tamen inferas omnia nobis licere quæ sancti Apostoli divina auctoritate præditi usurparunt. Superiores illi erant, divinoque spiritu afflati, quibus multa expediebant quæ nobis minime conveniunt, cum præsertim homines ipsi, illorumque lapsus sunt corrigendi. Illud tantummodo planum est, pravæ opinionum, erroresque divinæ legi adversos, & animarum salutem perniciosos acri severaque oratione refellendos esse.

XII. Distinguas tamen velim (ut dictum est alias, & dicendum sæpius est) sermonem quo errores profligandi, pravæque refellendæ opiniones, ab oratione qua homines alloqui debes. Vehemens ille, fortis, a metu, & pavore liber; contra dum illuminandi, corrigendi, & ad meliorem frugem revocandi peccatores sunt, tum dulci, blandoque alloquio uti debes. Contra errores acriter declamandum; homines errantes benigne-suaviterque excipiendi, tractandi, flecendi, ut & natura ipsa fuadet, & Scripturarum exempla admonent. Hac via facilius humana corda emolliuntur. *Si locutus fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus (d)*. Sæpe tamen pro temporum, errorum, & personarum diversitate oleo benignitatis acrum severitatis infundendum: & *post ignem sibilus aura tenuis (e)*.

C A P U T V I.

Sancti Ecclesiæ Patres, & potissimum S. Thomas stili adhibendi in Theologia christiana explicanda, & propugnanda veras notiones exhibent.

I. **U**T brevitati consulam, non plurima sanctorum Patrum testimonia promam, sed eorum tantum aliqua perstringam qui benigniori, & mitiori stilo usi sunt. Inter antiquos Patres quis blandior Nazianzeno, & Augustino? Et tamen hi admiscendam mansuetudini asperitatem docent. *Habet (inquit Nazianzenus) quoque spiritus mansuetudinis, & caritatis suam vehementiam, suam iracundiam (f)*. Fufius S. Augustinus hac de re scribit, dum methodum christianæ doctrinæ tradendæ exponit. *Cum per artem rhetoricam & vera suadeantur, & falsa; quis audeat dicere adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere; isti autem non noverint? Illi falsa breviter, aperte, virisimiliter; & isti vera sic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes, impellentesque dicendo terreat, contristent, exhilarent, exhorrentur ardentem; isti pro veritate lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad per-*

(a) II. Pet. ii. (b) Cap. iii. (c) Cap. i. (d) III. Reg. xii. vers. 7.
(e) III. Reg. xix. vers. 13. (f) Orat. 2.

suadenda seu prava, seu recta valeat plurimum; cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas, vanasque causas in usus iniquitatis, & erroris usurpant? (a) Plurima præcepta, quæ stili formam usumque spectant, in hoc aureo de Doctrina christiana opere tradit Doctor sanctus. Debet igitur divinarum Scripturarum tractator, & doctor, defensor rectæ fidei, & debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere. Audistin? Non sat est veras doctrinas promovere, ut quidam effutiunt; sed falsæ insuper convellendæ & labefactandæ sunt. Sic autem persequitur Augustinus. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est... Ut autem quæ dubia sunt, certa fiant, documentis adhibitis, ratiocinandum est. Si vero qui audiunt, movendi sunt potius quam docendi, ut in eo quod iam sciunt, agendo non torpeant, & rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, maioribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, & increpationes, concitationes, coercitiones, & quacumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria (b). Flectendus ergo stilus est, acuendus, temperandus, prout argumenti quod calamo subest, natura postulat, & legentium præiudiciis, atque anticipationibus auferendis conformior sit, ut subdit Augustinus. Cum vero aliquid agendum est, & ad eos loquimur qui hoc agere debent, nec tamen volunt; tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de una eademque re magna & submisse dicitur, si docetur; & temperate, si predicatur; & granditer, si aversus inde animus, ut convertatur, impellitur (c). Quid sit hæc grandiloquentia, post multa exponit. Grande autem dicendi genus hoc maxime distat ab isto temperato genere, quod non tam verborum ornatum comptum est, quam violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta pene omnia, sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, & elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi verum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, ut verba congruentia non oris elegantis industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam, si aurato, gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugne, agit quidem illis armis quod agit, non quia speciosa, sed quia arma sunt.

II. Ex S. Hieronymo nulla promo, quod compertum sit, quam acri, salibusque asperso stilo usus fuerit. Non imitandum, ad hoc quod attinet, clamant mellifui hodierni Theologi. Fateor & ipse in eo in quo excessit, imitandum non esse. Nam quandoque in ipsas personas investus est, potissimum contra Rufinum. Ceterum, cum errores, pravosque mores carpit, cum pravas opiniones deridendas exhibet, quis dixerit imitandum non esse, nisi qui & a ceterorum Patrum scribendi ratione recedendum esse contenderit? Quis sancto Ambrosio dulcior? Et tamen validum, ac fortiter adhibendum stilum suadet. Quod si aliqua vel in populo, vel in aliquibus contumacia, vel culpa est, sint sermones tui huiusmodi, ut audientem stimulent, compungant male conscium. Sermones enim sapientum quasi stimuli. Stimulavit & Dominus IESUS (d). Quis S. Bernardo blandior, cum Mellifuius appelletur? Et tamen non minori quam Hieronymus acrimonia errores, perniciosas consuetudines, pravasque opiniones persequitur. Pauca, quibus Clericorum mores perstringit, transcribo. *Vae generationi huic a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis, dici debet; quæ iam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non querit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesia, & quo latius, eo desperatius, eoque periculosius, quo interior. Nam, si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras, & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo, Nunc vero quem eiciet, aut a quo se absconderet? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarii, & omnes adversarii; omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt, quarunt. Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo, Honorati incedunt de bonis Domini, qui*

Do-

(a) Lib. IV. de doctr. christ. cap. 2. (b) Ibid. cap. IV. (c) Ibid. cap. XIX.
(d) Epist. ad Constanti.

Domino honorem non deserunt... Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara prius in nece martyrum; amarior post in conflictu hæreticorum; amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest. Invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesia: & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace. Et pax est, & non est. Pax a paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto a filiis (a).

III. Quid ad hæc nostræ ætatis blandiloqui? Mellifuum os Bernardi hæc, & plura acriora, & pungentiora, quæ prætereo, profert. Mordax ne, an fatyricus, an caritatis violator, an maledicus dicendus propterea est? Quidam blandi stili propugnatores responderunt, S. Bernardum, si hoc tempore scriberet, damnationis poenam haud evalurum. Ita ne vero? repono ego. Omnia ergo sanctorum Patrum opera proscrībenda forent nunc, cum exploratum sit ceteros omnes Patres, occasione data, eo ac Bernardum stilo, immo & acriore, usos fuisse? Tantum prævalent laxarum opinionum anticipationes. Alii reposuere, privatim, non publice, hæc Bernardum scripsisse. Inanior, ne dicam stolidior, sane responsio. An Bernardus ipse apologiam non texuit pro sui stili defensione, sicut & Hieronymus, & Augustinus? Si quibus displicuerit (inquit Bernardus) sermo noster, ipsi se manifestant, quia ordinem non diligunt, cuius utique corruptionem, & vitia damnari nolunt. Ipsi itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est ut scandalum oriatur, quam veritas relinquantur. Legant saperdæ integram Apologiam ad Guillelmum istius Mellifui Doctoris, & inde colligent, quam crassa & turpis sit eorum hallucinatio.

IV. Tertullianus præ ceteris exponit, eam usurpandam esse stili rationem quæ magis argumento tractando congruit: ridenda opinionum portenta, sibilandaque eorum monstra suggerit; & triumphantem veritatem, festive suis hostibus illudentem, depingendam asserit. Hæc sunt eiusdem verba. *Quamquam autem distulerim congressionem, solam interim professus narrationem, sicubi tamen indignitas meruerit suggillari, non erit deliberatione transfunctoria expugnatio. Congressioni lusionem deputa, lector, ante pugnam: ostendam, sed non imprimam vulnera. Si & ridebitur alicubi, materiis ipsis satisfacere. Multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati proprie festivitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia letans: de oculis suis ludere, quia securus est. Curandum plane ne risus eius rideatur, si fuerit indignus. Ceterum, ubicumque dignus risus, officium est (b).* Dum itaque deridendæ propinantur opiniones, materiæ tribuendum est, non Scriptori. Verba enim rebus quas exprimunt, aptentur necessum est. Si ridicularia, & deridenda gravi stilo confutarentur, orationis splendor immeritam ipsis honoris speciem conciliaret.

V. Verum, quia iuniorum plures a Patrum auctoritate facile se expediunt, inquietes, oratoria illos exaggeratione usos fuisse, in medium prodeat S. Thomas, quo sane nemo mitius, nemo pressius scripsit. Et tamen in falsis oppugnandis doctrinis moderata acrimonia aspergendam orationem docet. En præclaram, & argumento nostro quam maxime opportunam, eiusdem doctrinam. *Contrarietas locutionis potest attendi dupliciter. Uno modo quantum ad intentionem contendentis. Alio modo quantum ad modum. In intentione quidem considerandum est, utrum aliquis contrarietur veritati, quod est vituperabile, vel falsitati, quod est laudabile. Habemus ergo primum principium certum, nempe veritatis vindicem laude, & pro falsa opinione contendentem vituperio dignum esse. Ad modum quod attinet, quæ præscribit? In modo autem considerandum est, utrum talis modus contrariandi conveniat & personis, & negotiis: quia hoc est laudabile. Unde & Tullius dicit, quod contentio est oratio acris ad confirmandum, & confutandum accommodata... Et post pauca concludit. Si autem contentio dicatur impugnatio*

Conc. Theol. Tom. I.

c

sal-

(a) Lib. III. de cons. ad Eug. (b) Lib. contr. Valent. cap. VI.

falsitatis cum debito modo acrimoniae, sic contentio est laudabilis (a). Quid quod vel ipsa verba convicii, & contumeliae a malitia purgat, si animo corrigendi errores, & propugnandae veritatis, non contristandi fratrem, dicantur? Si vero aliquis verbum convicii, vel contumeliae alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, sed forte propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi; non dicit convicium, vel contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter; in quantum scilicet dicit id quod potest esse convicium, vel contumelia. Unde quandoque potest esse peccatum veniale, quandoque absque omni peccato (b). Tandem de locis adhibendis hæc subdit. Ad eutrapeliam pertinet dicere aliquod leve convicium, non ad dehonorationem, vel contristationem eius in quem dicitur, sed magis causa delectationis, & ioci (c). Confirmat hæc omnia exemplis tum Christi Domini, tum Apostoli Pauli. Sicut licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causa disciplinae; ita etiam causa disciplinae potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod contumeliosum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocavit stultos, & Apostolus Galatas insensatos. Advertit tamen verba contumeliosa, non nisi urgente necessitate, & causa inserviendi Domino, adhibenda esse.

VI. Videndum nunc superest, num præfatas regulas reipsa in scriptis suis servaverit Doctor sanctus. Stilo instruite, & docente, vulgo didascalico, usus ille est, quia theoricæ principia exponit. Præfata illius oratio cum angelica perspicuitate coniuncta: quoniam, cum infinitas propemodum controversias dispiciendas suscepisset, si liberiolem & eloquentiorem sermonem adhibuisset, nec medietatem questionum quas nobis explanatas reliquit, dirimere potuisset. Contentiosum Theologum vix ille egit. Nullum fere certamen, nulla litteraria pugna illi fuit, sic ferente illorum tempore conditione. Regulas ille litterarii certaminis ab aliis adhibendas, & quidem certas, atque securas tradidit. Semel tantum cum Guiljelmo a sancto Amore, Ordinum mendicantium infensissimo hoste, manus conseruit, & apertam inivit pugnam. Legant ementitæ, & illudentis mansuetudinis assertores integrum opus istud, in quo, quamquam sit pro domo sua, atque adeo cautiore, atque temperatior oratione aspersum, invenient tamen & acri sale adversarii aures defricatas, & severioribus aculeis pravas opiniones vellicatas. Paucorum specimen exhibeo. Quidam nimis incaute audacissime, zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserunt Monachos &c. Quidam autem novellum sibi statuentes errorem in tantam prorumpunt audaciam, ut asserant non posse per Episcopos Religiosis prædicta committi absque parochialis Sacerdotis voluntate (d). Nunc accedendum est ad resellendum ea quæ a prædictis malignantibus in Religiosorum infamiam proferuntur, quod ex eorum presumptione procedit Unde Hieronymus Sabinianum sic alloquitur. Ne tibi solus videaris errasse, simulas nefanda de servis Dei; nesciens quod iniquitatem in alterum loquaris, & ponas in calum os tuum. Nec mirum, si a te qualescumque servi Domini blasphemantur, cum patremfamilias Beelzebub vocaverint patres tui. Et, ne quid eis ad malitiam desit, dupliciter pervertunt iudicium (e). Quid quod conceptis verbis carpit falsæ patientiæ, & intempestivi silentii fautores? Illi vero qui falsitatem prædicantes sustinerent sub prætextu patientiæ, essent mutis canibus comparandi, de quibus Esaias lv. Canes muti non valentes latrare Sicut probatur, plus se diligere quam veritatem, qui non vult veritatem contra se defendi; ita ostenditur plus se diligere quam veritatem, qui veritatis adversariis non resistit, ut sibi pacem querat. Et ita ex amore veritatis sancti viri detractoribus resistunt (f). Aures, animumque huc intendant perniciose pacis, & quietis amatores. Sed, ut evincat Doctor sanctus congrua verborum

(a) 2. 2. quæst. xxxviii. art. i. (b) 2. 2. quæst. lxxii. art. 2. (c) Ibid. ad 1.
(d) Cap. iiii. (e) Cap. viii. (f) Cap. xiv.

runt asperitate pungendos interdum esse animos, pravaram opinionum sopore obtusos, Pauli Apostoli exemplum in medium affert. O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns Solem usque ad tempus. In quo patet quod verbis eum exasperavit, & pœnam cecitatis infligit (a). Finem imponit opusculo his verbis. Divina auxiliante gratia malignorum detractionibus repressis, pateret locus multa replicandi contra prædictos detractores; sed eos divino iudicio reservamus, cum eorum nequitia possit esse omnibus manifesta ex his quæ ex corde suo nequissime protulerunt. Lege integrum opus istud, in quo eruditionem incredibilem severis adversariorum increpationibus aspersam offendes.

VII. Luculentius Doctor sanctus in Epistolas S. Pauli theologicæ stili regulas tradit ex eodem Apostolo, qui Timotheum alloques hæc præscribit. Predica verbum, inusta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria cogervabunt sibi magistros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (b). Instare opportune, importune, indefessam sollicitudinem, & invictam libertatem prodit, non modo explanandi Christi doctrinam populo docili, verum etiam coercendi illorum audaciam qui eam adulterari contendunt. Predicator, inquit Angelicus, secundum veritatem semper debet predicare opportune, sed secundum existimationem falsam audientium debet predicare importune: quia predicator veritatis semper est bonis opportunus, & malis importunus semper. Quam aspera est nimium sapientiæ indoctis hominibus! Subdit Apostolus Paulus: Argue, obsecra, increpa. Obsecrationibus ergo, redargutionibus, & increpationibus condiendus est magistri docentis stilius. Argue, explicat Angelicus, errores cum omni imperio: in omni patientia, ne iratus appareas, & ex ira instruas, sed tranquille. Instare, dum nolunt audire sanam doctrinam. Nam erit tempus &c. quando erunt mali Doctores. Non sustinebunt; id est, erit eis odiosa vestra doctrina.

VIII. Non modo S. Apostolus admonet ut obsecremus, arguamus, & increpamus errorum propugnatores; sed Titum inflammat, ut severe & dure istos increpet. Increpa eos dure (c). Ex hoc S. Pauli monito colligit S. Thomas, duas esse causas aut leniendi, aut acuendi stili. Altera lectores, scriptores altera spectat. Auditores, lectoresque dociles mansuete, & blande instruendi sunt; pernicaces, & obstinati severe reprehendendi. Duplex est ratio exhortationis huius. Una ex parte eorum qui reprehenduntur. Cretenses enim duri, & pertinaces erant, & ideo dure eos reprehendi iubet. Nulli ne nunc Cretenses obfirmatæ duræque cervicis? Sed loquatur Angelicus. Alia ex parte reprehendentium. Advertit Doctor sanctus Titum lenis nimium & pacati animi, Timotheum vero præservidi & ardentis temperamenti fuisse: idcirco illum accendit ad severiorem increpationem: Increpa eos dure: hunc patientiæ freno moderatur. Titus fuit lenis, & mansuetus: & ideo inducitur quasi ad contrarium; sed Timotheus erat rigidus, & ideo inducitur ad patientiam (d). En quam perspicue Angelicus extrema stili, vel nimium asperi, vel nimium mansueti, & flaccidi declinanda admoneat. Qui lenitate redundant, Dei fervore succendi, & qui nimio ardore fervent, christiana patientia coercere se studeant, ut non solum Angelicus, sed omnes Patres docent. Oleo lenitatis infundendum est vinum, & quandoque acetum, si vulnera putida sint, austeritatis, ut ipse Christus Dominus nos edocet. Samaritanus alligavit vulnera, infundens oleum, & vinum (e). In quem textum hæc scribit S. Gregorius Magnus. Sic miscenda est lenitas cum severitate, & faciendum est quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exul-

(a) Cap. xvi. (b) Cap. iv. (c) Cap. i. (d) Lect. iv. in epist. ad Titum.
(e) Luc. cap. x.

exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur (a). Hanc eandem mixturam adhibendam docet S. Augustinus. Sicut autem saepe sumenda sunt & amara salubria; ita semper vitanda est perniciofa dulcedo (b).

IX. Ecquid? arguantur non pauci. Tu ne Ecclesiae Doctor, ut eodem quo Patres, uti stilo iure queas, Sanctitate, prudentia, gravitate fulgebant illi; & tu misellus homuncio Prophetarum, sanctorum Patrum usurpare loquendi formulas non erubescis? Quis sibi inducere in animum potest, homines reperiri sic cerebro vacuos quos talia effutire paradoxa non pudeat? An divini Scriptores, an Doctores sancti, magistri nostri non sunt? Si magistri, & quidem a Deo nobis dati, illorum ne insistere vestigiis, & ad eorum exemplum stilum formare nostrum vetitum erit? Sancti, modesti, prudentes fuerunt illi, & caritate praestantes? Non ergo cum modestia, cum prudentia, cum caritate pugnat stilus severitate, & moderata acrimonia, pro re nata, aspersus. Sed vel ipsis Patres interdum acrius quam par est, locuti sunt. Esto. Quid ergo mirum, quid ergo commoveris, si & ego hominum minimus, & peccatorum maximus, aliquando in convellendis erroribus confinia transiliam moderatae severitatis? Me ne prudentiorem, cautiorem, sanctiorem ipsis sanctis Patribus aves, & contendis? Apage nugas istas, & merita ferula plecti errores finito.

C A P U T VII.

Postrema aetatis sanctorum, piorumque Doctorum, Thomae de Villanova, Bartholomaei de Martyribus, Sancti Caroli Borromaei, Baronii, Elizalde, Camargo, Alberti de Albertis exemplis confirmatur argumentum propositum.

I. Quia exempla verbis praestant, post testimonia & Scripturae divinae, & antiquorum Patrum, postremae Doctorum aetatis documenta afferre in medium lubet. Hi siquidem, veterum insistentes vestigiis, libero & praevalido stilo pravas infectati opiniones sunt, extremis nimiae asperitatis, & adulantis benignitatis exacte declinatis. Chorum ducat S. Thomas de Villanova, qui adversus Theologorum, & Confessariorum perniciosam indulgentiam hoc stilo invehitur. Quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum, & Pastorum blandiens adulatio, delinens, demulcensque assentatio? . . . Heu, heu! ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. In domo Dei horrendum vidi: Pastores Domini sui oves iugulantes, medicos populi sui agrotos occidentes, iudices turpibus blandientes, censors flagitia palpantes, cacos gregem Domini dirigentes. An non horrendum hoc? Hi sunt Prophetae mendaces, in quos Dominus per Prophetam invehitur dicens: Eo quod deceperunt populum meum, dicentes, Pax, pax, & non est pax. . . . O miseri animarum non curatores, sed interfectores, non consultores, sed deceptores! Quid respondebitis Domino pro grege, quem vestris blanditiis decepistis, vestris consiliis iugulastis? (c)

II. Archiepiscopus Bracharenis Bartholomaeus de Martyribus, doctrina, & probitate celeberrimus, hac oratione contra mores, & corruptelas sui temporis declamat. Insolentia Clericorum, cuius mater est negligentia Episcoporum, turbat totam Ecclesiam. Dant Episcopi sanctum canibus, id est ordines, & beneficia, & margaritas porcis. Et illi conversi conculcant eas. . . . O miserandam multorum Episcoporum incuriam per suam dioecesim peregrinantium, & aspicientium ovilia sua commissa lupis, hospitalia sua commissa homicidis, id est parochias commissas Rectoribus ignorantibus, & carnalibus (d).

III.

(a) Hom. xx. Mor. cap. viii. (b) Lib. IV. de doctr. christ. cap. v. (c) Fer. 6. post 4. Dom. Quadrage. (d) Stimul. Past. par. II.

III. Mansuetissimus natura erat S. Carolus Borromaeus: verum quis suo tempore acrius, atque vehementius opinionum, morumque corruptelas detestatus est? Quamquam vero mansuetudinis & benignitatis oleo stili asperitatem mitigaret; non propterea mollioris disciplinae fautorum declinare maledicta potuit. Caperunt hi, inquit Giuffanus, (a) palam infectari nimiam Archiepiscopi austeritatem. Et illius decreta, subdit Ripamontius, ut dura, iniqua, & aspera exaggerabant. Sed non ideo ab inceptis desistit. His criminationibus non offensus, neque deterritus, peragebat alia insuper decernere, consentanea istis quae nuper vitio data essent.

IV. Eminentissimus Cardinalis Baronius, splendidissimum Ecclesiae catholicae lumen & ornamentum, ecclesiasticae historiae parens, stilo caelesti unctione, & iusta asperitate, atque vehementi incitatione asperso, corruptas opiniones labefactavit. Haec vero de stili forma utenda scribit. Habeo post sanctissimos Patres, quorum in scribendo sequar exemplum, qui infracta animi constantia pro tuenda veritate adversus eam pugnantes, non humili, enervato, mollique stilo sunt usi, sed grandi, fortique, miscentes etiam reprehensionum acrimoniam, in eos sententias aculeatas instar fulminis intorserunt. Sunt innumera horum exempla annis ferme singulis in ipsis annalibus ecclesiasticis recensita, quorum ex usu, dum lego frequenter, atque describo, idem mihi dicendi genus inhaesit, quod haud despiciendum putavi, probe sciens illud dono Spiritus potius quam humana industria comparatum. (b)

V. Laurentius Mosemius, Lutheranae factionis scriptor elegans, atque inter suos gregales absque exemplo sane modestissimus, haec BARONII verba cavillari irrito conatu studet. Si BARONII (inquit) amplectamur sententiam, severitas LUTHERI, & sociorum eius testimonium erit Spiritus S. in illis inhabitantis (c). Ut modesto haeretico pari modestia respondeam, mitissime dicam, eruditum Mosemium, tetra Lutheranae haereseos caligine obductum, acumen scribendi, facundiam, eruditionem, aliasque dotes, quibus in tractandis ceteris argumentis abundat, in catholicorum Scriptorum censuris pronuntiandis omnes prorsus amittere, & foeda pro candidis, tenebras pro luce accipere. Contumelias, probra, convicia cum fortis, vehementis, grandique dicendi genere, hallucinatione, tam erudito homine indigna, confundit. Quid! Mosemi, in scenam productis excucullatum Lutherantum? Parcas mihi velim, si ex illius operum lectione appellare eundem cogor sycophantam impudentissimum, qui, fractis cuiusque moderationis aggeribus, Ecclesiae matris suae, unde apostasia descivit, viscera dilaceravit, qui contra legitimos suos superiores caperata fronte vexillum explicuit: qui furens, & bacchans Romanum Pontificem Antichristum, Episcopos cornutas bestias inurbanissime appellat. Quid itaque istius ardelionis, qui cum diabolo tot modios salis se comedisse iacet, disteria, convicia, & maledicta cum gravi & praevalido stilo permisceat? Quis umquam, vel ex baiulorum, aut fellulariorum faece emerfus, aequae illiberali, & scurrili oratione folia scedavit, ac haereticus iste tuus, perduellionis, & nefarii schismatis reus? Si cetera deessent argumenta, quae LUTHERUM hunc tuum diabolico spiritu actum evincunt, stilus solus quo usus ille est in eos quos sibi hostes finxit, id mihi luculenter demonstraret. Sed haec obiter. In semitam regrediamur.

VI. P. Michael Elizalde, perillustri SOCIETATIS IESU praeteriti saeculi Theologus nemini secundus, qui in exagitando Probabilissimo neminem parem habuit, testatur non solum doctrinam suam, sed stilum quoque suum, quia liberum, & vehementem, mollioris Ethices assertoribus displicuisse. Sed praeter causam ipsam STILI etiam DICTIO VEHEMENTIOR DISPLICUIT. Sed audiant dulci-
Conc. Theol. Tom. I. c 3 cedi-

(a) Lib. IV. vitae. (b) Apolog. Resp. adversus Card. Colum. Praef. (c) Diss. III. de Theol. non contr.

cedinis, & novæ benignitatis fautores nimii. An vero de alæ muscæ compositione quaestio vertitur, & non de salute in primis nostra, & dein etiam reliquorum, ut quantumque orationis vi, & efficacia uti non liceat? Utinam AUGUSTINI magnitudinem illam dicendi, & virtutem, qua non aurei fluminis, sed torrentis, instar in falsa queque ruit, ebibere valuissemus. Displicuit hoc in genere Corinthiis quibusdam Apostolus II. Cor. x. Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas: quoniam quidem epistolæ, inquit, graves sunt, & fortes &c. Ubi e re Augustinus. Erant quidam quasi docti, & spirituales (ideest quasi) qui de Paulo detraherent. Epistolæ quidem, aiunt, graves, & fortes sunt. Num Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, ubi de moribus causa vertebatur, molli oratione fluxerunt? An unus Magister noster adversus falsas morum opiniones Doctorum legis leniter labebatur? Iussi plane sumus arguere, obsecrare, increpare; quod ut faciamus, & non adulemur, PATIENTIA quidem OMNIS NECESSARIA (N. B.) est, ut Paulus supposuit. Quod si nihilominus excessivus, imprudentiusque aliquid excidit, omnis ait hos, aliosque defectus ignoscere. Optimam enim nos agere causam ut non ambigimus; ita optime agere minime deliramus, at præstantius ab aliis agi posse, etiam eorum, si vellent, qui modo adversantur, procul absumus ut diffiteamur. Velint sane ex Scripturis, & Sanctis viam salutis ostendere, & unum sumus (a). Theologus iste celeberrimus detractiones, calamitates, & persecutiones innumeras passus est, quod doctrinam sanam propugnaverit, & laxas opiniones insectatus fuerit.

VII. P. Ignatius de Camargo, eiusdem SOCIETATIS IESU doctissimus Theologus, unaque piissimus, causam hanc de stili genere adhibendo serio excussit, & hæc scribit. „Diu igitur, & multum rem meditatus, sincera, quantum mihi „mea conscientia ostendit, in ipsum finem operis intentione directa, post seriam „deliberationem, stili genus non flaccidi, vel mollis, sed vegeti potius, ac validi „plerumque mihi adhibendum censui. An temere decreverim, ut sapiens lector „iudices, rationes quibus tandem in hanc mentem inductus sum, summam hic „perstrictas ecce tibi subiicio.

„In primis generaliter errores in doctrina fidei, & morum (errorem hic, & „alias, ut iam præmonui, simpliciter accipio, ac philosophice pro deceptione qua- „vis) difficile convelli facile nosse. Hanc vero superare difficultatem disputatio- „ne placida ac leni difficile mihi videtur.

„Profecto SS. Patres Ecclesiæ, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Cy- „prianus, Prosper, Bernardus, & alii, qui, sicut in doctrina, sic etiam in modo „docendi, primi post DOMINUM Magistrum nostri sunt, dum similes errores op- „pugnant, non molli ac placida oratione fluere, sed torrentis ad instar ruere so- „lent. Puto vero in genere doctrinæ moralis vix peculiarem alium errorem inve- „niri, qui cum benigno isto Probabilismo, undecumque inspiciatur, possit confer- „ri. Porro quanti momenti negotium sit radicitus illum convellere, quantaque „aliunde plurimo ex capite illius convellendi difficultas, frustra commemorem, „cum res ipsa loquatur, & vel ex antea dictis facile pateat. “ (b)

VIII. Non minores quam collega suus Elizalde, sustinuit P. Camargo pressuras, & persecutiones ob hanc liberam, validamque scribendi rationem. Ad ipsum sanctæ Inquisitionis tribunal in suspicionem adducere eius doctrinam tentarunt æmulum, quod capitalem Probabilissimi errorem, nempe ignorantiam probabilisticam, prævalido stilo exagitaverit, atque labefactaverit. Ecce illius testimonium. Sciat interim lector nos paucis ab hinc annis ad sanctæ Inquisitionis tribunal semel, & iterum fuisse delatos, irritis tamen, Deo juvante, nostrorum delatorum conatibus (c). En quam desi-

(a) In Pref. ad 2. part. (b) In pref. §. II. pag. 26. & seq. (c) Reg. Hones. P. I. Lib. I. contr. 2. art. 3. num. 12.

despiciant illi qui blaterant, ita scribendum esse, ut omnium lectorum murmura, & dicta vitentur; perinde ac si prædicari aliquando vel potuisset, vel posset arcta, & angusta via, quam christiana Theologia calcandam proponit, quin laxioris viæ patroni, quorum, teste Domino, maior est numerus, reclamarent, obfisterent, atque calumniarentur.

IX. Finem huic capiti imponat alter celebris, & sanioris doctrinæ assertor, & vindex acerrimus, P. Albertus de Albertis, inlytæ SOCIETATIS IESU Theologus. Is sæculi prudentes, qui continenter in ore habent pacem, benignitatem, & prudentiam, cuius vel ipsam notionem ignorant, acri sale vellicat, pungitque, ut resipiscant, & tandem aliquando, quid sit prudentia christiana, quid moderatio evangelica, perdiscant. Prolixa sunt quæ descripturus sum, sed prolixitas emolumento, quod inde lector capiet, compensabitur. „Adeste Confessarii inlyti: „adepte Concionatores fervidi: adeste solliciti animarum Pastores: adeste infu- „lata capita, Antistites, ac Præsules, Religiosi, atque Ecclesiastici universi. Vos, „vos ego contestor omnes, vos, quos Dei amorurit, proximorumque ab æterno „interitu retrehendorum cura saltem aliqua vos tangit: vos, qui fascino soporati veteri corruptelæ nudandi feminei pectoris nullum bellum hæctenus intulistis: eia num tandem silentium minime tutum rumpite: iam inertis tolerantiam modum ponite: iam vexillum erigite, iam tuba canite, iam lingua, & calamis clamate. . . . Versentur ob oculos innumera mala quæ ex tali consuetudine, sine ullo meliore compendio proficiuntur. Et nemo, cui christiani spiritus viscera aliqua sint, sancte non excaudescat. Nemo adversus divinas Scripturas, vel naturale ius, quæ hinc læduntur, potest præscribere, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. “ (a)

„Non pauci qui moralium quæstionum arbitros sese constituunt, atque inter Theologos irrepere, & censeri cupiunt, sæpe numero, quamvis divinarum litterarum, præcorumque Patrum sententia perspicua in controversia aliqua ex adverso obliteretur, nihilominus, ut nescio quibus suis placitis, nullo fundamento etiam innixis, ferviliter ancillentur, suaque dogmata, quæ semel imbibierunt, perfracte tueantur, vim plane apertam tam sacris codicibus, quam Patrum monumentis inferre, utrosque torquere, eludere, inflectere, luxare, ac traducere minime dubitant. Si quam etiam mundi corruptelam, valde usitatam, Scriptura sacrosancta, & Patres improbant, damnantque, ii omnem operam, studiumque, quo hominum gratiam aucupentur, eiusdem corruptelæ patrocinio suscipiendo impendunt; atque ut impendant, eandem Scripturam, & Patres ludibrio quam religioni habere malunt, ne dicam prodere. In quos sane ac pariles stomachum merito erumpens S. Hieronymus epist. ciiii. ad Paulinum sapienter ita expostulat: Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post seculares litteras venerint, & sermone composito aurem populi mulserint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur quid Propheta, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam trahere repugnantem.

„Ab his vero si quis forte rationem, cur alicui opinioni adhæreant, postulet, indignantur; si auctoritatem, rident; si Doctores, fremunt; suum ipsorum iudicium pro ratione, pro auctoritate, pro Doctoribus abunde sufficere arbitrantes. In quos male ego metuo, ne effatum illud, quod circumcellionibus, hominibus plane opiniosissimis, olim solemne erat, primumque habebatur, ut memorat S. Augustinus epist. xlvi. Quod volumus, sanctum est, quadret ad amuffim; honestumque, iustum, ac sanctum, simul ac iucundum, ac conducibile illis videtur,

(a) Parad. disp. II. cap. cciv. num. 67.

„ illico ab eis decernatur. At divina Scriptura aliter dilucide statuit: nihil refert,
 „ figurate loquitur. At Patres agminatim secus palam docent: nihil obest, exag-
 „ gerationi libenter indulgent. At locus tergiversationi non est. Enucleate Scri-
 „ pturæ, & Patres contra censent. Quid tum postea? Non proprie, sed per me-
 „ taphoram concionantur Quid quod aliquas multi morales controversias
 „ ita subinde definiunt, ut non tam veritati quam personarum gratiæ venaliter
 „ ancillari videantur; non secus ac Iurisperiti plerique auro conducti, iura le-
 „ gum non iustitiæ, vel æquitati, sed clientum cupiditati, & lubentiæ attempe-
 „ rantes? Nam qui non rationis defæcatæ præscripto ducuntur, sed cæcæ appeti-
 „ tionis impetu abducuntur, non solum veritatem ipsam et tenebris minime eruunt,
 „ sed in meridie quoque licet clare micantem, multa politicorum fucorum, vul-
 „ pinorumque respectuum caligine obvolvere, ac de terrarum orbe in cimberia
 „ antra detrudere mire satagunt, quorum ingenium sapientiæ coriphæus Salomon
 „ Prover. xxviii. ad vivum hisce verbis expingit: *Qui cognoscit in iudicio faciem,
 „ non bene facit: iste & pro buccella panis deserit veritatem . . .* Hinc complures quo-
 „ que viri, qui suismet dumtaxat oculis se ipsos contemplant, magni etiam,
 „ ac nimio plus se æstimant, quoniam ea quæ sunt hominum, & non Dei, tan-
 „ tummodo sapiunt, doctrinam omnem quam tenent, humanis respectibus fæ-
 „ de mancipant: damna animarum non intelligunt, occasiones peccatorum non
 „ percipiunt, corruptelas morum nihil pendunt. *Quid mirum? Qui secundum car-
 „ nem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, ut ex Apost. oraculo Rom. vii. i. per-
 „ spectum est. Qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sapiunt. Nam
 „ prudentia carnis mors est . . .* Hæc videlicet carnis prudentia ipsissima est quæ
 „ in controversiis conscientiæ examinandis, in animarum iudicio ferendo, in fo-
 „ ro Poli gubernando faciem cognoscit: hæc, quæ personas hominum intuetur:
 „ hæc, quæ pro panis buccella veritatem deserit: hæc illa, quæ multas opinio-
 „ nes, veræ probabilitatis expertes, veluti probabiles, ac tutas venditat: hæc
 „ illa, quæ communibus, & certis Doctorum sententiis, sola auctoritate, sine
 „ ratione, inveteratam auctoritatem, rationum pondere subnixam, detrudere c-
 „ natur: hæc illa, quæ regiam viam exploratæ doctrinæ relinquens, per avia,
 „ & præcipitia levissimæ subtilitatis incedit: hæc illa, quæ vires omnes soler-
 „ tiæ, eruditionis, industriæ, ac studii ad opiniones carni, & sanguini favora-
 „ biles invehendæ, muniendæque, ad oppositas vero animæ ac spiritui salutares
 „ convellendæ, & labefactandæ expromit. In schola quippe carnis prudentia car-
 „ nis magistra & patrona carnis quid, quæso, nisi carnem doceat? “ (a)

C A P U T V I I I.

Potissimum atate nostra stili validi, & vehementis usus necessarius. INNOCENTII XI.
 decreti, quo interdicitur censura, & nota in eas propositiones quæ inter
 Catholicos disputantur, germanus sensus. Quid æqui rerum
 arbitri in librorum lectione servare debeant.

I. PRæter rationes adductas pro stilo valido & forti, aliæ adducendæ supersunt
 ex modo opinandi noviter invento repetitæ. Ab uno & amplius sæculo con-
 troversia theologicæ non iuxta normam veritatis, aut falsitatis, sed iuxta vagæ
 probabilitatis, aut improbabilitatis regulas dirimuntur. Ante infelicem Probabi-
 listi ortum, sat erat veras, aut veritati propinquiores doctrinas proponere, ut
 quisque easdem amplecteretur. Quam nunc victoriam allequeris, si dixeris: Hæc
 sen-

(a) In præclud. ad paradox. num. 1. 2. 4. 5. & 6.

sententia vera est, aut veritati propior? Reponunt Casuistæ: Quid veritatem ob-
 trudis? Veram, aut falsam esse ignoramus. Illud scimus de eadem Theologos diffi-
 dere. Porro quæ in utramque partem a Theologis disputantur, duplicem opposi-
 tam probabilitatem induunt. Si enim duo, aut quatuor stant pro una parte, pro-
 babilem nobis efficiunt opinionem commodam, & indulgentem. Quæ laxitatum
 portenta invexerit hic disputandi modus, ab evangelica sinceritate, & sanctorum
 Ecclesiæ Doctorum sapientia omnino alienus, ingentia testantur volumina talium
 disputationum plenissima. Qui miti, & molli oratione contra eiusmodi disputan-
 di genus in arenam descendit, quid aliud præstat quam & laxiori opinioni proba-
 bilitatem, & adversariis animos addere, quam audaciores, & victores illos effi-
 cere, iisdemque fasces submittere? Clamant enim continuo triumphantes Probabili-
 stæ: Opinio nostra proscripita non est. In eam nihil pronuntiavit Ecclesiæ. Sit al-
 tera probabilior, sit verisimilior, sit securior. Propterea ne improbabilis nostra e-
 rit? Nonne vel ipsa extrinseca auctoritas probabilitatem parit? Quid itaque aures
 obtundis maiori tua probabilitate, cum & nostra vere sit probabilis? Siquidem tunc
 vere probabilis est, etiam in conspectu probabilioris, cum ab illa stant tres,
 quatuorve Doctores, aut unus gravissimus.

II. Summi Pontificis Alexandri VII. universæ Ecclesiæ Gallicanæ, atque sa-
 pientum Theologorum auctoritate nixus hunc opinandi, & disputandi modum per-
 niciosum, omniumque malorum fontem firma persuasione reputo. Illum video uti-
 queque irruentem, & imperitorum mentes ab ipsa infantia veluti obruen-
 tem. Iure ne mihi succensere Casuistæ valent, quod ita sentiam? Iniustos, &
 ridiculos se proderent, si ob id me improbarent. Ergo qua ratione persuasio-
 nem suggillare ræeam nequeunt, eadem adprobare coguntur, quod stilum gravem
 & acrem adhibeam, quo opiniones, ut ego quidem arbitror, depravatas labe-
 factem. Numquid torrentem rapidissimum exiles, tenuesque aggeres coercebunt?
 Numquid opiniones adeo prævalentes, altiusque mentibus infixas, tenui ora-
 tione convellam? *Quomodo* (inquit Seneca) *opiniones totius ævi, quibus protinus in-
 fantia imbuitur, evinces? Quibus ingenii viribus obnixam contra te persuasio-
 nem humani generis avertes? Verba mihi captiosa componis, & interrogatiunculas ne-
 stis? Apage nugas. Magnis rebus magna portenta feriuntur (a).* Quid, si non modo
 feriri, sed iugulari etiam debeant?

III. P. Ignatius de Camargo, longo experimento edoctus, didicit, submissum
 dicendi, scribendi que genus vanum, ineptumque esse ad falsas morum commenta-
 tiones exterminandas. Cur? Animum intende. Plurimi sanioris Ethicæ vindic-
 ces, & Probabilismi confutatores temperatissimo scribendi genere usi sunt. Quid
 hæc Probabilistæ? Ita scripserunt, inquit, ob merum censoriam inurendi no-
 tam opinionibus nostris benignis, & obsequium Probabilismo debitum. Tempera-
 tum ergo scribendi genus, non modestiæ, sed reverentiæ debitæ minori probabili-
 tati, & opinionibus quæ liberati favent, quasi ovantes vertunt. Et tunc cur nos,
 qui vehementiore stilo utimur, tamquam mordaces, maledicos, & caritatis vio-
 latores deprædicent. Cur tu, quam commemorasti, reverentiam erga nostram sen-
 tentiam non imitaris? An sat tibi non est tua propugnare, quin etiam nostra
 quoque carpere audeas? Quid hoc tuo mordaci scribendi stilo tot rumores concita-
 tas, tot turbas excitas, & tibi, ac aliis odium, invidentiam, atque damna plu-
 rima conquiris? Hæc sunt non paucorum Probabilistarum effata, quæ in vulgus
 diffeminant, quæque ab homunculis sane imperitissimis ipse exprobrari audiit. Sed
 audiant isti doctissimum Iesuitam Patrem Camargo. *Neque vero Auctorum nostrorum
 moderationem, & temperatum disputandi genus, quo modestissime plures usi sunt, mode-
 stis*

(a) Epist. lxxxii.

stia tribuunt, sed reverentiam debitam sententia sua, & metum potius nostrum interpretantur Hæc multorum annorum observatione, atque experientia adeo frequenti didici, ut nihil hoc in genere magis mihi compertum sit. Et sunt præterea adeo de se notoria, ut nesciri a nemine possint. Tot autem tantaque communis, ut mihi videtur, deceptionis præiudicia, idest magna, ac ingentia impedimenta veritatis, placida, & moderata disputatione vincere, opinor, difficillimum est, si humani ingenii morem attendas (a).

IV. Accedit quod nisi stilo forti, ac libero laxæ opinioniones repellantur, earumque fautores elata oratione in officio contineri pro viribus curetur, imperitorum ruina consequitur. Populus maximo impetu ad dulcia inorum blandimenta abripitur, & nativo pondere ad illecebras consuetudines fertur. Quid, si Magistrorum placencia loquentium accedat auctoritas, & incitamentum? Quin (pergit Camargo) licet pauci forent (qui plures tamen sunt) illi qui per eiusmodi confidentiam ita loquerentur, & docerent, nec tunc stilo forti, ac valido parcendum forte esset, quod, nisi reprimerebantur, valere possent ad decipiendam populi incautam multitudinem. Accipe Ambrosium, utique probum, vereque prudentem magistrum, qui quæ sit nobis in tali eventu stili forma tenenda, diserta regula præscribit . . . Sint sermones tui huiusmodi, ut stimulent audientem, compungant male conscium. Sermones enim sapientum, quasi stimuli. Stimulavit & Dominus IESUS. Sed ut luculentius palam fiat sophistica argutationis pravitas, & ut ingentia mala Pyrhonismi, & Tolerantismi, quæ inde necessario manant, quisque veluti manibus tangat, exempla in subsidium advocanda sunt. Mundani homines deliciis, & voluptatibus addicti, numquam excandescunt, quod virtutis, quod sanctitatis merita extollamus; sed conqueruntur, quod in illorum luxum, fastum, blandas consuetudines, & suavia oblectamenta tamquam in perniciosissimas corruptelas, & æternæ damnationis laqueos declamemus. Nihil curant hæretici, quod nostra propugnemus dogmata; sed quod illorum fucatis erroribus larvas detrahamus, & technas, dolent. Cantitant & ipsi, non secus ac nostri Benignistæ: Vos vestra propugnate; & nos nostra. Sic pax, & tranquillitas nos inter & vos vigeat. Nonne heinc æque in religionis, ac morum doctrina Pyrhonismus, & Tolerantismus triumphant? Numquid ex nostrorum dogmatum prædicatione hæreticorum aliquis e tenebris emerget, nisi, religionis nostræ patefacta veritate, simul eorundem latentes errores labefactarentur? Respiciant ergo tandem aliquando blandiloqui nostri, & eumentitæ mansuetudinis, larvatæque caritatis buccinatores, & intelligant, vanum fore laborem nostrum, nisi, intaminata doctrina demonstrata, opiniones simul, quas nos morum sanctitati, humanæque societati exitiosas iudicamus, pro meritis & dignitate cadantur, & profligentur.

V. Quid quod ipsi Probabilistæ stilo non modo acri, & vehementi, sed contumelioso etiam, & conviciis pleno utuntur, quoties saniores doctrinam nostram oppugnant? An in eorum voluminibus passim eiusmodi declamationes, & altius exaggeratæ locutiones non occurrunt? Nos scilicet iugum Christi severius exasperare, onera gravissima, & hominum viribus superiora Phariseorum more imponere, ianuas cæli occludere, legem observatu impossibilem efficere, sacramenta frustranea reddere, fideles in orcum incredibili feritate & sævitia detrudere? An tamquam Calviniana, & Ianseniana fuligine tinctos, & tamquam indiscretos, Misanthropos, Fanaticos, Tutioritas, & Rigoristas nos per imperitæ multitudinis ora non traducunt? Nec propterea nos commovemur, quod sciamus, illos bona id præstare fide, ut videlicet benignitati, quam Christianorum saluti commodam reputant, auctoritatem, famam, & existimationem concilient. Ut quid ergo tam delicatos mollesque se produnt illi contra Antiprobabilistas, dum hi pari fide bona eorundem opiniones, quas noxias & veneficas arbitrantur, sapientum præ-

dio

(a) In præf. §. 17.

dio fulti rejiciunt, improbantque? Indoles iuniorum plurimum hæc est, respondet præfatus Iesuita Camargo, delicatissimos nempe se patefacere, cum opinionum mollitiem acri aceto perfundi sentiunt, audacissimos e contrario, & mordacissimos se habere in saniore doctrina nostra carpenda. „ At video, complures esse „ Probabilistas sane delicatissimos, qui, cum ipsi audacissime non modo de nostra „ sententia, verum & de patronis ipsius quidvis loquantur, & scribant, benignam „ tamen suam opinionem vel leviter tangi non ferunt. Nos vero quomodo habi- „ tuos putemus, quod audacter, ac fortiter contra illam agamus? Parum erit, „ si acerrime nos refellant, quin insuper nos pronuntient de violatis pontificiis de- „ cretis, quibus aliquam notam, vel censuram inurere catholicorum hominum o- „ pinionibus, quæ adhuc hinc inde controvertuntur, Theologis interdictum est. „

VI. Decreti Pontificis Innocentii XI. cuius hic meminit P. Camargo, germanus sensus exponendus. Hæc sunt decreti verba. Idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientie eis præcipit ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus, ac predicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognita sint, & super iisdem propositionibus iudicium profertur. Præcepti istius obvius, & genuinus sensus est. Caveatur ne propositiones quæ inter Catholicos in utramque partem disputantur, censuris, conviciis, aliisque notis feriuntur. Censuræ autem quæ inuri propositionibus solent, sunt sequentes. Hæretica, schismatica, erronea, sapiens hæresim, hæresi proxima, male sonans, piarum aurium offensiva, iniuriosa, blasphemica, impia, scandalosa, temeraria. Nulli propositionum earum quæ inter Catholicos hinc inde disputantur, aliqua ex recensitis censuris inuri licite valet. Porro, ut clarior habeatur pontificii decreti sensus, duplex distinguenda censura. Altera formalis, quæ dogmatica, & definitiva appellatur, Ecclesiæ iudicio reservata, & cuilibet privato Doctori vetita. Altera, quæ vi iusti ratiocinii infertur, ut evenit in argumentatione ab absurdo: & hæc nullo modo vetita est: alioquin argumentatio ab absurdo interdicta foret; quod dici a nemine potest. Hanc distinctionem tradunt vel ipsi benigniores Probabilistæ. Unum laudare sufficiat P. Claudium La-Croix, qui post relata pontificii decreti verba hæc scribit. „ Si quis tamen sententiam aliquam appellet im- „ probabilem, vel levem, saltem in communiore sensu, non est censura, ut no- „ tat Hurt. Lugo, Cardenas in cris. dif. ix. num. 297. Neque si appellet laxam „ in communiore sensu. Ideoque dicit Cardenas, quod levissimum genus censuræ „ theologicæ sit dicere temerariam Prohibetur tantum formalis censura. „ Non autem si dicatur aliquid de sententia, ex quo inferri possit censura (a). „ Bartholomæus de Espejo Episcopus Malacitanus in exposito sensu interpretandum esse citatum præceptum docet. (b) Nullo itaque modo vetantur neque hæc censuræ, improbabilis, falsa, relaxata, morum integritati perniciose, multorum corruptelarum caput; neque absurda, tamen portentosa, quæ ex aliqua sequi opinione, demonstratur. Benignioris Ethices patroni non pauci, qui legis naturalis, & divinæ gravissima mandata amplissima liberalitate attemperare humanis moribus, & benigniore in sensu exponere innumerabilium distinctiuncularum multitudine student, hoc pontificium decretum in sensu æquo severiore, interpretari omni dexteritate conantur. Quod ne quis hæc a me gratis asseri suspicetur, in medium promam quæ Cl. Iesuita P. de Camargo scribit. „ Hoc nimirum præceptum (quod utique „ consultissimum est) benigni recentiores suscepisse quam libentissime, ac libera- „ lissime videntur. Nam, cum reliqua fere omnia, tamquam onerosa ac odiosa „ (sic enim loquuntur) restringenda esse pronuntient, sive, ut iidem aiunt, beni- „ gne

(a) Lib. I. num. 199. (b) Tract. de usura personata cap. III. num. 48.

gne interpretanda; hoc tamen pontificium præceptum adeo severe ac rigide intelligendum censent, ut nemini liceat post illud opinionem viri cuiusvis Catholici (sic enim audivi propriis auribus a quodam præclaro Magistro) vel falsam simpliciter dicere. Quin vix prodeat in lucem liber ullus contra moralem laxam doctrinam, quem non statim deferant ad fidei tribunalia, tamquam ream violati decreti pontificii. Quo tendat rigor iste benignitatis, difficile non est divinare. At verum certumque manet, leges iustas, & sanctas sibi repugnare non posse (a). "Facillimum sane est divinare, quo severa hæc interpretatio tendat, eo nempe ut quisque Casuista quamlibet opinionem, fucis probabilitatis illiram, quamquam alioquin laxissimam, evulgare pro libito valeat. Si vetitum foret opinionem aliquam laxam, improbabilem, & morum integritati exitiosam appellare, atque corruptelarum scaturiginem, æque interdictum esset eam dicere falsam. Si enim opinio moralis falsa est: ergo & moribus perniciofa, exitialis, & corruptelarum origo. Audiamus iterum citatum Camargo. „Itaque, cum conflet decreta pontificia, de quibus hic agitur, ad hunc finem potissimum dirigi, ut doctrinæ morales christianis moribus perniciosæ eliminantur, & ab earum præxi oves Christi deterreantur; nemo sibi persuadeat in ea peccare, & non pro iis potius pugnare Theologos qui totis viribus connituntur ad ea radicitus convellenda ex quibus velut principiis doctrinas eiusmodi suum traxisse virus arbitrantur. Ad hæc, quisquis refellit aliquam opinionem, falsam eam simpliciter censet, & dicit. Opinionem vero moralem, humanæ libertati contra legem faventem, esse falsam, & noxiam, proinde est; & qui alterum dicit, utrumque affirmat. Aut igitur benignam opinionem nemini, tamquam falsam, refellere licebit, aut licebit eam refellere, tamquam doctrinam moribus exitialem." (b)

VII. Argumentatio isthæc ineluctabilis. Moralis opinio falsa, [mortifera anima est. Qui itaque eam falsam pronuntiat, eandem veneficam, exitialemque animæ, moribusque christianis pestiferam asserat necessum est. Licet primum: ergo & secundum. Quid itaque vociferantur Probabilistæ, criminanturque stilum nostrum, dum opiniones benignas, legem Dei laxantes, & libertati humanæ indulgentes, tamquam perniciosas, exitiales, & corruptelarum scaturigines reiicimus, labefactamus, altiusque lectoribus inculcamus fugiendas esse, atque de medio exterminandas? Sunt hæc moralis falsitatis necessaria consectaria, non arbitrariæ censuræ. Fortius hæc absurda, quæ sensus percipiunt, exaggerantur, ut occulta falsitas facilius deprehendatur. Quoniam, ut dixi, argumentatio ab absurdo frequentissima est in unaquaque scientia; sed potissimum in morum Theologia, ut sapienter advertit citatus P. Camargo. „Insuper nemo iure reprehendat eum qui disputans in sententiam benignam, deduxerit ex ea sequelas plurimas, quas affirmet, aut probet longe esse horrendissimas, vel hereticas etiam, aut blasphemias, ex quibus ipsam benignam sententiam deducit esse falsam. Alioqui argumentum ab absurdo (quod aiunt) seu impossibili, quo nullum in Theologia frequentius est, oportebit de medio tollere. Nonne & Probabilistæ, vel modestissimi, passim de nostra sententia affirmant, & suadere pro viribus nituntur, eam divinas leges reddere observatu impossibiles, iugum Christi importabile, sacramenta frustranea, cæli ianuam imperviam, & his similia, quibus nihil absurdius sit? Quis vero propterea conqueritur, aut eos reprehensione dignos pronuntiat de isto genere argumentandi? Id, lector, volumus diligenter observare. Nam argumenta nostra fere eiusmodi sunt, & quoties in benignam sententiam exclamamus, hoc argumenti genere tacite vel expresse differimus." (c)

VIII. Quæ omnia ut luculentius illustrem, germanus istorum verborum: Quæ inter

(a) In præfat. §. II, pag. 28. (b) Loc. cit. (c) In præf. §. II.

inter Catholicos hinc inde controvertuntur: sensus declarandus est. Aio ergo, illas propositiones inter Catholicos in utramque partem disputari, quæ ab universitatibus, a factis Ordinibus, Scholisque catholicis aliqua constitutione, aut statuto, vel tacito consensu adoptatæ sunt. Celebres sunt controversiæ quæ iamdudum in Scholis Thomistica, Scotistica, Augustiniana, Moliniana in utramque partem disputantur; censuras in istarum sententiarum aliquam ferre, vetitum in decreto est. Quis vero dixerit, opinionum laxarum portenta, quæ isti, vel illi Casuistæ invexere, sententias dici debere quæ inter Catholicos libere disputantur? Cum hæretici, ceterique christianæ religionis hostes nobis exprobrant innumeras Casuistarum horrendas opiniones, cum evangelica sanctitate omnino pugnantes: quid responsi damus, nisi quod eiusmodi opiniones non Catholicorum, sed privatorum quorundam Casuistarum commenta sunt? Quid quod neque in istas contorqueamus censuras formales; sed illarum falsitatem, horrorem, & perniciem patefacimus?

IX. Verum ab absurdo argumentationem instituamus, & cum P. Camargo, quo tendat rigor iste benignitatis, tandem videamus. Age porro. Nisi liberum nobis esset clamare, & quasi tubam exaltare vocem nostram contra illas opiniones quæ in clamore prodeunt, quid tum? Casuistarum cuique impune evulgare laxiores, & exitiales opiniones liceret, cum ingenti morum, animarumque pernicie. Hæreticorum quisque effingere se catholicum posset, & hac sub larva Ethicem benignissimam, hominum appetitionibus indulgentem, disseminare in vulgus. Si quis calamum fringeret, aperteque laxitatis deformitatem, & horrorem patefaceret, inclamarent continuo opinionum Auctores: Heus tu, quid censuras, quid convicia, quid notas adversus opiniones, quæ inter Catholicos hinc inde controvertuntur, intorques? Tu ne censor legitimus? Nihil adhuc Romana Sedes in has opiniones pronuntiavit; & tu antevertere iudicium istud audes? Et quoniam S. Sedes lento pede, maturoque consilio, ut decet, in eiusmodi controversiis dirimendis, definiendisq; incedit, & nonnisi post longa examina, prolaxasque preces, severasque inquisitiones iudicium pronuntiat; & sæpe multa & graviora occurrunt negotia quæ tempus protrahunt, celeremque impediunt decisionem; si privatis Doctoribus hoc intermedio tempore silendum, aut clamandum submissa tantum voce, levique brachio pugnandum esset, grassarentur ad animarum exitium mellita opinionum veneficia, mentesque hominum præoccuparent, atque infatuarent. Quid enim ad opiniones laxas convellendas valent lenes, humilesque consutationes, ubi Probabilismus dominatur? Respondet P. Ignatius de Camargo: Profecto, si de Hispania nostra, ubi Probabilismus dominari videtur, haud secus movent animos plurimorum disputationes lenes, aut temperate, quam tenuis aura spiritus movere montem possit. Rem loquor non incomptam. Unde autem oriatur hæc immobilitas, satis est notum. Nempe populi plausus secutus ad placentem ac indulgentem Probabilismi benignitatem, communis consuetudo, ex illaque procedens indulgentiæ necessitas, aut certe sustinendi MULTITUDINIS ODIUM; numerus sectatorum, & ex illorum conflata ingens pro vulgo auctoritas Theologicæ benigne, vulgaribus insuper rumoribus, fabellisque citra examen ullum probatis ultra modum adaucta: hæc, inquam, omnia, ut alia prætermittam, tantos benignis Theologis animos faciunt, tanta mentes ipsorum securitate in benigna sententia firmant, ut Magistri complures, atque ex eorum dictis etiam discipuli, vix non ut fidei dogma, sententiam suam populo venditent, & incredibili confidentia, quidquid contra illam differitur, neque attendendum unquam, neque curandum, sed prorsus abiiciendum, ac contemnendum decernant (a). Hoc autem Probabilismi fermentum per universam moralem doctrinam massam serpit. Omnes fere controversiæ per magis & minus probabile dirimuntur. Et quoties opinio aliqua, etsi laxissima, paucorum Auctorum præsidio

(a) Loc. cit.

fulcitur, continuo probabilitatis, extrinsecus saltem quæsitæ, larvam induit: & quia placentia exhibet, multitudinis plausum sibi conciliat. En itaque acuendi stili, & exaltandæ vocis necessitatem. En quam solida sit, & communis pontificii præcepti interpretatio, a gravissimis Theologis data, & ex ipsius causæ vicibus arcessita.

X. Si rationum, & auctoritatum momenta, quæ hætenus adducta sunt, haud sufficiunt; in mentem revoces velim decretum alterius Pontificis ALEXANDRI VII. cuius sub oculos inducere verba operæ pretium existimo. *Santissimus D. N. audit, non sine magno animi sui dolore, complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrecere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepit, alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina: & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christiana vita corruptela.* Si istorum luxuriantium ingeniorum licentiam coercere, si istarum opinionum in dies prodeuntium clades avertere, si errorum corruptelas ad animarum perniciem grassantes labefactare totis lacertis, msculoque stilo adnitamur; ob hoc ne violati pontificii præcepti fontes erimus? Quisnam hic modus opinandi investit: ad animarum exitium? Modum probabilisticum hunc esse, luculentissime demonstravi in Historia Probabilismi (a). Quid quod universa Ecclesia Gallicana hunc probabilisticum modum, omnium malorum scaturiginem, & corruptelarum fontem compellat? Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam quam nec ipsi ut probabiliorum eligendam iudicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis & notis Auctoribus postremo demum seculo proditum, & ab eisdem pro morum regula positum, repugnat huic effato (Vinc. Lirin. com. 1. c.) celebrato, Quod ubique, quod semper, quod omnibus: nec habere potest christiana regula securitatem. Hoc initium malorum esse, atque omnium ante dictarum corruptelarum caput, hoc in censuris apologie Casuistarum ab antecessoribus nostris viris fortibus, ac religiosis censorie notatum (b). Vetitum ne nobis erit, eisdem loquendi formulis uti quas & Alexander Papa VII. & universa Ecclesia Gallicana in suis comitiis congregata, & sancti Ecclesiæ Doctores, ac graviores Theologi adhibent?

XI. Igitur æqui rerum æstimatores in librorum lectione ad hanc respicere regulam debent, quam tradit P. Michael Elizalde. Is perdoctus Iesuita, diuturna eruditus experientia, sapienter admonet, nullum librum tutum esse, si a delatoribus, & lectoribus odio, invidentia, aut præiudiciis occupatis in discrimen adduci contingat. Solent (inquit) opus tunc minutissimo examine perscrutari, si quo modo in re, vel in sermone capiant . . . Si quid christiana sinceritate Sanctorum more dicatur, liberius dictum esse, & iniuriosum criminantur. . . . Superfunt summorum Doctorum exempla, quorum accusatio rem istam reddit nimis manifestam vexarunt quippe criminationibus Doctorem etiam in exponendis sacris Scripturis maximum. Adeo nemo tutus esse videtur, si hostis lector accedat (c). Quicumque ergo censoriam trutinam alicuius libri suscipit, præmittere severum animi sui examen debet, ultimosque subire recessus, penitusque lustrare occultissimas amoris, odii, invidentiæ inclinationes, affectus erga unam præ alia scholam, spei, aut timoris, validissimos veritatis hostes. Ab hoc quippe animi censoris examine magnopere pendere iudicium potest, nisi animus a præiudiciis indicatis vacuus sit.

XII. Secundo loco serio, maturoque consilio doctrina libri in primis expendenda est. Si hæc sana ex omni parte fuerit, stili, verba, redargutiones, ceteraque

(a) Tom. I. (b) In Conv. Gallican. an. 1700. (c) Lib. VIII. quæst. 1. §. 7. pag. 8.

que omnia in meliorem sensum sunt interpretanda. Si enim liber apologeticus sit pro saniore morum doctrina, & contra nimium laxas opinionationes; illud præ oculis habendum, nempe nihil tam infestum Ecclesiæ sanctæ esse quam doctrinas falsas, morumque relaxativas. E contrario nihil ad decorem Ecclesiæ agi utilius potest quam eiusdem doctrinæ puritatem, morumque integritatem a pravis opinionibus corruptisque doctrinis vindicare. Si huc tendat libri spiritus, laudandus & commendandus est stili gravis, fortis, ac vehemens. A solis pravæ opinionum Auctoribus, qui propriam gloriolam, vanamque existimationem, Ecclesiæ gloriæ, & dignitati præferunt, reprehenditur acris & severa oratio, quam necessario postulat opinionum perniciem convellenda. Axioma celeberrimum Iesuitæ P. Ignatii de Camargo prudenti meditatione dignum est: Quo tendat rigor iste benignitatis, difficile non est dirimere. Eo scilicet fertur, ut quisque pro ingenio opiniones evulgare libere queat, nemine altius vocem extollente, & fortiter obfistente. Huc pertinent lamentationes illæ adversus stilum validum, fortem, & iuxta opinionum convellendarum laxitatem, acrem, & liberum. Verum de hoc plura infra.

C A P U T IX.

Vindictæ stili gravis, & validi adversus corruptas opiniones a P. Alberto de Albertis adornata. Mollioris Ethices patroni, non doctrinam sibi adversam, sed stilum dumtaxat enucleare solent.

I. Nihil amari hodie lugent pii, doctique omnes, quam & flagitiorum utique-que graffantem luem, & opinionum blandimenta, quibus vitiis ipsis virtutis larva apponitur. Res comperta, & obvia. Contra, nullo tempore altius voces insonuere quam modo adversus Tutorismum, & Rigorismum, ac si periculum immineret gravissimum, ne Christiani ieiuniorum, vigiliarum, & penitentiarum severitate oppressi, ciliciis, & flagellis excarnificati, sanguine, & tæbe consumpti, vitam sibi truci, & immani rigore eriperent, & veluti Circumcelliones, & Flagellantes ad generis humani perniciem faverent. Periculi ne istius umbra occurrat? Quid ergo Tutorismus, & Rigorismus obtruditur? An Laxismus utique-que non grassatur? An opinionum corruptelæ ad christianæ disciplinæ exitium non triumphant? An mollioris Ethices patroni, non adversus doctrinas falsas, sed adversus stilum, quo eadem refelluntur, non inclamant, non murmurant? Ille ne sanctæ religionis zelus? Hoc ne redintegrandæ castioris morum Ethices studium, arque sollicitudo?

II. Plura hætenus ipse scripsi contra opinionum laxarum portenta, pluresque expertus sum adversarios. Istorum nemo vel unam meam sententiam expostulare nimie aut severitatis, aut laxitatis ausus fuit: idque me non parum solatur, & recreat. Ad stili formam quod attinet, non ita insipiens sum, ut mihi blandiar a vitiis immunem esse. Fatuus sane essem, si id præsumerem, & cum S. Augustino non confiterer. (a) Ego me longe esse sentio ab illa perfectione de qua scriptum est: Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir (b). Non est ergo quod adversarii satyris nos proscindant; cum ipsi sponte fateamur, nos peccatores esse, & plura vel ignorantibus, nolentibusque peccasse. At non propterea consequitur, stilo leni, & molli convellendas esse doctrinas falsas.

III. Verum, ne causam propriam agens, amor me fallat, nolo propriis verbis & sententiis adversariorum iniustas refellere accusationes contra stili mei asperitatem. In medium prodeat perdoctus Iesuita, stili adhibendi magister, qui similes

(a) Epist. xv. (b) Iacob. cap. II.

les passus est criminationes, quod nimis severe represserit eloquentiæ tum sacræ, tum profanæ corruptores. Si operæ pretium existimavit ille castioris eloquentiæ nitorem acri stilo a meretricio cultu vindicare; quanto magis licitum erit severa oratione sanioris doctrinæ corruptores redarguere? Igitur quas ille adornavit vindicias pro sui stili acrimonia, easdem ego producum ad meam tuendam causam longe graviolem, & fortiore stilo vindicandam. Illius verba transcribam, paucis dumtaxat mutatis, & diverso caractere signatis. Hæc itaque scribit doctissimus Iesuita P. ALBERTUS DE ALBERTIS. (a)

IV. „ Nonnulli quippe eorum conquerentur fortasse, illique in primis sine dubio qui se tam longa a me actione confossos, & iugulatos penitus cernunt, de nimia mei stili duritie, & acerbitate. Causabuntur me nimis fuisse pugnacem, nimis atrocem; dolebunt me nimis sævisse, cruento se nimis laniatu fuisse discerptos indignabuntur, mitiusque secum omnino agi oportuisse clamabunt. Bene habet, Auditores. Respiravi equidem, evasi, salvus sum. Verebar enim ne quis e Catonum, Fabriciorumque ordine austerus censor dicam mihi scriberet, aut e Socratis disciplina, vel e Stoicorum porticu aliquis adducti vir supercilii in ius me vocaret, reumque perageret. At, cum isto e grege unguentorum nescio quos, mihi subiratos, turbas clere animadverto, timorem omnem pono; neque sane miror, si qui (*Ethicas molliem*) tam perditæ amant, hanc etiam *laxam indulgentiam* paullo asperiore oratione excipi, coercerique, placatis auribus, ac stomacho minime ferunt. Vellent nimirum non solum (*opinionum commentis Moralis evangelicæ integritatem*) pervertere, sed pervertendi quoque licentia atque impunitate gaudere; nobis autem suæ istius intemperantiæ stilo vulnerandæ compescendæque facultatem prorsus ademptam vel certe, si non omnem culpent reprehensionem, ut quemadmodum ipsi, quum alias reprehendunt, fucum dumtaxat, atque cerussam de capsula promunt; ita vicissim a nobis molli tantum brachio, summave cute perstringerentur, neque contra quicquam, nisi mellitum nescio quid, ac dulciculum, occinere-tur. Sed qui tam multos, & toties fallere sueti sunt, iam profecto sua quoque opinione falluntur. Nam quum ipsi tam dura fronte, pudoreque nullo in (*moralis Theologia*) cum tot animarum, reique publicæ detrimento luxuriari (*ut etiam Alexander VII. asserit*) non erubescant, liberæ etiam obiurgationis scalprum atque novaculam experiantur necesse est. In morbo enim gravi, & periculoso sunt, vulgata acuminum, ornatusque superflui tabe infecti sunt, purulenti atque ulcerosi sunt; ideoque, velint nolint, secandi etiam sunt, urendi sunt. Medicamenti vero modum, ferrique aciem, non ægri mollietates præscribit, sed morbi gravitas, sanandique consilium exigit, atque in vulnus adigit: meminerintque illud Publilianum: *crudelem medicum ab agro intemperante fieri*. An ego inhumanum Procrusten, aut trucem Cerberum tometo, vel gossipio aggrediar? Cum feta tigride, efferatoque leone rosa dumtaxat, ac papavere munitus, manus conferam? Ad agnatos plane, atque gentiles, si ita desipiam, merito deducendus sim, Auditores. Nam a tanta monstrorum immanitate quis non maius pondus armorum, instructioremque apparatus imperari, secum illico reputat? At quid meorum adversariorum orationibus, atque (*opinionibus*) ut vici, magis monstrorum? Quidni igitur tot eorum monstra, gravissima, & plusquam Herculeæ clava iure maetaverim? Ipsi *opinionum luxuriam*, atque intemperantiam (*in Theologiam moralem*) pergunt intrudere, mordicus tueri ac fovere; & stili increpantis temperationem a me requirunt? Recte. Sed nullus increpandi modus temperatior esse potest quam sine ullo modo tam effrenatam

„ sen-

(a) In eloquent. Corrup. Act. par. v.

„ fensiculorum, atque illecebrarum immoderationem dicendo exagitare. Recidant ipsi supervacanea (*commenta, laxas opiniones*) & confestim extra omnem meæ Actionis istum in tuto consistent, neque ulla amplius meæ obiurgationis particula ad eos poterit pertinere. Quin adversariorum quoque posito nomine, datis, iunctisque mecum dextris, arctissimam amicitiae coibunt societatem. At, dum mea in tela ac gladios, intemperantiæ patrocini impudenter suscepto, sponte incurrunt, quid mei cuspidem stili imprudenter accusant? Quid de novaculæ inclementia, quam ipsi in vulnus ultro sollicitant, insipienter exoptulant? Si vitium nutrire, ac propagare obstinate, præfractæque eis lubet, videntur, ut mereantur. Sibi imputent, si cadantur. “

V. Post alia plurima, quæ in sui acris, & vehementis stili defensionem adducit eloquens, ac perdoctus Iesuita, ad sanctorum Ecclesiæ Patrum stilum appellat. Provoco iam ad veteres illos Patres moderationis antesignanos, ut qua censuræ severitate in ipsummet oculorum etiam, vestiumque luxum animadvertendum putarint, edicant. “ Et relatis sanctorum Patrum Basilii, Gregorii, Ambrosii, Cypriani, Augustini severis, atque asperissimis declamationibus contra adulterantes nativi vultus, & vestitus simplicitatem, hoc pacto argumentatur. “ Si igitur tam mitibus Patribus vestium luxum tot verberare probris sine ullo probro licuit; si eum alienorum matrimoniorum subfessorem appellare; si impudentiæ additamentum; si complurium vitiorum irritamentum, de vultus adulteriis meditata adulteria castitatis, divini impugnationem operis, & veritatis prævaricationem nuncupare: si oculos a diabolo insectos impudicarum, & prostituerarum insignia, amentiam, & naturæ adulterium dicere; si publicæ meretricis tesseram, si superbiæ vexillum, nidumque luxuriæ; si opprobrii spolia; si arma ad pudicas clausaque matronas expugnandas facta; si belluas humana effigie obicæna corporum impudentissime detegentes vocare sine ulla immodestiæ nota fas fuit: quidni etiam eadem convicia in (*Theologia christiana corruptelam*) tot partibus, ac nominibus nocentiorum iactare mihi iure licuerit? Mentiar enim, si quid his contumeliis mordacius mihi in adversarios uspiam excidit: aut si tale quid umquam a me dictum offenderitis, actutum stilo inducite, delete, eradicatè, lacerate. “

VI. Hinc facile colliges quam verum sit quod alter celebris Iesuita P. Fami-nus Strada scribit. Dicendi libertatem pene amisit ætas nostra, Scriptorum plerorumque vitio, qui offensionem (*Principum*) obtendentes, ambitioni suæ, collata in tempora, ac mo-res culpa, blandiri & assentari seculum appellant. Ego conscientia subnixus mea quam sape interrogo, mancipatamque nullius imperio, nec cuiusquam gratia emptam adhuc invenio, rogatos velim, qui meos labores sua cura dignabuntur, ut qualem a me ad scribendum iura postulant animum partium securum, mediumque, talem ipsi a factionibus liberum afferant ad legendum: nec temere incusetur cibus, si stomacho exceptus agro, insinceroque coalescat (a). Qui auram popularem captant, qui placere hominibus student, nec scribere, nec loqui libere queunt. Silentium sæculi prudentiam vocant, & ut rationibus suis consulant, prodere veritatem haudquaquam verentur. Quid quod vel ipse impius Lucianus eos carpit qui minus libere, & sincere rerum eventa, nedum sacrarum legum veritates, scribunt? Talis mihi sit Historicus, ut metu careat, & quemadmodum ille Comicus ait, Ficus ficus, Ligonem ligonem nominet. Non odio, neque amicitiae quidquam tribuens aut miserescens, aut erubescens, aut exorari se facile patiens, aequalis iudex ac benevolus omnibus, eo tamen usque, dum ne alteri plus aequo aliquid tribuat, hospes in libris, ac peregrinus, suis legibus vivens, nullius imperio subiectus, non quid huic aut illi placitum sit, secum cogitans, sed id quod actum est,

Conc. Theol. Tom. I.

d

expo-

(a) Decal. I. Lib. I. in præm.

exponens . Si critice adeo exacta & severa scriptis consignanda sunt istius mundi scenæ acta ; qua libertate prodendæ , & manifestandæ sunt veritates æternum duraturæ ? Nec enim solus ille proditor est veritatis qui pro veritate mendacium venditat ; verum etiam ille qui invicto pectore veritatem pro viribus non propugnat , ut sapienter S. Ioannes Chrysostomus , sive Auctor operis imperfecti testatur . Non solum ille proditor est veritatis qui transgrediens veritatem , palam pro veritate mendacium loquitur ; sed etiam ille qui non libere veritatem pronuntiat , quam libere pronuntiare oportet ; aut non libere veritatem defendit , quam libere defendere convenit , proditor est veritatis (a) .

C A P U T X .

PARADOXA , quæ adversarii opponunt , labefactantur .

I. PARADOXON I. Stilum vehementem , validum , sale & argutiis pro materia diversitate aspersum , cum caritate pugnare , lædere Casuistarum famam & existimationem , theologiam gravitatem dedecere , clamitant benignioris Ethicæ patroni .

II. Resp. Millies in aliis nostris operibus sophisma istud convulsum est . (b) Qui illud opponunt , se a causa veritatis deiectos , & pro falsitate pugnare , atque christianæ caritatis notionem ignorare sponte consentunt . Cedo . Verane Christi caritas illa quæ falsitatem comitem habet ? Absit . Numquam sine veritate caritas consistit . Quamobrem S. Paulus , sinceram caritatis notionem exhibens , veritatis radiis redimitam depingit : *Eo quod caritatem VERITATIS non receperunt , ut salvi fierent , ideo mittet illis Deus operationem erroris , ut credant mendacio* (c) . Crimini violatæ caritatis nobis vertunt , quod severiore stilo falsas Casuistarum doctrinas refellamus ; at læsæ caritatis reos minime arguunt Casuistas , quod veritatis iura perverterint , quod veritatem ludibrio exposuerint , quod in errorum laqueos homines pertraxerint , quod æterni naufragii scopulos paraverint . Bono animo hæc præstitere illi . Non repugno . At numquid animo malo nos vocem extollimus , ut errandi , & naufragii periculo innocentes subducamus ? Quid nocet stili nostri asperitas demortuis Casuistis , & extra invidiæ ictum iam constitutis ? Exitialis vero , & funesta est lenitas , & mansuetudo illa quæ in sinu illecebrosæ benignitatis dormientes non excitat , sed fovet ; non pungit , sed in pravaram consuetudinum luto defixos obdurat . Contra caritatem ne peccat ille qui elata voce clamat , ut incautos abducatur a peste contrahenda , ut moneat , ne in perditionis laqueos incidant ? Opiniones quas publicis typis Doctores vulgant , universi generis humani iudicio sponte libereque subiciunt . Ergo contra omnes leges delinquant , dum aliorum iustas censuras subire recusant . Qui occultos aliorum errores publice carunt , caritatis legem infringunt . Contra , qui pravæ opinionis publici iuris factas , deridendas , execrandasque propinant , caritatis officio erga humanum genus defunguntur . Quid ? Acrem tui redargutionem pluris pendis quam divinæ veritatis iacturam ? Altius tibi cordi est unius aut alterius Casuistæ minuendæ in re litteraria existimationis periculum , quam timor ne minus æquo ab opinionum pravitate doctrina evangelica vindiceretur ? Falleris , inquit . Afferatur sanior doctrina a vanis commentis ; sed stilo leni , mansueti , pacatoque . Aquam cribro colligere , & levi ablutione sordidas dealbare manus contendunt . Demonstratum supra est Patrum auctoritate , & luculentissimis rationum momentis ,

(a) Hom. xxv. in Matib. (b) Lege Quares. Appellant. in Prof. §. 2. 3. & 4. Item Prof. alla disciplina antica , e moderna &c. (c) II. 1. thess. 2.

tis , lenes temperatasque disputationes non plus virium ad commovendos animos , ad opiniones sensibus blandientes , populi plausu , & consuetudinis vi roboratas , labefactandas habere , quam tenuis auræ flatum ad montem transferendum . Sed audiant isti blandiloqui iterum Augustinum . *Cum vero terrori utili doctrina salutaris adiungitur , ut non solum tenebras erroris lux veritatis expellat , verum etiam male consuetudinis vincula vis timoris abrumpat , de multorum salute letamur . . . Non omnis qui parcat , amicus est , nec omnis qui verberat , inimicus . Meliora sunt vulnera amici quam voluntaria oscula inimici . Melius est cum severitate diligere quam lenitate decipere . . . Qui phreneticum ligat , & qui letargicum excitat , ambobus molestus , ambos amat . Quis nos potest amplius amare quam Deus ? Et tamen nos non solum docere suaviter , verum etiam salubriter terrere non cessat . Fomentis lenibus , quibus consolatur , saepe etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adiungens , exercet sane Patriarchas etiam pios , & religiosos , populum contumacem poenis gravioribus agit* (a) .

III. PARADOXON II. Graffari opinionum portenta , dominari scelerum monstra , serpere errores gravissimos , laxatam disciplinam , contemptas leges , lugent docti indoctique , boni & mali . Nonne similes querimoniam continenter ubique resonant ? Et ecce Paradoxon inauditum ! Si aliqui foras erumpant , vocem exalitent , si vitiorum torrenti valida opponere impedimenta velint , si pro domo Dei stare , & divina iura tueri studeant , murmura & clamores evulgantur , quod mordaci , & maledico stilo bonam causam prodant , & in Casuistas immaniter læviant . Quod divinæ veritatis facies decolorata , & meretriciis doctrinarum fucis deformata iaceat , quod sacrum legum depositum prodigatur , & expiletur , nec tantillum misericordes istos commovet ; sed silent , obmutescunt , tamquam canes muti latrare minime valentes . Tantum ne Casuistæ laxarum opinionum Auctores , vel oblique occasione asserendæ veritatis lædantur , & omnia sunt salva . O tempora , o mores ! Et tamen , cum palam protestamur bona illos fide docuisse quæ sibi probabilia videbantur , illorum famæ & existimationi consultum provifumque abunde esse inficiari nemo iure valet . Tantum valent præiudicatæ sententiæ , & adoptatæ persuasiones .

IV. PARADOXON III. Stilus acer , & mordax , iocis , & argutiis aspersus , irritat , provocat , accendit , nullumque profectum parit . Contra stili lenis , mansuetus , & blandus neminem vellicat , omnibus arridet , omnium approbationem , & plausum assequitur . Ita ne vero ? Quam fatua sit hæc placendi omnibus lectoribus hallucinatio , paucis habeto . Divinus Magister noster Christus IESUS , eiusque Apostoli , & ceteri viri sancti omnes hanc iactatam mansuetudinis & lenitatis artem omnibus placendi penitus ignorarunt . Doctioribus , & prudentioribus Iudaicæ gentis hominibus suam legem denuntiavit Rex mansuetissimus , qui sane eo stili genere usus est quem aptiorem convellendis erroribus , & permovendis auditoribus suis iudicavit . Et tamen Concilium illud Hierosolimitanum mortis reum damnavit Apostoli , ab ipso divino Magistro edocti , mansuetudinem , benignitatem , & clementiam didicerunt : nihilo secius ob veritatis prædicationem mortem oppetere omnes , & quidem crudelissimam . Revolvantur sanctorum hominum acta . Nec unus occurret qui ob errorum detestationem , confutationemque gravissimas non sustinuerit persecutiones . Ignorant sane isti eminentiæ mansuetudinis buccinatores hominis naturam , quæ ad malum pronata est . Major hominum pars veritatem fastidit . *A principio mundi* (inquit S. Thomas) *semper fuit pugna inter veritatem & falsitatem* . Edisserant nobis sensum huius axiomatis . *Veritas odium parit* . Quis hominum tam projectæ frontis , ut cognitæ veritati se bellum indicere iactet ? Quis non sibi pudori , & ignominie vertit veritatem ipsam in-

(a) Epist. xlviii.

lectari? Qua ergo via odium in eandem homines exhalant? Cum ipsos pudeat illam aperte reicere; stilum, & modum quo illa proponitur, carpunt, improbant, criminantur. *Sape tamen aliud offendit, & aliud opponitur.* Sape homines personæ invident quæ veritatem propugnat. Invidia isthæc oculos excæcat, ne veritatem videant. Quot optima consilia in nihilum recidunt ob invidiam, odiumque in consultores? Recogitent blandiloqui, & benigni homines oraculum divinum: *Contra malum bonum est, & contra mortem vita; sic & contra virum iustum peccator.* Et sic intueri in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum (a). Audiant Paulum. *An quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (b).* In id utique incumbere debemus singuli, & potissimum dum aut prædicandæ, aut propugnandæ divinæ veritatis, aut imperandi aliis officio fungimur, ut amabiles, mites, temperatos, mansuetosque nos exhibeamus. Cavendum omni studio nobis est ne iustæ reprehensionis, & redargutionis ansam præbeamus. Verum, etiam si hæc omnia præstiterimus, non propterea hominum probra, & maledicta evademus. Enim vero *semper & mali* (inquit S. Augustinus) *persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos. Illi nocendo per iustitiam, illi consulendo per disciplinam. Illi immaniter, illi temperanter. Illi servientes cupiditati, illi caritati. . . . Ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem (c)* corruptarum opinionum.

V. PARADOXON IV. Pacem reciprocam inter Theologos, divinæque legis interpretes servandam esse, opponunt falsæ benignitatis assertores. Ecquid, clamant, christianæ religioni funestius, quam videre illos ipsos qui populo instruendo destinati sunt, perpetuis litibus, iurgiis, & criminationibus se se conficere? Bellum litterarium ardet inter eos qui ad concordiam, mutuamque amorem inducere ceteros debent. Conticescant tandem aliquando de sacris rebus lites. Cudatur liber aliquis sanioris Theologiæ, qui tuta, & secunda regula omnibus sit, ut cælestis pax, & amabilis tranquillitas omnium corda consociet. Hanc pacis hereditatem Christus nobis reliquit. *Pacem relinquo vobis, pacem meam de vobis (d).* Hanc commendat S. Paulus Apostolus. *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia (e).*

VI. Resp. Nihil pacis & concordia nomine speciosius. Hoc prætextu non raro se insinuant astuti homines, qui aut adulterare, aut plus æquo delinire Christi doctrinam student. Quare serio circumspiciendum est, cuius indolis sit pax illa quam isti inculcant. Nam quemadmodum pacem in primis, & frequentissime nobis commendat Christus; ita divinam suam veritatem unicum eiusdem esse vinculum docet. *Veritatem tantum, & pacem diligite (f).* Desinant itaque pacis simulacro imperitis fucum facere qui pravaram opinionum illecebris a sincera morum doctrina abducere nos conantur. Optanda quidem nobis, summoque querenda studio pax est, sed quæ sanæ doctrinæ veritatem, non quæ morum dissolutionem comitem habeat. Qui de rebus sacris tolli controversias, nullaque turbari lite Christianorum societatem contendunt, hi profecto & hominum naturam, & Christi, Sanctorumque exempla se penitus ignorare demonstrant. Contra hanc mendacem pacem, quam cum veritatis dispendio servare isti vellent, calamum acuere, & vocem exaltare Christus iubet. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium (g).* Quis enarrare increpationes, & supplicia sufficiat quibus in pseudopphetas animadvertit, quod hac pacis larva deciperent populos? *Vae Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum*

(a) Eccli. xxxiii. (b) Ad Galat. i. (c) In Psal. xxxvi. (d) Ioan. xiv. (e) Cor. II. cap. i. (f) Zach. viii. (g) Matth. x.

suum Vident vana, & divinant mendacium Deceperunt populum meum dicentes, Pax, & non est pax (a). Hæc perniciosæ pacis simulatio zelum Davidis accendebat. *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns (b).* Amariorem bello hanc fallacem pacem experiebatur Propheta Isaias. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima (c).* Singularis pseudopphetarum nota est istius pacis dulcedo. *Pseudoppheta semper dulcia pollicentur,* inquit Hieronymus, *semper clamant, Pax, & pax.* Contra viri sancti adversus hanc pacem pugnandum docent, ne veritas periclitetur. *Melius est ut scandalum oriatur quam veritas relinquatur,* ait S. Gregorius (d). Quam doctrinam inculcant ceteri Patres, potissimum S. Bernardus, & sanctus Thomas, qui hæc scribit. *Sed cum de veritate scandalum oritur, magis est sustinendum scandalum quam veritas relinquatur, ut Gregorius dicit (e).*

VII. Pudere fictæ pacis buccinatores deberet, se imitari Achabum, qui sanctum Prophetam Eliam insectatus est, ob hoc scilicet quod Dei cultum, & mandatorum observantiam promovens, similem pacem turbaret. *Tu ne es ille qui conturbas Israel? (f)* Sed Dei Vates respondit: *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquisti mandata Domini (g).* Divinæ legis violatores continenter pacem inclamant; ut, nemine obsistente, pacifice, & tranquille explere appetitiones suas, & in vitiis suis conquiescere liberrime queant. Quid, reponunt viri nimium pacifici, hæc obtrudis? Numquid nos æque ac tu veritatem non prædicamus invenientiam fore? Sed veritatem, & doctrinam nos inquirimus communem, consuetam, quæ homines non commoveat, quæ non exulceret, quæque humanæ imbecillitati consentanea sit. Ecquis hominum umquam se veritatis osorem declaravit? Omnes immo veritatis, & sanæ doctrinæ propugnatores se iactant. Audite vel ipsum Achabum Prophetam Michæam alloquentem. *Dixit autem Rex ad eum: Iterum atque iterum adiuro te ut non loquaris mihi nisi quod verum est in nomine Domini (h).* Quid ad hæc, viri pacifici? Audistis Achabum veritatis desiderio æstuantem? Paruit Propheta; sed, quia veritas, quam manifestavit, haud quadrabat Achabi moribus, idcirco furentius in Prophetam Rex exarsit, iterumque exclamavit: *Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum? (i)* Ecce. Veritatem vel scelesti homines inquirunt, sed veritatem quæ sensus demulceat, secus quæ mores coerceat. Verum est, sanctum est quod volumus, ut inquit Augustinus. Vividior ne desiderari imago potest illorum qui, pacem iactantes, sanioris doctrinæ propugnatores deridendos populo exhibere omni dexteritate student? En, inquit, novos christianæ Moralis reformatores. Eum novos Theologiæ instauratores. His ridiculis, & insulsis diceriis odium atque invidiam conflare viris Dei solent nonnulli sub pacis obtentu. Et postea conqueruntur, si nos illorum perniciose commenta cum sanctissimo Propheta Elia salibus & iocis, iuste ac festivo derideamus. *Cumque esset iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur (k).*

VIII. Quid quod illi ipsi qui in controversiis de rebus sacris pacem iactant, ob res terrenas levissimi momenti ad arma convolant, & litibus acerbissimis de stillicidio, de tigno, de umbra asini dissident, altercantur? Cum vero de sensu divinæ legis, de evangelicis mandatis, de unico gravissimoque æternæ salutis negotio disputatur, tum pacem, silentium, concordiam obtrudunt, perinde ac si idem esset erroris, aut veritatis viam perambulare. Quam hallucinationem vel ipse M. Tullius detestatur. *An partus ancille sit ne in fructu habendus, differetur inter principes*

Conc. Theol. Tom. I.

d 3

ci-

(a) Ezech. xiii. (b) Psal. lxxii. (c) Cap. xxxviii. (d) Rom. vii. in Ezech. (e) III. Part. quest. xlii. art. 2. (f) III. Reg. xviii. (g) Ibid. (h) Ibid. cap. xxii. (i) Ibid. (k) Ibid. cap. xviii.

trinitatis . . . hęc, quę vitam continent omnem, negligentur? Utinam nemo de rebus sacris prave sentiret, nullamque pervertam opinionem evulgaret. At qui post primi parentis lacrymabilem lapsum, & in tanta hominum cęcitate ac malitia controversias de fidei, morumque integritate sublatas e Republica christiana volunt, ii videant, urrum impietati, superstitioni, & erroribus quibuslibet viam aperiant latissimam. Sed, inquam, novne malum summum est videre orbem christianum, infinitis quęstionibus partim inficetis & vanis, partim non de rebus, sed de verborum apicibus, de loquendi formulis exagitarum? Videre religiosos viros, aliorum animis sanandis addictos, mutuis se cladibus conficere, iurgiis, & conviciis sese collidere? Malum sane gravissimum istud. Quid heinc? Resonat mundus armorum strepitu: avaritia, libidines, doli, fraudes, homicidia usquequaque grassantur. Sol ipse alios flagellat, & alios recreat. Auferendus ne propterea Sol, abicienda arma, extinguendum humanum genus, ut mala omnia tollantur? Nihil tam sanctum, nihi tam iustum, quod aliquorum commentis detorqueri ad perniciem nequeat. Temperandum profecto unicuique est, ne inutilium quęstionum futilitate, ne studio propria amplificandi pomęria, concordia & pax auferatur. At numquid deserendę summi momenti veritates, ne pax ementita turbetur?

IX. Quę hęcenus perstrinxi, pluribus cuiusque Ecclesię christiani sæculi confirmare exemplis possem. Brevitatis studio unum ob oculos ponam, Arianorum nempe pacis prętextu piissimum Imperatorem Constantinum circumvenientium. Verutum istorum iactatę concordię obtentum Cl. Augustinus ORSI, quem hisce diebus summus Pontifex BENEDICTUS XIV. Ecclesię catholicę bono natus sacri Palatii Magistrum instituit, universa urbe Roma plaudente, quod tantę doctrinę & probitatis vir ad hanc dignitatem evectus sit, vividis coloribus depingit in sua ecclesiastica Historia, quam ad Ecclesię utilitatem, & Itatorum pręsertim commodum, decoremque scribere feliciter pergit tanta eruditionis copia, & ea eloquentię robustę vi, ac ubertate, ut scite, opportuneque doctissimus ROTTARIUS paucis, sed significantibus verbis in eiusdem approbationem scripserit, pręter plura alia rationum momenta, commendandam, celebrandamque esse historiam hanc *eziandio per la scelta erudizione ecclesiastica, e per la giudiziosa, e savia ampiezza d' eloquenza . . . Questa eloquenza non è vana, nè ricercata per una pomposa ostentazione di parole, ma necessaria per muovere gli animi di chi legge ec.*

X. Porro eruditissimus Auctor adversus fictę pacis simulatores hęc scribit. (a) *E' stato sempre il più comune artificio de' Novatori di rappresentare a' Principi le loro perniciose novità come dispute innocenti, o di poco, o niun momento, nè appartenere al fondo, o alla sostanza della cristiana dottrina; perciò non potersi prendere per spirale un più savio provvedimento se non d' imporre ad ambe le parti un ossequioso silenzio. Hac subdola arte, & his technis, subdit celeberrimus Historicus, (b) usi sunt prę-*

(a) Tom. V. pag. 31.

(b) Pag. 181. & seq. Gli suggerirono adunque che prima di offerire per mano de' Vescovi un così splendido e grato dono all' Altissimo, facea d' uopo riconciliargli insieme, e bandire tutte le divisioni, essendo la concordia, e la pace il più soave, ed accetto sacrificio che possa l' uomo presentare al Signore. . . Era il debole di Costantino, e la sua, dirò così, dominante passione, volere a qualunque costo la quiete de' popoli, e della Chiesa. Laonde quant' era facile l' insinuarli nella sua grazia, e guadagnarsi la sua benevolenza ed affezione agl' ipocriti, che non parlavan se non di pace; altrettanto erano sempre in pericolo di perdere la sua stima, ed amicizia, ed incorrere nella sua indignazione quei che volendo una pace ferma, e costante, e fondata nella verità, nella giustizia, e nella sincerità della fede, si opponevano con petto forte a' perversi disegni di coloro che la volevano a spese della Religione, e con trionfo della impietę. Era alla testa de'

pręsertim Ariani ut suas in partes Constantinum Imperatorem ad pacem, concordiamque propensissimum inflecterent. Idque non raro ex sententia illis contigit, non sine ingenti catholicę religionis detrimento. Qui enim rerum potiuntur, qui in hoc mundi theatro fulgent, qui dignitates tenent, qui divitiis affluunt, prę ceteris pacem diligunt, ut tranquillam vitam agant, bonisque suis quietissime fruantur. Quare callidissimus humani generis hostis turbaram motus, seditionum tumultus, calamitates, amaritudines, angores, & mala innumera, quę sacra litteraria bella parere valent, incredibili artificio exaggerat. Huc demonis molimina tendunt, ut silentium veritatis propugnatoribus imponatur. Hoc enim obtento, evulgatę hęreses, invecstę adversus sanam doctrinam opiniones libero passu incedunt, & quaquaversus grassantur. Quot sunt ad proprias opiniones aut fidei, aut morum integritati adversas retractandas parati, ut vera inducatur pax? Fucatam pacem frequenter prędicamus omni bello amariorem, veritatis dispendio, non falsitatis iactura: concordiam vellemus, quę amplificandis pręiudicatis doctrinis nostris, carni & sanguini accommodatis, viam aperiret planissimam. Et ut simulatę pacis fautores ad incitas redigam, ab iis percontor. Quid de catholica religione esset, si Apostoli, si sancti Martyres, si Ecclesię Doctores calamo posito, & ore clauso, siluissent? Defecerunt ne, aut defuturę aliquando erunt contra Christi Ecclesię doctrinę falsę, persecutiones, & scandala? Si aiunt, Evangelio contradicunt, & experientię manifestę. Clamat enim Petrus: (a) *Vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit querens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Clamat Matthęus. (b) *Attendite a falsis Prophetis &c. & rursus: (c) Audituri enim estis pręlia, & opiniones pręliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hęc fieri. Item. (d) Necessę est ut veniant scandala. Qui sunt qui scandala, & offencicula disseminant? Forte qui errores, qui perniciosas opiniones convellere pro viribus student? Absit, reponit Apostolus; sed qui falsas doctrinas hominum appetitionibus indulgentes evulgant. (e) *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.**

XI. Tullius Christianorum Ludovicus Granatenfis (sic eum appellat P. Michael Elizalde) laudatur Matthęi oraculum exponens de falsis Prophetis, inquit. (f) *Hos autem in Ecclesia non defuturos aperte Paulus in ea concione quam ad seniores Ephesi habuit, his verbis exposuit. Ego scio quod post discessionem meam intrabunt &c.* Tria ille distinguit persecutionum genera. *Alia fuit tyrannorum. Alia falsorum fratrum, de quibus queritur Paulus. Alia vero, eademque gravissima, extitit hereticorum. Quęnam horum frequentior, magisque formidanda? Respondet. Frimum eorum blandiloquentia, & dulces sermones, quibus simplicium corda subvertunt. . . Tanto enim potentiores ad fallendum sunt, quanto magis sanctitatis speciem, atque hominum imaginem referunt. . . Sic etiam venatores tergoribus se ferarum vestiunt, quas illaqueare student.* Sic

de' primi il perfido Eusebio di Nicomedia, e de' secondi il coraggioso ed invito Atanasio. Ma il primo era sempre alla Corte di Costantino, e sempre attento a procurarsi l'appoggio de' più favoriti, ed intimi Cortigiani, a non trascurare verun momento favorevole a' suoi disegni, e ad avvelenare, e riempire contra i suoi nimici di mal talento l'animo del Sovrano. Laddove il secondo, separato per un gran mare dalla Corte, e affatto alieno dalla prudenza del secolo, e dalle maniere cortigianesche, e solo attento al fedele adempimento de' suoi doveri, e sempre disposto a sacrificare per la difesa della verità, e della sana dottrina tutti i suoi interessi, e la sua medesima vita, non aveva, nè si curava di avere altro appoggio, se non quello della divina Provvidenza.

(a) Pet. epist. I. cap. v. (b) Matth. cap. VII. (c) Cap. XXIV. (d) Cap. XVIII.

(e) Paul. II. ad Timoth. IV. (f) Domin. 7. post. Pent. conc. I.

Sic aucupes avicularum, quas captare student, vocem, & cantilationem arte imitantur, quo illas hac simulata vocis imitatione decipiant. Hæc est autem inter omnes Ecclesiæ persecutiones frequentissima.

XII. Alterutrum ergo. Aut succumbendum falsarum doctrinarum magistris, qui auribus pruriunt, quosque nunquam defuturos in Ecclesia Dei Scripturæ sanctæ, Patres, & experientia testantur: aut continenter, & constanti animo pugnandum. Non primum: ergo secundum, cum militia sit vita hominis super terram. Modus tantummodo servandus in hoc litterrario certamine, quemadmodum in corporum pugna, est. Parendum studio summo evangelicæ militiæ ducibus, moderatoribus, atque superioribus omnibus est. Humili obsequio, & obedientia sincera Romanæ Sedis definitiones, sanctionesque suscipiendæ sunt, & executioni demandandæ, missis captiosis commentis, diviticulis, & cavillatoriis interpretamentis. Ne multa. Pacem, & veritatem diligamur, at cavendum nobis est ne obfucata pacis simulacrum, & tranquillæ vitæ ducendæ amorem, veritatis ad æternam salutem necessariæ iacturam patienter sustineamus.

XIII. PARADOXON V. Aliam stilo nostro censuram inurunt, quod concionatorius sit atque declamatorius, figuris, & amplificationibus resperfus. Cuius stili ratio non Theologum, sed Declamatorem, & Concionatorem decet.

XIV. Resp. Papæ! Stilo itaque theologico non scripserunt Propheta, nec S. Paulus, nec sancti Patres omnes, qui, sicuti non aliam e suggestu, aliam e cathedra doctrinam tradidere, ita neque diverso stilo illam scriptis consignarunt. Non me latet quod de Oratore scibit M. Tullius, & post ipsum S. Augustinus, tria esse Oratoris munia; nempe ut doceat, ut delectet, ut flectat (a). Docere, inquit Tullius, debet honorarium, permovere, necessarium (b). Et clarius alibi. Probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoria (c). Latior, cultiorque Oratorum, & Concionatorum dictio. Reprehendere, increpare, obsecrare Concionatores debent. Pressior est Theologorum stilus atque exactior; non ita tamen angustus, & aridus, ut nunquam artis subsidia persuadendi, delectandi, increpandique sibi assumat.

XV. Verum paradoxon istud labefactare non meis, sed præstantissimi Jesuitæ P. Elizalde verbis lubet. (d) „ Licet vero Theologi potissimum sit docere, tamen „ reprehensio, persuasio, & motio alienæ non sunt a Theologia morali, ut Aposto- „ lorum epistolæ doctrinales de moribus, scripta Sanctorum, librique spirituales, „ & natura demum moralis Theologiæ, quæ est practica, & propter agere, satis „ commonstrant.

„ Ut itaque ad concordiam unitatemque huius quasi duplicis fori, & facultatis „ desiderandam revertar, a principio plane non fuit sic. Neque enim Apostolo- „ rum in primis tempore alia ipsi in concionibus dabant; & alii deinde Theolo- „ gi, ex quorum dictis esset vivendum, supererant; aut alia ipsi, tamquam mi- „ nistri sermonum & verbi Dei, annuntiabant; & alia deinde, tamquam Theolo- „ gi, epistolis suis, aut verbo edocebant. Neque Martyrum tempore, nec ætate „ Doctorum fuit ista sacrorum Oratorum, Theologorumque divisio; ut alii quidem „ Theologi essent; & alii dein verbi Dei annuntiatores, & alia & alia utrique „ docerent: & Theologorum esset doctrinam tradere; Concionatorum vero nescio „ quid aliud: & hi quidem ex Scripturis, illi autem aliunde differerent, causasque „ terminarent, atque ad hoc ex illis appellaretur.

„ Etenim, ut loquar clarè, atque omnes, si velint, intelligant, nequaquam „ Augustini, Chrysoptomi, Ambrosii, Gregorii, ac similes viri Dei, ex alto „ qui-

(a) Lib. IV. de doctr. christ. cap. XI. b i (De optim. gen. orat. (c) De Orator. (d) Part. II. Lib. V. quæst. VI. §. 6. pag. 188.

„ quidem, & in templis dicebant; supererant autem dein alii quasi Theologi, ad „ quos appellaretur, & ex quorum Theologia vita institueretur: nulli usquam „ hoc genus hominum erant. Neque rursus ipsi summi viri quasi unam facultatem „ homilias suas, & conciones, sermonesque tradebant; ac deinde, quasi rem pror- „ sus aliam, morum disciplinam, moralemque Theologiam, ex qua viveretur, „ consignabant; sed conciones, homiliæ, sermones, & Theologia moralis, mo- „ rum disciplina, & hoc genus omnia unum idemque erant: unde nulli nobis „ suppetunt eorum libri, alii quasi concionatorii, alii vero prorsus alii, qui Theo- „ logici morales vocarentur: & opera etiam illa quæ de concionibus non sunt, „ talia existunt, quæ ex concione dari possent, eiusdem plane naturæ, unius do- „ ctrinæ, ex eisdemque libris compacta, atque verbis Dei conferta. At modo utra- „ que ista „ facultas differt ædeo, & distat, ut nullæ vix duæ aliæ discrepent mag- „ is. Et Concionatores nihil sibi opus esse doctrina censere videntur, & ne- „ scio quid aliud agunt: ac cum Theologia reliqua prætermittunt etiam, velut „ minime suam, primam secundæ, & secundam secundæ, quæ de vitiis, & virtu- „ tibus in genere, & in specie tam copiose instituunt. Quam plane inconsidera- „ tionem Augustinus a cap. XVI. (Lib. IV. de doct. chr.) repellit: & qui pos- „ tens non est exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, & fal- „ si dicti convincere, fallit in Ecclesia Dei Doctoris personam, & munus sine doctrina „ necessaria suscipit. Utinam ergo conciones eas habeamus quæ in scholis quoque „ valeant; utinam Theologiam eam quæ in templis etiam ædificet: utraq; i- „ sta facultas in unum conspirans sese vicissim iuvet, nec altera dissipet quæ al- „ tera plantavit, rigavitque. Certe prolixiorum digressionem claudam, atque ci- „ tra metum dicam, vitam christianam nusquam, vel in templis, vel in foris „ addiscendam, ubi omnium caput non sit IESUS Christus, & hic crucifi- „ xus.

XVI. PARADOXON VI. In hoc quod postremo loco opponunt adversarii, quasi postrema in acie, firmissimum subsidium collocant. Dum nos quorundam Casuistarum opiniones laxissimas refellimus, & prout iure merentur, detestandas, atque deridendas obiicimus, iocis & salibus aspergimus, ut efficacius ab illarum veneficio lectorum amoveamus: clamant continuo, inclamantque, nos non modo Casuistas ipsos, verum etiam sacros, quos professi sunt, Ordines infamare, contemnere, populorumque derisioni exponere. Hinc exquisita arte resumunt: Quid boni agere in populis amplius possumus, si fama & existimatione deiectioni, exturbatique, tamquam corruptæ Moralis Auctores traducimur? Quid fidei adhibitori nobis sunt homines, si falsæ doctrinæ propugnatores audimus? Ut ego hoc, non recens, sed inveteratum effugium præcluderem, non modo in quolibet opere meo, sed singulis fere paginis, opportunitate data, distinxî Communitatem a privatis Auctoribus, & Auctores ab erroribus. Ubique protestatus sum, me non in personas, sed in errores calamum stringere. Quid plura? Numquam Institutum, quod professi sunt Casuistæ oppugnati, patefeci, ut securius mihi ab invidia caverem. Contra vero sacri Instaurati mentionem feci semper, quando eiusdem sapientes & probitate celebres Theologos in veritatis subsidium accivi. Quid quod Casuistarum, quos confutavi, & piam intentionem, & bonam fidem in tuto collocare semper studui? Tandem lectores admonui, privatorum errata non esse in Ordinem regerenda, sepe illud S. Bernardi usurpans: Non adversus Ordinem, sed pro Ordine disputare putandus ero. Non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re molestum me fore non timeo. Quinimo gratum proculdubio accepturi sunt, si persequimur quod & ipsi oderunt. Si quibus vero displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem non diligunt, cuius utique corruptionem, & vitia damnari nolunt. Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est

est, ut scandalum oriatur quam veritas relinquatur (a). Frustra tamen omnia. Tama altas egit in adversariorum animis opposita persuasio radices. Sed non advertunt illi hanc arripientes viam, plus detrimenti proprio inferre Ordini quam ceteri hostes omnes. Et ut ad incitas eisdem redigam; alterutrum præstent necesse est. Aut designare Ordinem debent, cuius Scriptores singuli speciali sancti Spiritus privilegio numquam errandi donati sint: quod somnium explodit his verbis magnus P. Augustinus. *Ad quamcumque professionem te converteris, para te pati fictos. Alioquin, si te non paraveris, invenies quod non sperabas, & deficies, & perturbaberis (b).* Quod alibi repetit. *Non dixi, omnem hominem esse fictum, sed OMNEM Professionem habere fictas personas (c).* Aut confiteantur oportet, se turpiter errare, & proprium Ordinem infamiae labe aspergere, dum in eundem privatorum aberrationes, invitae etiam superis regerunt; dum cuiuscumque sodalis absontam opinionem propriam faciunt Instituti; & pro eadem, veluti pro communibus aris, & focus, ad arma conclamant. Irruunt, agmine facto, in laxarum doctrinarum oppugnatores, quibus extremam conflant invidiam, & odium ceu detractoribus conciliant. Sed quæso istos cum Augustino, ut maioris pensu habeant Christi veritatem quam aliorum Casuistarum gloriam, quoties hæc haberi absque sanioris doctrinae detrimento nequeat. Meminerimus omnes unum nos habere ducem Christum IESUM, pro cuius maiore gloria decertandum est. *Sumus enim (inquit S. Augustinus) Christiani, non Petriani, non Pauliani, atque adeo non Dominicani, non Franciscani, non Augustiniani, non Moliniani, quoties Christi doctrina periclitatur; sed singuli, proprii Instituti rationibus contemptis, pugnare pro Christi doctrina debemus, & contra fratres nostros errantes, si opus fuerit, calamum acuere.* Huc sane collineare conatus meos ego studui. Cuiuscumque Instituti, sive alieni, sive proprii, Probabilitas pro viribus refutavi, nemine reclamante, præter nonnullos præstantissimæ Societatis IESU Scriptores. Hi enim, quæ contra mollioris Ethices Probabilitas, & Casuistas dicta a me sunt, in seipos, immo in ipsam Societatem detorque, me inviro, voluerunt. Nullum non movi lapidem, non declarationibus, non protestationibus peperci, ut huic formidandæ invidiæ me subducerem. Quid quod plurima filii quæ dicenda erant, ut vitarem maledicta, quæ vulgari numquam debuissent? Cum S. Augustino fateri possum, non pauca bona me tacuisse, ut adversariorum iniustas querelas declinarem. *Cœpi non dicere bonæ (inquit S. Pater) cum timeo, ne dicam aliqua mala, & reprehendi consilium meum. Silui enim a bonis, & dolor meus renovatus est. Adolore quippe quodam, quem mihi inflixerant calumniatores, & reprehensores, tamquam requieveram in silentio, & cessaverat dolor ille, qui factus erat a calumniatoribus; sed, ubi filii a bonis, renovatus est dolor meus. Cœpi plus dolere tacuisse me quæ dicere deberem, quam dolueram dixisse quæ dicere non deberem (d).* Verum, etsi hæc omnia præstiterim, non propterea votorum meorum compos factus sum. Porro, ut nihil intentatum relinquam, quo causam meam in tuto, quoad fieri potest, colloquem, Reipublicæ litterariæ patefacere obsequium, cultumque meum erga præstantissimam Societatem IESU testimonio perhibendo deliberavi.

C A P U T X I.

Sinceritate summa exscribenda sunt Auctorum sententiæ, libro, & pagina, unde decerpta sunt, indicatis. P. Francisci ZECH hac in re lapsus opportuna digressionem emendantur.

- I. **A**liquorum opinio fuit, silentio prætereunda esse Auctorum, & operum, ex quibus laxæ opiniones confutandæ exscribuntur, nomina, & loca, ad in-

(a) In Apolog. ad Guillelmum. (b) In Psal. xxxvi. ser. i. (c) In Psal. xcix. (d) In Psal. xxxviii.

vidiam odiumque declinandum. Verum qui id sibi persuadent, incidunt in Scyllam, vitare cupientes Charibdim. Quandoquidem, si etiam tum cum Auctores, libros, & paginas, unde extractæ propositiones sunt, ego designo, me malæ fidei criminari omni arte student; quas non evulgarent criminationes, si, his omissis, propositiones promerem in medium? Tunc profecto mea esse somnia, & pro ingenio ficta commenta, ad invidiam benigno Probabilissimo constandam, buccinarent. Præterquamquod, ubi extant scopuli, ubi errores, ubi pereundi periculum, a quo cavere lectores valeant, admonendi sunt. Exemplis confirmanda res est. Unum, & quidem novissimum ex plurimis in medium adfero.

II. Dum hæc scribo, donatum me video libro, quem aut eiusdem Auctor P. Franciscus ZECH, aut aliqui illius collega ad me præter expectationem miserunt, veriti illum me non lecturum, nisi dono dedissent. Quam libentissime munus accepi, rogoque illos ut frequenter mihi eiusmodi impertiri munuscula haud dedignentur. Hanc liber, duodecim circiter foliis constans, præfert epigraphen, quam, licet valde prolixam, integram describere interest. *Rigor moderatus doctrina pontificia circa usuram a SS. D. N. BENEDICTO XIV. per Epistolam encyclicam Episcopis Italiae traditus, ab Ingolstadiensi Academia constanter assertus. Dissertatio I. inauguralis sancti rigoris specimina exhibens, quam cum annexis corollariis, Deo auspice, annuente in-clyto Collegio Iuridico in eadem alma & catholica Bavaria Universitate Ingolstadiensi præside P. Francisco ZECH S. I. SS. Theologiae, & SS. Canonum Doctore, horumque Professore Publico, & Iuris Primario, post consueta rigorosa examina, pro Licentia summo in utroque Iure honores consequendi, publica concertationi subiecit Franciscus Iosephus Barth, insignis Ecclesiæ colleg. ad S. Cyriacum Wissenstaige Canon. Capit. I. U. Cand. mense Decembri MDCCXLVII. Ingolstadii typis Ioannis Pauli Schlerig Typographi Academ. Ex concinno nitidoque prospectu ordinem, perspicuitatem, formamque universi ædificii colligas, lector, velim.*

III. Si otio abundarem, loqui paucula de hoc titulo vellem. Sciscitarer; cur doctrina pontificia, cuius proprietas veritas est, rigoris moderati nomenclatura insigniatur? Quid præferunt illa sancti rigoris specimina? Non amplius inquiritur, vera ne doctrina sit, an falsa; sed an rigida, vel benigna, probabilis, vel improbabilis? Si durus sermo sit, & rigidus; ideo ne falsus? Si benignus, & dulcis; ideo ne verus? Sed aliis hæc enucleanda relinquo; & duo tantum quæ contra me in hoc suo opere R. P. Zech scribit, prudentum iudicio submitto. Primum est in Præfatione (a). Ut maius hac in re studium ponam, persuasit ingens tadium quod in perlegendis Tractatibus Conciniæ perferendum fuit, in quibus ordo nullus, sed mera confusio miscet omnia: eademque singulis fere paginis repetita, dolenda temporis, & chartarum pernicie, ut nesciam, an seria mente approbator Conciniæ Commentarii delectationem legentium præfagiat. Quorundam libri similes videntur turbido, & ex intimis recessibus agitato vortici, ubi quæ semel arrepta sunt, eadem semper magno impetu revolvuntur, novis solummodo conviciorum spumis CONSPURCATA. Audistin' Professoris primarii Ingolstadiensis urbanissimam, atque comissimam scribendi formam? Hæc ne benignitatis, & moderationis regulæ, quæ vel in labefactandis ipsis Casuistarum erratis desiderantur? Totus doleo R. P. Zech vicem in perlegendis libris meis. Sed quis Reverentiam suam coegit, ut tantum tædii, tantumque stomachi ex conspurcatis foliis commovendi periculum subiret? Id me solatur, quod innocens ego a tanto malo sim. Illud Respublica litteraria mirabitur, quod opera mea, indigesta, confusa, hiulca, ad arma provocent tot Collegas suos, & Trivultianos in Gallia, & Bollandistas in Belgio, & Bavaros in Germania, & Longobardos in Italia. Si ego imprudenter, dolenda temporis, & chartarum pernicie, libros edo vix eorum contem-

(a) Pag. 3.

temptione dignos: illi ne sapientes prudentesque, qui, gravissimis negotiis distenti, & adolescentum instructioni addicti, pretioso otio abutuntur, ut in male confarinata opuscula mea turmatim stilum arment?

IV. Sed hæc obiter, & dicis causa. Ut ex libro R. P. Zech Professoris primarii Ingolstadiensis colligo, in eandem doctrinam ambo concedimus. Facebant ergo a nobis dissidia, & datis dextris dulce ineamus amicitiae foedus. Perturbata oratio mea est, confusus ordo? Abiciat perdoctus adversarius libros meos. Huc tendant studia nostra, ut, pulso Probabilismo, & exterminata corrupta Ethice, resplendeat divina veritas, & dominetur immaculata morum doctrina, & tum floreat nos inter pax tranquilla. Nec enim vel tantillum opusculum R. P. Zech me commovit; quin non parvam in me excitavit lætitiā, quod viderim a tanto Doctore nec unam in duobus meis Tomis doctrinā particulam repertam esse severissima illius virga censoria plectendam. Contra ego in eiusdem dissertatione unica deprehendi doctrinam (dolenter dico) valde laxam, & ut mea præsertim opinio, offendiculi plenam, quam mox illius verbis dabo. In solam meam scribendi rationem impeditam, confusam, & ut castissima sua dictione utar, *conspurcatam* invenitur, & consuetas declamatiunculas intorquet. At amabo, ne mihi subirascatur, si dixerō, e re sua fuisse rem hanc alto præterire silentio. Si ea ego qua ille libertate in scribendo uti vellem, evincere possem, totam doctrinam suam in cc. §§. intersecatam, decem §§. expediri commode, & perspicue potuisse. Sed nova Wolfii, & aliorum methodus, quam imitari quadantenus affectavit, fucum illi forsitan fecit. Nulla autem tractandi argumenta theologica, ratio ineptior Wolfiana, ut in libris de iure naturæ & gentium palam faciam. Verum, his quicquillis missis, quas illi consecantur qui nihil solidi, quod obiectent, habent, ultra pergamus.

V. Surda pertransire aure nequeo gravem, quam commentarii mei Approbatori, P. Magistro Laurentio BERTI Augustiniano, viro tot nominibus clarissimo, & tot præclaris operibus de Republica litteraria optime merito, dicam adscribit R. P. ZECH. Ignorat ille, an seriatim mente Approbator Concini Commentarii delectationem legentium præstet. Mente ergo turbati ipso iudice sunt quotquot ea probant quæ illius non sapiunt palato? Mentis ne præiudiciorum expertis iudicium istud? Sed & hoc prætermitto, ne meritum præbeam responsum.

VI. Alterum quod contra tractatus meos intorquet, habetur in Epistola Dedicatoria ad Eminentissimum, & Serenissimum Dominum Ioannem Theodorum Cardinalem & Episcopum Leodiensem &c. ubi his rationum momentis permovere præstantissimum Mæcenatē conatur ut sui suscipiat clientelam. *Non dedignaberis patrocinium hoc suscipere, ad quod impellit TE clementissimus in scholas patrias animus, ex eo etiam fortius, tum quod INSOLENTIA libri CONCINIANI non parum ledat auctoritatem Serenissimæ Domus TUÆ, quæ Ingolstadiensem Academiam insigni liberalitate, & munificentia fundavit. Dii meliora! Argumentatio isthæc plusquam geometrica est. Cur insolentia libri Concini læsit Eminentissimum Mæcenatē, quem omnes ob præclarissimas illius dotes, & præstantissima merita suspiciunt, colunt, venerant obsequio summo? Quia Fr. Daniel confutavit R. P. Pichler Professore Academiam Ingolstadiensem. Quid heinc? Quid? Læsit necessario Academiam Ingolstadiensem. Et tum? Etiamnum consecrarium non tenes? Læcessit ineluctabiliter Academia Ingolstadiensis Fundatorem munificentissimum. Intellexisti? Omirificam Professoris & quidem primarii Ingolstadiensis Logicam! Ex ungue leonem. Ad seriatim. Tantum ne potuit R. P. ZECH malorum suadere religio? Adversus unum Fratrem Daniele, misellum homulum, tot Scriporum agmina haud sufficiunt? Supremarum etiam Potestatum dedignationem in ipsum concitant? Hæc in altioris subsellii adversarium servanda videbantur. Opportune quadrare huic agendi methodo videtur quod scribit S. Ioannes Chrysostomus. Conferunt se*

ad

ad patrocinium Moysis, sicut homines malam causam habentes confugiunt ad potentes viros, ut, si per iustitiam non possunt, vincant per personam (a). Oro itaque, obtestorque eruditos adversarios, ut abstinere impofterum velint a ciendis turbis, a commovendis Magnatibus adversus me; quæ agendi ratio & desperatæ causæ argumentum est, & honestos litteratos quam maxime dedecet. Sed peto efflagitoque ut calamo, non insidiis rem peragant. Si quid falsi, si quid minus castigati, si quid nimis aut laxitatis, aut austeritatis deprehensuri sint in libris meis, non suis, sed meis verbis illud referant, & quanta valent eloquentiæ vi resellant, labefactent, deridendumque propinent.

VII. Duo ista eruditionis gratia delibavi. Ad id quod caput est, accedo. Imponit mihi eruditus adversarius, me insignem Academiam Ingolstadiensem incredibilem audacia diffamare, & totius Orbis terrarum execrationi ac ludibrio exponere tentasse. Antequam verba quibus R. P. Zech hoc narrat, exscribam, præmitto quæ Cl. P. Conradus Ianningus Soc. I. docet. „Religiōsæ quidem virtutis exercitium est iniurias patienter, & silentio ferre; idque gloriosum sit in persona privata, cuius contemptus cum damno publico coniunctus non est. At in persona quodammodo publica, qualem me sustinere obedientia vult, dum Actus S. S. illustrandis, publicandisque iubet operam dare, tolerari eiusmodi contemptus laudabiliter non potest, immo potest tam laudabiliter, quam debet necessario arceri, ne Acta Sanctorum cogitentur ineptissimis glossæ, & imposturis illustrari a Scriptore cæco (b).” Et mihi profecto, omnia alia cogitanti, obedientia, & quidem suprema iustum fuit ut Catholicorum doctrinam adversus usuras ab erroribus vindicarem. Personam itaque & ego quodammodo publicam sustineo, necessario defendendam, ne obtrectandi anxia detur, me doctrinam catholicam imposturis, & ineptis commentis obscurasse. Nullo itaque modo mihi, sed sibi succedere P. Zech debet, quod dormientem excitaverit. Quoniam subdit alter eruditus eiusdem P. Ianningi Socius: „Respondebo hanc non esse aggressionem meam, sed iustam defensionem, quæ etiam reis denegari non potest. Præterea opponam illi exempla S. Bernardi, S. Thomæ Aquinatis, S. Bonaventuræ, aliorumque Sanctorum, qui calumniatores catholicos strenue redarguerunt... Attamen amice, suadeo illis quorum interest, ne sumantem nasum nisi tenent, quod Poeta Bilbilitanus cavendum docet. Hæc præmonere volui, ne postea serius eos facti poeniteat, & sibi non prædictum quarerentur (c).”

VIII. Si vel ipsis fontibus concedenda iusta defensio est, eam ne mihi innocenti denegabit P. Zech? Clamabit ne, sicut & ceteri adversarii mei, se iniuste exagitarum, & me pacem turbare, me Casuistis imponere, & sanctam caritatem violare? Antequam vero moderatissimam exhibeo defensionem, duas alias accusationes quibus me P. Zech incescit, rescribo propriis eiusdem verbis: *Huius consilii perficiendi novam occasionem præbuit Auctor Italus DANIEL CONCINA... Vir iste, nescio quo instigante genio, in quinta præcipue alterius operis dissertatione Academiam Ingolstadiensem, quam tamquam firmissimum fidei catholicae in Germania propugnaculum suspexerunt hucusque pii homines, veluti PESTILENTIÆ CATHEDRAM, e qua horrenda blasphemie, & virulente hereses doceantur, Orbis totius execrationi, & ludibrio exponit. Inimicæ atrocitas acriorem quidem castigationem exigere videtur. Hac tamen alteri calamo ac FORO relicta, a cepto consilio non deflectendum &c. (d).*

IX. Ut ab ultimis orsa ducam, quodnam FORUM istud, ad quod plectendam iniuriæ atrocitatem remittit P. Zech? Ego ad forum, & insignem Universitatem

IN-

(a) Apud S. Thom. in Cat. Math. cap. XIX. (b) In Apologia pro Act. SS. contra P. Sebastianum a S. Paulo pag. 123. & 124. (c) In Apologia altera pro Agiographis bene pensibus in Prefat. (d) In Prefat. pag. 2.

INGOLSTADIENSEM causam istam appello, & paucis eam ago. Si in citata *dissertatione*, sive in quolibet opere meo reperiat scriptum, præfatam Academiam esse veluti *cathedram pestilentis*, opera mea omnia carnicis manu flammis comburantur. Satis hæc? Nequaquam. Si vel unicum verbum ex iis quæ adversarius mihi impingit, occurrat in eadem dissertatione, eodem plestantur supplicio. Quid plura? Si in citata dissertatione, aliove libro meo quid vel simile offendatur, unde *P. Zech* eruere legitime præfatam imposturam potuerit, eidem libri mei subiiciantur poenæ. Tantum crimen imponit *P. Zech*, nullo adducto documento? Cur verba mea ex citata quinta dissertatione non rescripsit? Cur non paginam? Cur non paragraphum? Cur saltem caput non indicavit? Cum itaque penitus falsa, & ex mero ingenio conficta sint omnia quæ in me scribit, rogo ipsam insignem, & revera de Ecclesia catholica optime meritam Ingolstadiensem Universitatem, ut a talionis poena misericorditer absolvat Professore Incolytæ Universitatis primarium. Unum me torquet, *R. P. Zech*, quod Respublica litteraria, dum legerit istam defensionem meam, hanc instituet argumentationem. Quid? *P. Zech* manifestum crimen imposuit Auctori Italo? Qua doctrina ductus? Num ille forsitan propugnat, licitum esse imponere falsum crimen ei quem adversarium habet? Num forsitan tamquam probabiles defendit sequentes duas propositiones a Ven. Innocentio XI. damnatas? I. *Quidni nominis veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* II. *Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alteri, ut suam iustitiam, & honorem defendat: & si hoc non est probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Verum nec ista, tamen damnata, doctrina fat est. Quandoquidem *F. Daniel* nec magnæ auctoritatis est; nec iustitiam, aut honorem læsit Professoris Ingolstadiensis. Unde ergo anam saltem arripuit *P. Zech* talia scribendi? Ecce. *Fr. Daniel* confutavit opinionem quam *P. Pichler*, Professor Ingolstadiensis, contra *communem* Theologorum catholicorum doctrinam, illo fatente, defendit. Plura absurda, ut Theologi omnes solent, illam consequi evincit *Fr. Daniel*. Porro absurda, quæ vi theologice argumentationis deduxit Auctor Italus ex opinione *P. Pichler*, in Universitatem Ingolstadiensem absolute prolata definivit *P. Zech*, deceptus fortasse exemplis aliorum *Fr. Danielis* adversariorum. Siquidem & isti, ut millies alias diximus, & numquam satis dicendum, quæ *Fr. Daniel* in laxas opiniones scribit, in ipsam Communitatem, in ipsum sacrum Institutum dicta, & impacta vociferantur. Quæ agendi, & argumentandi ratio quam sit omni legi adversa, aliorum esto iudicium.

X. Secundo loco *P. Zech* me, tamquam pontificiæ Decretalis contemptorem, & conculcatorem, traducit. En illius verba. *Quidquid rigoris est in Litteris pontificiis circa usuras, id omne amplectuntur Professores Ingolstadienses. Quidquid moderationis in iisdem Litteris occurrit, id omne respuit, & PROCULCAT Commentator Italus.*

XI. Sapientissimus Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. ut catholicam adversus usuras doctrinas luculentius exponeret, congregationem instituit Purpuratorum Patrum, & Theologorum, in quorum numerum me quoque, licet tanti honoris immeritum, pro singulari sua clementia delegit. Decretalem pontificiam adversus usuras editam interpretatus sum, ipso sciente Pontifice summo, cui etiam Commentarium meum, doctissimorum virorum calculis probatum, dicavi. Heinc præsumere nemo prudens iure potest me contemptorem esse pontificiæ Decretalis, nisi compertissimis testimoniis id demonstraret. Quid allegat *P. Zech*, ut evincat me *reiecisse* & *proculcasse* moderatam Decretalis doctrinam? Nihil profus. Sed videamus, quam bella sit eius causæ partitio. *Quidquid rigoris est in Litteris pontificiis, id omne amplectuntur Professores Ingolstadienses. Quidquid moderationis est, id omne respuit, & proculcat Commentator Italus.* Ita ne vero? Rigor quem acceptant Professores Ingolstadienses, moderatus ne, an immoderatus? Si secundum; im-

immoderatum ergo rigorem Pontifex docet. Si primum; futilis ergo, & inepta distinctio Professoris Primarii. Viden' quam festiva sit præfata divisio?

XII. Ex his omnibus colligat prudens lector necessitatem inevitabilem transcribendi verba ipsa quibus Auctores suas exprimunt opiniones, & designandi loca, & paginas unde illæ excerptæ sunt. Quam regulam si observasset *R. P. Zech*, aliique adversarii mei, ausi haudquaquam fuissent tot incredibilia mihi affingere commenta, evidenter, ut mitissime loquar, falsa.

XIII. Pauca alia levioris momenti mihi exprobrat *R. P. Zech*. *Illud non capio*, inquit, *quid ad rem istam pertineat ironia de Probabilismo (a)*. Audiatur iustam nominati Probabilissimi causam. *P. Fichler* leges naturales, & divinas probabiliter conditionatas asserit, hominumque in fenore probando arbitrio subiectas. Tò probabiliter ille reducit in scenam, & medio hoc Probabilismo adversus Catholicorum communem doctrinam calamum acuit. An non legitima vellicandi Probabilismi ratio? Subdit *P. Zech*. *Nec fautor, nec amicus sum mitissimi Probabilismi (b)*. Gaudeo sumopere. Sed Tò mitissimi gaudium tantillum inturbat. Sin mitissimi, seu benignissimi, erit ne saltem mitis, mitioris, benigni, vel benignioris Probabilismi fautor, & amicus? Hoc patefaciendum superest. Tertio loco improperat mihi *P. Zech*, quod partium studio adductus eadem severitate non vellicem domesticorum, ac exterorum opiniones laxas. In medium promit (c) *Francisci de Arauxo* Ordinis Prædicatorum opinionem, & meo iudicio falsam. Post hæc subdit: *Zelus reformanda Theologia devoraret FR. DANIELEM, si doctrina hac vradita fuisset a Doctore Ingolstadiensi (d)*. *Fr. Daniel* sapius cum suo magistro *CANO* protestatus est, non modo in ceteris operibus, sed in ipso Commentario adversus fenora. (e) *Propositum est enim veri reperiendi causa & contra nostros, & pro alienis etiam dicere, & cum res postulat, utrosque, nullius accepta persona, reprehendere (f)*. Prædicatorum Ordo unius *S. Thomæ* doctrinam adoptat, & in cuiuscumque privati domestici, non secus ac exteri, errores animadvertit. Quam ad amissam regulam istam servaverim ego, testes sunt libri mei, in quibus ex instituto, & quidem severo stilo, aliorum domesticorum laxas opiniones labefactavi.

IX. Sed quid ultra provehor? Leviora hæc sunt quam otium nostrum postulent. Quæso itaque *R. P. Zech*, ut, missis contentionibus, simultatibus, censurisque in rationem, in ordinem, modumque scribendi, unice in doctrinam sanam propugnandam, collatis mutuo viribus, incumbamus. Huc tendant molimina nostra. Doctrinam quam de usura in libro tuo propugnas, omnibus calculis ego probo, iis exceptis quæ adversus *R. P. Eusebium Amort* Virum Cl., & de Republica litteraria quam meritissimum, mihiq; amicitia fœdere iunctum, iniuste, & hallucinatione deceptus scribis, ut idem præstantissimus Amicus in sua *Questione Morali*, hoc currenti anno typis edita, palam fecit. Tu proculcasse me pontificiæ Decretalis moderatum rigorem asseris, sed nec verbum prodis quo id ostendas. Sincere rogo ut errores meos, non tuis, sed meis verbis expressos, universo Orbi patefacias; tum ne decipiantur incauti, tum ut corrigere eosdem valeam. Quod ut præstes, exemplo præire mihi lubet, transcribendo propositionem, quam Reverentia vestra docet sub finem libri in corollariis num. 19. *Ut Clerici ex redditibus beneficialibus licite, & valide restentur ad causas profanas, efficere potest consuetudo RATIONABILIS: quod autem consuetudo ita restandi, per TOTAM aliquam diœcesim ILLIMITATE vigens, sit rationalis, difficile est.* Propositio ista, ut mea minima præferret opinio, salvoque meliori iudicio, Ecclesiæ doctrinæ adversatur. Rationalis ergo est consuetudo in Clericis beneficiatis restandi ad causas profanas? Undenam

(a) Pag. 60. (b) Ibidem. (c) Pag. 85. (d) Pag. 87. (e) Pag. 61.
(f) Lib. II, cap. III, de Loc. Theolog.

nam rationabilitas hæc orta est? Ex divinis Scripturis, ex Patribus, ex Conciliis? Consuetudo ista, per totam diœcesim illimitate vicens, difficilis est probationis? Non tamen impossibilis, saltem vi Probabilissimi mitissimi. Quid, si non sit illimitata? Tum facilis probationis erit. Quid, si non sit pro tota, sed pro parte diœcesis? Facillime tunc demonstrabitur, nonne? Verum, si pro medietate diœcesis facilis sit probatio, cur non pro tota? Et si pro tota diœcesi, cur non pro universo Orbe? Sed istius propositionis examen ad alium locum remitto. Nunc serio meditandam subiicio P. Zech animadversionem piissimi unaque doctissimi leuitæ Cardinalis Bellarmini. Non disputo questionem illam, an Prælati sint vere domini reddituum ecclesiasticorum, & an teneantur restituere quæ male expenderunt. Parum enim refert utrum Prælati damnetur ad inferos, quia peccavit contra iustitiam, an quia peccavit contra caritatem, non bene distribuendo facultates suas. Solum quero, in quos usus debeat expendere suas ecclesiasticas facultates, ut non mittat vitam æternam (a). Meditetur eruditus Professor, divino saltem caritatis præcepto iuxta communem omnium Catholicorum doctrinam devinctos Beneficiarios esse ad erogandas facultates ecclesiasticas in pios usus. Porro contra hoc divinum caritatis præceptum consuetudo, & quidem rationabilis, prævalere potest? Cum ego hanc consuetudinem, non rationabilem, sed perniciosam corruptelam demonstravero, numquid accusaturus me eris, Pater Reverende, quod perillustrem Academiam Ingolstadtensem diffamaverim? Si id egeris, cum S. Augustino respondebo. Si ea in me reprehenderis quæ reprehendenda non sunt, te ledis magis. . . . Ego autem, si medicinalem correptionem tuam tranquillus accepero, non dolebo: si vero infirmitas velut humana mea, etiam cum veraciter arguor, non potest nisi aliquantulum contristari; melius tumor capitis dolet, dum curatur, quam dum ei parcuritur, & non sanatur. Hoc est enim quod acute vidit qui dixit, utiliores esse plerumque inimicos iurgantes quam amicos oburgare metuentes. Illi enim, dum rixantur, dicunt aliquando vera, quæ corrigamus; isti autem minorem quam oportet exhibent iustitiæ libertatem, dum amicitia timent exasperare dulcedinem (b). Tandem cum S. Hieronymo ad S. Augustinum concludo. Si culpa est respondisse, quæso ut patienter audias: multo maior est provocasse. Sed facessant istiusmodi querimonie.

C A P U T XII.

A U C T O R I S M O N I T A

A D

L E C T O R E S.

Quibus potissimum sanctarum Scripturarum studium inculcatur, & quorundam Casuistarum lectio dissuadetur.

I. **L**ectores omnes cum primis monere summopere mea interest ut in legendis scriptis meis nihil omnino auctoritati meæ deferant, nullumque mei gratia dictum excipiant. Omnia ad sacrarum legum præscriptum expendant, & quæ divinis Scripturis, ac rationi consentanea cognoverint, ea amplectantur; non quia a me dicta, sed quia a Deo imperata. Non exigua est multitudo imperitorum, qui, quæcumque typis edita legunt, clausis oculis, & tranquilla conscientia suscipiunt. Quam hallucinationem, ut veritati inveniendæ perniciosam, reicit vel ipse M.

(a) Epist. ad Episcopum Theanensem (b) Epist. xv.

M. Tullius inquit: Obest plerumque iis qui discere volunt, auctoritas eorum qui se docere profitentur: deserunt enim suum iudicium, & id habent ratum quod ad eo quem probant, iudicatum vident. Quid quod vel ipsa splendidissima Ecclesiæ lumina, doctissimi nempe Ecclesiæ Patres, monuerunt lectores, ne plus fidei suis doctrinis adhererent quam veritates, & auctoritates Scripturarum evincunt? Unum præ ceteris audiamus Augustinum. Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas, habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: TALES ego volo esse INTELLECTORES MEORUM (a).

II. Alterum, de quo vos monitos velim lectores omnes, sive domesticos, sive extraneos, sive amicos, sive adversarios, est, ut ubi inveneritis me a veritate aberrasse, & in laxiora, vel æquo rigidiora declinasse, severe corrigatis errores meos, nulla habita sive scholæ, sive domus, sive professionis ratione. Maius est negotium quo de agimus quam ut cum illius periculo his vanis, & sane ridiculariis rationibus quidquam indulgentum sit. Millies hanc repetit admonitionem S. Augustinus. Cum legis, mi sancte Pauline (libros meos) non ita te rapiant quæ per nostram infirmitatem veritas loquitur, ut ea quæ ipse loquor, minus diligenter advertas. . . In iis enim si adverteris quæ tibi recte displicebunt, ego ipse conspicio; in iis autem quæ . . . recte tibi placent in libris meis, ille amandus est, ille prædicandus est, apud quem est fons vita, & in cuius lumine videbimus lumen. . . In iis vero quæ de veteri fermento eructavi. . . multo erit mihi gratior dilectio tua, si ex iis quæ tibi displicuerint, emendaveris me, iustus in misericordia, & argueris me. Non enim talis es, cuius oleo timeam impinguari caput meum (b).

III. Si tam humili, sinceraque animi demissione locutus est magnus iste Ecclesiæ Pater; quid mihi homuncioni dicendum est? Si ipsorum Ecclesiæ Patrum opera diligenter legenda sunt; numquid iuniorum decisionibus, & maxime meis, nullo habito examine, acquiescendum erit? Ad mea scripta quod attinet, non modo superiorum, sed cuiuscumque lectoris iudicio illa submitto. Immo omnes oro ut severe corrigant quidquid corrigendum existimaverint. Quod ut præstent, sacrarum Canonum sententiam in medium profero. Qui aliorum defendit errorem, multo amplius damnabilior est eo qui errat; quia non solum errat, sed etiam aliis offendicula erroris confirmat (c). Exulent vanissimæ ille lamentationes, quibus non pauci, lædi Auctorum famam, obnubilari Instituti splendorem, violari caritatis iura conclamant; dum iuniorum opiniones, a christiana legum sanctitate nimium deflectentes, acri validoque stilo exagitantur; ac si magis cavendum esset ne acris resellantur errores, quam vitandum ne animæ, pravis opinionibus deceptæ, æternam pereant. Apage commentum perniciosum. Eo stilo reselli, aberrationes meas cupio qui validior, atque potentior iudicatus fuerit ad veritatem manifestandam, ac imprimendam, illuminandasque Christianorum mentes. Si deridenda docuero, derideantur; si plectenda, plectantur; si damnanda, damnentur. Illud etiam altius menti lectorum hæreat velim, me in hoc negotio censoris personam nullo modo sustinere. Absit a me audacia tanta. Sed munus exerceo Theologi, cui omnes ius afferunt confirmandi veras, & resellendi falsas, & laxas doctrinas.

IV. MONITUM tertium, & altius memoriæ commendandum. Ad quemlibet huius christianæ Theologiæ tractatum præmitto propositiones ab Ecclesiâ damnatas,

(a) Epist. xci. ad Fortunatianum. (b) Epist. xxxii. ad Paulin. (c) Cap. Qui aliorum xxiv. quest. III.

tas, deinde censum texo opinionum quas ego laxas reputo. Me falli potuisse in his excerpendis, refutandisque propositionibus in antecessum fateor, & insipientiam, oscitantiam, ignorantiamque meam aliorum, sapientum præsertim, correctioni sponte submitto. Ex libris Moralistarum qui magis sunt obvii, & omnium fere manibus teruntur, illas collegi, cuiuscumque sint Instituti, ut invidentiæ occasionem submoverem. Illos qui in bibliothecis a blattis & tineis roduntur, præterii. Si quis istorum quoque pulverem excutere operæ pretium existimaverit; illius plaudam labori. Illud tantum peto ne de more aliqui maledicendi animo, & invidentiæ crimini mihi lapsus meos vertant; sed ignorantia, oscitantia, & hebetudinis etiam, si velint, me arguant. Testor enim coram Deo, & universa litteraria Republica me numquam in homines, quorum opiniones falsas pro virili convellere studeo, stilum intorquere: multo minus in illorum animum, intentionemve: immo sincerissime testor me omnes suspicere, & venerari. Piam sanctamque fuisse illorum intentionem pro certo habeo. Optima, inquit illi qui plus iusto erga Casuistas amore rapiuntur, protestatio est; sed eidem minime facta respondent. Dicis, eos studio placendi hominibus, amplificandæ salutis viæ, indulgendi carni, & sanguini scripsisse: iocis, salibus, leporibus illorum aspergis opiniones. Hæc sunt vetusta artificia, quæ infra profligabo. Opiniones æquo laxiores profecto hominibus placent, eorumque plausum, & obsequium sibi demerentur. Quid inde? Ideo ne Auctores animo assentandi, palmandique scripsere? Existimant illi hac opinionum benignitate obtineri facilius posse hominum salutem. Pie, sancteque illos iudicasse hanc esse viam minus impeditam ad patriam perveniendi, sentire nos convenit. Hanc illorum piam intentionem sapissime ego lectoribus inculco. Quod si interdum omiserim, testor id oblivioni, & menti alio distentæ tribuendum esse. Quid quod vix auderem vel ipsorum hæreticorum, nedum Catholicorum, secretam intentionem carpere? Divino iudicio animorum secreta reservata sunt. Amentium loco habeo illos qui qua intentione homines scripserint, perscrutantur. Intentio, sive bona, sive prava, solum afficit scribentem. Nobis autem minus noxius error non est, si bona, quam si prava intentione suadeatur. S. Augustinum audiamus: *Illi maledicunt, & dicunt bona nostra, sed malo animo; sic multi mala nostra bono animo. . . . Quomodo ille bona tua dicebat maledicens, sic iste mala tua benedicens; sed utrumque genus hostis fuge, utrumque cave. Ille sedit, iste blanditur (a).*

V. Animis tandem adeste omnes lectores qui divinæ legis zelo flagratis. Spectata humanæ naturæ infirmitate, fieri vix potest quin in alterutrum extremum aut mollioris, aut acerbioris stili impingatur: aut minus quam oportet, vox exaltetur, ad christianam doctrinam vindicandam, aut plus quam oportet, calamus acuatur ad eiusdem corruptores redarguendos. Quodnam duorum fere inevitabilium malorum magis pertimescendum? Quodnam magis cavendum? Altius ne tibi cordi est unius aut alterius Casuistæ minuendæ in re litteraria famæ periculum, quam timor ne minus æquo ab opinionum pravitate divina veritas asseratur? Resonant murmura & maledicta contra invictos sanioris doctrinæ vindices; & omnium fere ora obmutescunt adversus laxioris Ethices patronos. Quod sacrum disciplinæ depositum expiletur, & prodigatur; quod divinæ Moralis facies meretriciis fucis fœdetur; quod illecebrarum, & errorum fuligine adulterata squalleat, vix aliquos ita commovet, accenditque, ut in publicum erumpant, ut libera fronte intercedant. Tantum ne Casuistæ vel oblique vellicentur, vel severe refellantur, & omnia sunt salva. O tempora! o mores! Clamat tamen Augustinus. *Numquam errari tutius existimo quam cum in amore nimio veritatis, & reiectione nimia falsitatis erratur (b).*

VI.

(a) Epist. XLVIII. (b) Lib. I. de Mend. cap. II.

VI. MONITUM quod ultimo loco lectoribus meis serio perpendendum exhibeo, sanctarum Scripturarum lectionem spectat. De gravissimo quo obstringuntur debito animarum Pastores, morumque Magistri, & Theologi divinis studendi Scripturis, fusior, Deo dante, in Tom. I. *Apparatus ad christianam Theologiam* mihi sermo erit. Paucis nunc debitum istud perstringo, atque suadeo. Sancti Ecclesiæ Patres divinas Scripturas nobis a Deo missas vocant. *Non creditis (inquit (a) Chryostomus) quia quæ dicuntur, a Deo sint? Epistolæ istæ sunt a Deo missæ.* Hoc idem docet S. Augustinus. *De illa civitate, unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt. Ipse sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus. Quid dicam venisse litteras? Ipse Rex descendit (b).* Si Rex ad civitatem, ad provinciam epistolam mitteret in qua regulæ in contractibus, in testamentis, in hereditatibus, in commerciis, in tributis servandæ præscriberentur; quis mercatorum, quis divitum, quis eorum omnium quorum interesset, regis epistolæ lectionem, & quidem attentam negligeret? Quis solis quibusdam interpretibus fidem adhiberet? Et ii qui morum magistri, qui animarum Pastores, & iudices instituti sunt, Dei epistolæ, ad quarum amussim ferenda iudicia, coercendi mores, curandi animorum morbi sunt, legere, meditari, perscrutari omittent? Aptus ne ludi magister haberetur ille qui artis, & professionis suæ ignoraret libros? Et ii qui Dei librum, qui Dei epistolæ ad nos missas ignorant, opportuni animarum iudices sedebunt? Vocatus olim in iudicium Hieronymus, rogatusque quis esset; cum se Christianum esse respondisset, audivit: *Mentiris*; non enim Christianus, sed Ciceronianus es: quia Ciceronis, non Dei libris delectaris. Cedo. Si Romani, si Corinthii, si Ephesii, si ceteri ad quos Paulus epistolæ scripsit, easdem legere neglexissent, immunes ne a gravi crimine ignorantiæ, & non crassa, & temeraria? Porro epistolæ illæ non ad Romanos, non ad Corinthios, non ad Galatas, non ad Ephesios solum, sed ad nos quoque, & ad omnes qui sub Christi nomine militant, scriptæ sunt. Qua ergo ratione a gravi crimine liberi erunt magistri morum, si istarum lectionem, & quidem sedulam neglexerint? Nec est quod obrudas, te Moralistas legere, qui Evangelio, qui Scripturis divinis studuerunt. Quoniam divinum iudicium iuxta, non Casuistarum, sed Scripturarum sanctarum præscripta ferendum est. Quantam navarint operam Casuistæ plurimi Scripturarum studio, eorumdem volumina patefaciunt. Nos conformare vitam nostram ad Dei voluntatem astringimur. Hanc autem voluntatem suam Deus epistolæ suis nobis manifestavit. Qui vero fieri potest ut illius sciamus voluntatem, si eiusdem epistolæ ignoremus? At, inquis, sublimia Scripturarum sensa captum meum superant. Ita ne vero? Imprudens ergo Paulus, quod ad Romanos, ad Corinthios, ad ceteros, atque adeo ad nos omnes epistolæ dederit obscuras, impeditas, arcanas, & a communi intelligentia alienas? Verum clamat ille: *Quocumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt (c).* Et iterum: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia (d).* Plura utique sunt in scripturis sanctis mysteria, plura arcana, quorum notitiam non ab omnibus Deus poscit. Sed ea quæ ad erudiendos nos tum in fidei articulis, tum in morum sanctitate pertinent, magis obvia, luculenta, & perspicua sunt quam Probabilistarum subtilissima, & impeditissima commenta. Quis, quæso, se ineptum fatebitur ad intelligendos libros Proverbiorum, Sapientiarum, Ecclesiastici, in quibus pro moribus imbuendis, & pro vitæ regimine tot & tam pervia, & saluberrima documenta occurrunt? Mentis tuæ aciem fugiunt ne Christi Evangelia tot similitudinibus ad humanum captum aptissimis respersa?

e 2

Quid

(a) Hom. III. in Epist. ad Thessal. (b) In Psal. xc. (c) Ad Rom. xv. (d) II. ad Timoth. III.

Quid de Prophetarum instructionibus; quid de historicis libris dicam? Profecto si assequi quæ ad instructionem animæ tuæ in his libris docentur nequis, neque Casuistarum sophisticas disputationes comprehendes. At in Scripturis divinis, & SS. Doctoribus non reperiuntur casuum decisiones, quæ sunt in iuniorum libris. Verum habet. Sed neque occurrunt in iisdem errores qui contra fidem investiti sunt. Ergo in Scripturis, Patribus, & Conciliis non sunt omnia ad fidem necessaria? Non sunt in Scripturis, Patribus, & Conciliis commenta, quæ plures Casuistæ excogitarunt ad mores laxandos concedo. Non sunt ea omnia quæ ad mores formandos requiruntur: nego. An caruit tot sæculis Ecclesia Christi doctrina necessaria ad salutem? An ante Probabilismum investum cæcutiebant morum magistri, & christianus populus? Timendum potius advenisse quod minatur Paulus. *Veniet enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coarcevant sibi magistros prurientes auribus.* Timendum ne gemamus sub terribili funestoque supplicio quod Deus minatur per Prophetam Amos. *Mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari usque ad mare, & ab Aquilone usque ad Orientem: circuibunt querentes verbum Domini, & non invenient (a).* Sed invenient verbum hominum, verbum blandiens, & pruriens auribus. Verum de his omnibus pro dignitate *loc. cit.* Omnia iuniorum opera moralia non improbo; sed illos volvendos, revolvendosque libros præ ceteris assero ex quorum lectione quisque se sentit ad pietatem, ad virtutis iter capeffendum excitari, & stimulari. Unum de me ipso patefacere minime erubescō, numquam videlicet me ex illorum Casuistarum qui, Patribus, & Scripturis neglectis, omnia in disputationem vocant, & sophisticis distinctiunculis omnia definiunt, lectione, interiore pietatis sensu tactum, divinæque flammæ ardore succensum sensitisse. Aridam semper, & sterilem talium expertus sum lectionem. Id infirmitati, & malitiæ meæ tribuendum erit; tamen adfirmare diserte possum, plurimos, viros & doctrina, & probitate præstantissimos mihi factos esse non meliorem se profectum ex eiusmodi librorum lectione collegisse.

VII. Quid ergo de tanta moralium voluminum multitudine agendum? Si quod ipse sentio, tibi patefacerem, ingentem mihi conflarem invidiam. Adeo inveteraverunt præiudicatæ opinioniones, ut manifestæ veritati vix locus pateat. Dignam tamen pro me responsum præbebit sæpius citatus, & nunquam sine laudis præfatione citandus P. Michael ELIZALDE doctissimus Iesuita. Hæc autem ille ad tuum quæstum reponit. „Hæc sit nostra brevissima, & æquissima sane responsio:

„cum his scilicet libris id faciendum esse quod per ipsos, eorumque Auctores
 „cum sanctis Patribus, Doctoribusque Ecclesiæ factum est: quod item factum est
 „cum Prophetis, cum Evangelio, cum Apostolis: & sicut hi omnes pene derelicti sunt, tantisper illi derelinquantur, & in usum praximque doctrina sacra,
 „Sanctorumque restituatur: atque sic eis vicem iustissime rependimus.

„Nimirum hoc loco offendi, commoverique iure, vel iniuria multi possunt,
 „iure non possunt. Iacuit diu Augustinus in foro conscientiarum regendarum.
 „Quis, quæso, ab institutis christianis tam longe positus est, qui non consultius
 „arbitretur ut tantumdem saltem iaceat DIANA, & ad forum eius loco redeat
 „AUGUSTINUS? Si vel AMBROSIUM, vel CARAMUELEM vivere oportet,
 „quis non AMBROSIUM præhabeat? Si populi vel ex CHRYSOSTOMO, &
 „GREGORIO, vel ex TAMBURINO, & ESCOBARIO regendi sint; si vita
 „fidelibus ex alterutris instituenda: quis eos non præferat quos Doctores vitæ
 „nostræ Ecclesia sancta mater, & magistra nostra nobis porrexit? *Hæc clara sunt,*

(a) Cap. VIII.

„& nulli iniuriam facimus: & si persecutionem propter iustitiam patiemur, beati a Domino habebimur.

„Sed dicis, utrosque simul vivere, regnareque posse. Respondeo. Primo, oraculo pontificio (Alex. VII.) sæpius commemorato constat nobis, quibus (N. B.) *Sedes apostolica in suo loco est*, irrepsisse modum de rebus conscientie opinandi omnino alienum a simplicitate evangelica, & doctrina sanctorum Patrum. Hic porro modus, & hæc opinioniones alicubi sane sunt, & in libris aliquibus sunt. Hi ergo libri cum Evangelio, & doctrina Sanctorum simul vivere, regnareque non possunt. *Si qui vero erunt qui oracula pontificia pro se lata maximi faciant*, (N. B.) *contra se vero nihil pendant; hoc sane bonum non est.* Secundo ex constitutis hoc opere . . . constat, doctrinam sacram, & Sanctorum conciliari non posse cum opinionibus multorum, non modo in particulis quibusdam, & quasi conclusionibus, sed nec in ipsis quidem principiis universalibus philosophandi. Utrique ergo simul vivere, & regnare nequeunt. Tertio apertis multis libris Moralistarum notorie constat pene nullum usum in eis esse doctrinæ sacræ, & Sanctorum. Tantumdem ergo cum ipsis tantisper fiat. Quarto hi libri contrarietate, & contradictione pleni sunt: ex quo proinde dimidia saltem pars falsa sit. Sed nulla falsitas cum sacra doctrina, & rara, vel nulla cum doctrina sanctorum Patrum de fide, & moribus conciliari potest. Hi igitur libri, quamdiu saltem falsa hæc omnia expungantur, una cum doctrina Scripturarum, Sanctorumque vivere non possunt.

„Dices iterum, in libro Dei, & doctrina Sanctorum deesse doctrinam necessariam salutis ad regendos populos, dirigendas conscientias. Verum ostensum est hanc doctrinam nunquam magis quam fidem in Ecclesia defuisse, & monstrum monstrorum esse, si existiment se nunc venisse ad dandam scientiam salutis plebi eius. Ad hoc quippe ille venit qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; qui Ecclesiam ædificavit, firmamentum, & columnam veritatis; cuique depositum custodiendum credidit, quod haud dubie illa servavit. Non hic doctrina, sed consideratione, & minimo saltem gradu humilitatis opus est. Illud itaque faciendum incunctanter asserimus cum his libris quod cum libris sanctis Dei, & Sanctorum per eos factum est, ut hi vivant, & regnent: & ad operatores illud Apostoli dicere possunt: *Iam sine nobis regnatis: utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.* Utinam, inquam, regnetis, qui scilicet una cum illis regnare possunt. Sin minus, si alterutri exulare deberent, quemque Christianum iudicem compello, quos iudicet regnare oportere (a).

IX. Quæ hic paucis perstrinxit vir Dei, & piissimus IESU Christi servus fuso calamo in pluribus sui operis locis evidentissime demonstrat. Quamquam, ut ipse advertit, non demonstratione hæc egent, sed humili meditatione, atque consideratione. Revolve plura Probabilistarum volumina. Vix ex millenis quæstionibus una occurret quæ in utramque non disputetur partem: & tam affirmativa, quam negativa de eodem salutis æternæ puncto, sua fruitur probabilitate, & quæ tibi magis arridet, tibi feligenda passim proponitur. Hoc autem quid aliud est, nisi tibi æque venenum, ac antidotum porrigere; æque per viam veritatis, ac viam erroris indiscriminatim deducere? Via autem erroris suapte natura in orcum detrudit, non in calum ducit. Sed ut luculentius, quam sit prudens, quamque necessarium consilium sapientissimi ELIZALDE, deprehendas, scias oportet, non modo Probabilistarum plurimos Dei epistolas ad nos missas, seu divinas Scripturas, earumque veros interpretes SS. Ecclesiæ Patres negligere; sed, quod longe peius est, vanissimis interpretamentis illorum sententias deludere. In cuius rei confirmationem

Conc. Theol. Tom. I.

e 3

nem

(a) III. Part. Lib. VIII. quæst. VIII. §. 8. pag. 150.

nem unum & alterum exemplum in medium adfero. P. Thomas Tamburinus liberat a gravi culpa filios qui, inconsultis parentibus, nubunt etiam indignis. Ad divinas Scripturas, ad Patres oppositum docentes quid responsi præbet? Audi. Si statuit EVARISTUS Papa ut pro nupta nequaquam habeatur puella quam pater ipse non desponsat; si LEO Pontifex, si AMBROSIUS aiunt non esse virginis pudoris maritum eligere; sed iudicium parentum expectandum; si in SACRIS LITTERIS parentibus tradidit hoc munus Sap. VII. Da filiam tuam viro prudenti; si S. PAULUS I. Cor. v. EXPRESSE docet a parentibus tradendas esse filias nuptiis; si multa sacrarum litterarum exempla, quæ affert Bellarminus, id MANIFESTE demonstrant: RESPONDE cum Sanchez, hæc, & similia probare quidem esse valde honestum eiusmodi consilium a patre conquirere, divinam peccati mortalitatem necessitatem non probare (a). Mirifica istius Responde cum Sanchez. Si Bellarminus, qui solus præstat mille Sanchezis, oppositum doceat, ut reapse docet; si universa antiquitas reclamet; tu responde cum Sanchez. Sed ex isto Sanchez alterum promamus exemplum. Sacrosactis Conciliis, quæ obligationem memoriter discendi Pater, Ave, Symbolum declarant, respondet. Etsi verba CONCILIORUM rigide videantur loqui, & sub mortali obligare; at consuetudo iam exposcit, obligationem hanc tanti momenti non esse, ut culpam venialem excedat illius transgressio (b). Audistim' supremos Scripturarum, Patrum, & Conciliorum censes? Consuetudo, non corruptela ea est quæ, reclamantibus Conciliis, Christianos a gravissimo debito solvit addiscendi articulos in symbolo contentos, ipsumque Pater, & Ave? Sed huic monito finem imponat doctissimus, atque morum probitate per insignis Ioannes Mabillonius inclyti Benedictini Ordinis splendor, & ornamentum. (c) Perniciosior scholasticæ facultatis usus, multiplicatio fuit Doctorum Theologiæ moralis Tunc itaque moralis doctrina purius ac sincerius expendebatur, nec tot tantisque dubiis metaphysicis, ut nunc, erat obnoxia. Verum ex eo tempore ad tot speculationes devenit, ut ex nimio ac immoderato ratiocinandi acumine, nonnumquam vel ipsa ratio desierit. Quinimmo non sine animi nostri mœrore compertum est, Ethicorum Ethicæ, quorumdam Theologorum Summis aliquando fuisse pudori Tantum igitur abest ut istorum Summistarum studium ad christianæ Philosophiæ consecutionem quadrantenus dirigat, quod potius ex libera ipsos legendi facultate non modicum sequatur detrimentum. Quare nisi utiles a noxiis sedulo fecernantur, periculum imminet spiritualis vitæ. Fructus longe maior ex Ciceronis de officiis lectione hauritur, quam nonnullorum Summistarum, qui præter amplam doctrinarum, ac ratiociniorum farraginem, nihil aliud sæpe sapius ingerunt, præter quam molestas legentibus tricas, unde difficillime subinde emergunt. Numquid rector norma ad Probabilitatem attinens in istorum Summis apparet, ea Tullii præfati, in qua præscribit, ab iis universim nobis cavendum esse quæ licita nec ne sint quodammodo dubitamus. Quocirca bene præcipiunt (inquit) qui vetant quidquam agere quod dubites, æquum sit, an iniquum. ÆQUITAS enim lucet ipsa per se; dubitatio autem cogitationem significat iniuriæ. Quot conscientie casus, inquit egregius Scholiastes, ex isto solum principio liquido resolverentur, si Christianifideles hoc ipsum serio vellent animadvertere? At M. Tullio respondent Probabilitæ, deponendam esse dubitationem, & medio iudicio reflexo feligendam opinionem minus veram, minus probabilem, magisque libertati humanæ accommodatam, in conspectu etiam probabilioris, & verisimilioris.

X. Sub hoc præfandi sine omnes rogo, obtestorque ut tota mentis indagine recogitent causam quam oramus, non esse contentionis, sed pietatis, non curiositatis, sed doloris, non ingenii, sed caritatis. Religionis, & æternitatis negotium, non ad alios, non ad amicos, non ad Institutum, non ad adversarios, sed ad nos

(a) Lib. V. in Decal. cap. II. §. 3. num. 6. (b) Lib. II. in Decal. cap. III. num. 19. (c) De studiis monastic. Part. II. cap. VII.

nos, sed ad quemque nostrum pertinet. Paulum sanctum audite. Rogamus autem vos, fratres, ut . . . vestrum negotium agatis (a). Quid est, viri fratres, quod in expendentis nostræ æternæ aut felicitatis, aut calamitatis controversiis partium, factionumque studio indulgeamus? Quid est quod in hac nostra summa, & unica causa, si eam implicari tricus, adulterari fucus, depravari opinionum præstigiis videamus, silendum, aut submissa tantum voce loquendum nobis sit? Si locum habere quandoque debeat divinum illud oraculum, Irascimini, & nolite peccare; an ne opportunius exequendum quam pro nostra propugnanda æternitatis causa? Si a me ergo in hac peroranda causa quid liberius, si quid acrius, si quid asperius, si quid vehementius dictum fuerit; parcite, quæso, pio dolori, parcite piis lacrymis, iustæ iracundiæ parcite, christianæ caritatis fervori indulge, tantumque veniæ, & clementiæ scribendi libertati, atque sinceritati concedite, quantum pietati, iustitiæ, religioni, atque æternitatis causæ concedendum, sancte, iusteque existimatis, ut inquit in leviori, immo levissima causa M. Tullius. Atque ego sic statuo, iudices, a me in hac causa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius quam defensionis, querelæ quam eloquentiæ, doloris quam ingenii partes esse susceptas. Itaque, si aut acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt, peto a vobis ut tantum orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & iustæ iracundiæ concedendum putetis (b).

C A P U T XIII.

T E S T I M O N I U M

A U C T O R I S

P R O

I N C L Y T A S O C I E T A T E I E S U.

I.

CUM primum insonare rumore audivi, ex libris meis adversus quorumdam Theologorum laxas opiniones typis editas, obtrectandi ansam nonnullos arripuisse, in iisdem perillustrem SOCIETATEM IESU notari, veluti æquo benignioris doctrinæ magistræ, meque caritatis, & iustitiæ violatorem per hominum ora traduci; si vehementi sensu me affectum negarem, sane mentirer. Qui enim fieri poterat ne commoverer, intelligens, me offensorem vulgari istius præstantissimæ Religionis, quam ob ingentia eius merita summopere veneror, suspicioque, & cui maximorum beneficiorum titulo me devinctum agnosco? Sub istius quippe eximii Instituti viris prima litterarum posui tirocinia: illosque conscientiæ meæ arbitros plures annos habui. Quare ingrati animi, nedum fractæ caritatis, & iustitiæ reus forem, si quidpiam pronuntiassem quod vel tantillum aut ingentem gloriam imminuere, aut splendori longe lateque coruscanti obducere tenebras potuisset præfata SOCIETATIS IESU, de Republica litteraria, de universa Ecclesia catholica in amplificanda apud infideles, distitasque regiones evangelica lege, in erudienda ubique locorum iuventute, atque sacramentorum assidua administratione quam meritissimæ. Hanc ego uberrimam virtutem, & meritorum copiam, aliasque innumeras dotes, quibus Religio isthæc insignita est, semper, occasione data, fassus sum,

(a) Thessal. cap. IV. (b) Orat. pro Sext. in Exord.

sum, atque cum privatis, tum publicis celebravi præconiis : cuius rei tot testes habeo, quot homines sum allocutus.

Ne vero quispiam in suspicionem veniat, hocce meum TESTIMONIUM, aut tempestatis alicuius evadendæ, periculique declinandæ causa, aut assentandi (a quo vitio quam absim, notum est omnibus) aut humani favoris, gratiæque captandæ studio extortum esse; Rempublicam litterariam monitam velim, me iampridem, & sub ipsius litterariæ pugnæ initium, hæc, & his longe majora pro insigni SOCIETATE IESU typis publicis prodidisse. Veritatis istius non alios testes nisi libros hæctenus a me editos perhibeo. Ad severiorem criticen revocentur omnes, nullo excepto, & si verbum quodpiam minus honorifice prolatum occurrerit, imo nisi semper cum laudis præfatione de inclyta SOCIETATE IESU pro re nata locutus fuerim, causa cadere sponte assentior. Et quoniam non omnibus qui hæc lecturi sunt, libri præsto adsunt, pauca ex pluribus infra subiicio. (a) Quibus ani-

(a) Legatur opus inscriptum QUARESIMA APPELLANTE in præf. Apologet. §. 5. pag. 26. tertia edit. Il P. Ignazio Camargo defende validamente la sua inclita COMPAGNIA dalle calunnie di coloro che le rilasciate opinioni de' privati Scrittori ingiustamente ascrivono al corpo intero della INSIGNE SOCIETA'. Io per me (mi si perdoni questa sincera necessaria parentesi) col medesimo P. Camargo impugno, e riprovo non poche rilasciate opinioni di alcuni privati Scrittori di questo illustre Ordine: ma, siccome farebbe una gravissima ingiustizia la mia, se gli errori de' privati ascriveffi all' Ordine stesso; così ingiusti farebbon quelli che mi accusassero di avere io scritto con poco rispetto, ed ossequio verso la COMPAGNIA, perchè ho fatta poca stima delle opinioni di alcuni particolari Scrittori. E tanto più sarebbe ingiusta l'accusa, quantochè ho sempre parlato con singolare venerazione e di quegli Autori medesimi le cui opinioni ho confutate, e di tutti que' tanti altri celeberrimi Dottori, che di tal Ordine ho nominati: e nuovamente col citato P. Ignazio Camargo confesso l'alta stima verso di questa INSIGNE SOCIETA', specialmente, tralasciando gli altri molti titoli, per i tanti dottissimi, piissimi, e profondi Teologi, che hanno impugnato il Probabilismo.

Lege aliud opus, cuius titulus: Della Storia del PROBABILISMO, e del RIGORISMO Dissertazioni Teologiche, Morali, e Critiche. Tom. I. pag. 70. & 71. LA COMPAGNIA DI GESU', che per ogni parte del mondo e dai pulpiti, e dalle cattedre migliaia, e migliaia di uomini dotti, e pii occupava a promuovere la virtù, a combattere i vizj, i tanti Missionari, che a colto del proprio sangue la fede di Gesù Cristo predicavano agl' infedeli; i tanti operai impiegati a coltivare le anime de' Cattolici; i tanti libri in ogni genere, e massimamente di pietà; la personale esemplarità edificante, erano, e sono tutti autentici testimonj, che una Religione si illustre non potesse insegnare dottrine men sane. Siccome delle altre Religioni, così di essa, alquanti privati solamente furono gli Autori di sentenze troppo indulgenti, perchè servironi del Probabilismo nella sua purità, senza veruna mistione degli opportuni balsami. Lege ibidem pag. 286. item pag. 477. usque ad pag. 483. Legatur integer Tom. II.

In alio opere inscripto: OSSERVAZIONI CRITICHE, e MORALI, hæc inter plurima alia habentur §. 4. pag. 26. Io vi assicuro da parte sua che egli (il P. Concina) venera la COMPAGNIA di GESU' per una delle più insigni Religioni, che adornino la Chiesa cattolica. Egli conosce il di lei merito incomparabile in ogni genere di letteratura, e di santità. Il grande vantaggio recato, e che alla giornata reca alla Chiesa con la educazione della gioventù sì nelle lettere, come nella pietà, le vittorie riportate contra le moderne eresie, il sangue di tanti Martiri, i sudori di tanti missionarij, lo splendore delle cattedre, lo zelo de' Pulpiti, la edificazione esemplare delle Corti: queste, ed altre luminose prerogative sono a lui note, ed a tempo opportuno le decanta. Sa, e conosce; anzi avvifa in più luoghi de' suoi tomi, che un corpo sì risplendente non può, nè dee ricevere macchia dagli sbagli di qualche privato. Tutto ciò ha egli più e più volte ne' suoi scritti

pro-

animi mei sensibus sincera fide expositis, & subiectis elogiis iam inde ab incepto certamine litterario in lucem emissis, & in hanc usque diem repetitis, quæque certamine erga venerabilem SOCIETATEM IESU pangam, cum Tertulliano exclamare iure ac merito valeo: *Exurge igitur veritas, & quasi de PATIENTIA erum-clamare iure ac merito valeo: Te esse monstra. Testor enim TE SANCTAM, INCREATAMQUE VERI-TA-*

protestato, e con la voce in ogn' incontro parla col medesimo linguaggio, come attestare lo possono tutti ed amici, e non amici, con cui parla. Perlochè nuovamente riconfermo, che se V. Riverenza avesse trascritta una sola parola da' suoi volumi, che gli fosse dalla penna caduta contra la immacolata fama della COMPAGNIA di GESU', non aspetterebbe a ritrattarla in punto di morte secondo il vostro vaticinio. Quando per sua disgrazia fosse caduto in simile mancamento, subito, subito vorrebbe egli adempiere le leggi e della giustizia, e della carità. Ma egli vi ha ad evidenza provato, che non solo non ha detta cosa veruna contra i Gesuiti; ma che ad opportuno incontro espressamente gli ha lodati. Vi ha dimostrato, che la confutazione delle opinioni de' privati non può da persona onesta, e di ragionevolezza fornita ascriverti, a maldicenza contra il comune de' Dottori della COMPAGNIA. V' ha dimostrato con S. Agostino Salm. xxxiii. *Ad quamcumque professionem te converteris, para te pati fictos: alioquin, si tenon paraveris, invenies quod non sperabas, & deficies, aut perturbaberis.*

In alio opere, quod hunc præfert titulum, ESAME THEOLOGICO, hæc præ aliis scripta sunt cap. III. num. 4. pag. 20. Che nella Religione celebre della COMPAGNIA vi sieno de' Gesuiti che conquistano la carne, e crocifiggano li appetiti con cilicj, digiuni, apostoliche missioni; che tutti comunemente i Gesuiti sieno Religiosi onesti, esemplari, morigerati; si concede, e si rafferma da tutti gli uomini dabbene. Item cap. vi. num. 17. pag. 78. Attaccarono (i Gianfenisti) la infallibilità de' sommi Pontefici. PRESERO DI MIRA UN SACRO ORDINE DE' PIU' COSPICUI, E TANTO BENE-MERITO DELLA CHIESA, ascrivendo al medesimo le opinioni troppo condiscendenti di alcuni privati. Che potevasi dire di più e in lode, e in difesa della INCLITA COMPAGNIA?

Lege Librum qui hunc præfert titulum, ESPLICAZIONE DI QUATTRO PARADOSI pag. 9. num. 11. ubi hæc in Societatis commendationem habentur. Innanzichè entrare in questa narrativa, debbo avvertire i miei cortesi Leggitori a non confondere gli errori, e trasporti di alcuni privati Gesuiti con la INSIGNE, E TANTO della Chiesa tutta BENEMERITA COMPAGNIA. Non v'ha Religione, non v'ha Comunità in questo mondo, dice Agostino, che non abbia *fictos suos*. I fatti, per altro pubblici, che io vo' narrarvi, sono veramente stupendi, e sorprendenti; ma non perciò debbono farvi scemare la stima, e la venerazione verso la ILLUSTRE SOCIETA'. Item pag. 65. La insignie COMPAGNIA di GESU' è una delle più insigni Religioni che illustri la Chiesa cattolica. Gli spirituali vantaggi che colle sue apostoliche missioni, scuole, confessioni, esercizi spirituali, consigli, direzioni, apporta al Cristianesimo, le acquistano giustamente una stima universale.

In Opere inscripto, DEFENSIO DECRETORUM CONCILII TRIDENTINI Tom. I. pag. 124. hæc in Societatis laudem scripsi. Opportuna quoque hic sese offert occasio retundendi calumniam mihi impactam, quod in dissertationibus meis super Historia Probabilismi, & Rigorismi præstantissimam lacefferim SOCIETATEM. Quæ sane calumnia eo mihi amarior est, quo maiore obsequio, & exultatione eandem SOCIETATEM prosequor, suspicioque. De eadem cum P. Vincentio Contentonio testari iure meritoque valeo. Ingratus audiam, si SOCIETATEM illam, de me optime meritam, corruptelaram amantem pronuntiem. In eadem prima litterarum tirocinia posui, nihilque unquam vidi quod morum integritatem non redoleret. Heinc est quod in laudata Probabilismi, & Rigorismi historia nunquam absque laudis præfatione eiusdem memini. Si aliquorum ex eadem SOCIETATE Theologorum laxas opinationes refutavi, tanta præstiti moderatione, ut nunquam, cuius Ordinis sint, paterecerim, eorumque piam excusavi intentionem. Quid

TATEM, me numquam sive adversus laudatam SOCIETATEM sive quempiam alium Ordinem personamve quidquam scripsisse; sed omnes litterarios meos conatus, quicumque illi sint, eo unice collineasse, ut errores, & æquo laxiores sententias everterem, labefactarem, exterminarem. Oppugnavi equidem, cum aliorum Ordinum, tum SOCIETATIS quorundam Auctorum opiniones, quas falsas reputavi, non ut homines carperem, vellicaremve; sed solum ut, perniciose opinandi methodo convulsa, veritatem pro modulo meo in tuto collocarem, & a cavillationibus assererem. Quamobrem illorum semper, quoad fieri potuit, lapsus excusavi: piam eisdem habuisse, sanctamque intentionem prospiciendi humanæ infirmitati, & reddendi viam salutis planiorem, testatus sum: & tandem privatorum hominum aberrationes non esse in Communitatem ipsam regerendas, semper admonui, atque inculcavi. Quid quod adversus molliorem Ethicem doctissimos, probatissimosque Iesuitas, Bellarminum, Toletum, Pallavicinum, Suarezium, Erenthrichium, Petavium, Elizaldam, Camargum, Comitolum, Antoine, Mnieffam, Gonzalez, aliosque istius SOCIETATIS eruditissimos viros in assertionum mearum patrocinium asciverim? Nihil tamen fecius SOCIETATIS amicus non vocor, nec reputor, quod eiusdem insigniores Theologos omni elogiorum genere extulerim; contra hostis maledicus audio, quod laxiores Casuistas refellerent: perinde ac si tantæ SOCIETATIS splendor a parvulo Casuistarum manipulo, sicut a strenuis invitisque sapientum Doctorum, qui omnes a me stant, copiis, quibus illa abundat, penderet. Quid plura? Illos omnes qui me SOCIETATI intentum, iniuria profecto summa, traducunt, deprecor, obtestorque, ut vel unam solam periodum minus eidem congruam, decoramque excerpant, obiciantque. Quandoquidem, si mihi incaute calamo quidpiam excidisset unquam minus officiosum in eandem SOCIETATEM, aut in alium sive Ordinem, sive hominem, illud aptiore, qua fieri poterit, ratione, me deleturum, atque revocaturum promitto. Omnia vero quæ fortassis scripsissem a veritatis, & modestiæ regulis, aliquo modo dissentanea, mihi deberent vitio verti; non in Ordinem meum, non in alios ullos, sed in me solum, & unice in caput meum contorquenda decerno ipse, atque protestor, antequam quisquam alius sententiam ferat. Verum habet, inquiunt, te frequentissime extollere merita, præconiis celebrare plurimum S. I. Theologorum doctrinam, eruditionem, morum sanctitatem; immo illorum ipsorum quorum refellis opiniones, laudare zelum, suspicere probitatem, piamque animi intentionem excusare. Sed artificiosa hæc omnia sunt, & exquisita calliditate dis-

posi-

Quid ergo est quod carpere, quod criminari iure valeant? Quid fanaticum improprium? Quid maledicta intorquent? Verum & hæc christiana fortitudine contemnenda sunt. Nec mirum in perampla SOCIETATE quosdam minus prudentes reperiri, si teste Augustino quæque professio suos habet fictos. Mihi sufficit conscientia mea, & Deus mihi testis est quod non mentior, me & corde, & ore, & scripto hanc præclaram de universa Ecclesia, & Republica litteraria in omni fere scientiarum genere optime meritam Religionem summa semper veneratione coluisse; æternumque colam: at non propterea, si Theologorum quorundam sententias, a saniore Ethica devias, offendero, refellere præmittam. Hæc obiter, [plura dicturus in loco. Legatur idem opus Tom. II. pag. 216. & seqq. item pag. 225. & seqq. ubi fuso calamo pro Bellarmino, atque adeo pro ipsius Societate, vel contra ipsos domesticos Scriptores, pugnatur.

Et, ne longior sim, legantur sequentia opera. DISCIPLINA Apostolico Monastica &c. COMMENTARIUS Theologicus in Rescriptum BENEDICTI XIV. &c. COMMENTARIUS Historico-Apologeticus &c. IN ENCYCLICAM BENEDICTI XIV. &c. CONTRACTUS TRINUS &c. EPISTOLÆ Theologica-Morales. ESPOSIZIONE DEL DOGMA della Chiesa cattolica &c. DISCIPLINA ANTICA, e MODERNA &c. Et post severam lectionem obiciant, si valent, vel unam vocem minus officiosam in SOCIETATEM IESU.

posita. Quorsum enim hæc tam sæpe repetita elogia? Ut favere immanius, ut furere liberius, ut armare severius in eorundem opiniones stilum tuum acutissimum valeas. Non verum modo hoc habet, sed verissimum etiam: Theologorum innocentiam, integritatem, rectam intentionem sæpe inculco. Cur? Ut scilicet eorundem, si quas falsas, perniciosasque opiniones deprehendo, liberius convellere, severius perstringere, & quoad possum exterminare penitus atque penitus valeam. Et hoc mihi piaculo vertitur? Quidquam ne hic aut maledicentiæ, aut invidentiæ olet? Quidquam ne hic quod cum Christi caritate pugnet? Quis eiusmodi scribendi rationem carpere iure potest? Quis, nisi communi sensu careat, inficias averit hanc disputandi methodum & prudentiæ, & honestati, & veritati, ut inquit Apostolus, caritati esse quam maxime consentaneam? An benigne tractandi errores sunt? An christiana caritas laxiores opiniones complectitur? Alterutrum ergo fateantur oppositores necessum est. Aut errores, & laxarum opinionum portenta esse caritatis evangelicæ argumentum, benignitatis unctioe liniendum; aut meam adversus errores, corruptamque Ethicem, scribendi formam æquam, veram, atque prudentem esse. Præterea. Omnium fere aliorum sacrorum Ordinum Theologos aliquos refutavi, eorum opiniones non paucas reieci. Et istorum nemo reclamavit? Nemo querimonias evulgavit? Cur hoc? Quænam tanti discriminis ratio? Tandem reponi unum posset, me probabiles sententias pro laxis opinionibus obrudere. Verum hac in hypothesi, non acrimoniæ, non mordacitatis, non caritatis violatæ, sed iniustitiæ, aut ignorantia reus arguendus tunc forem. Hoc hæctenus evincere minime potuerunt, non omisuri certe, si potuissent. Quapropter in hoc lapsi extremum sunt, ut me per celebri Societati insensum diffamaverint, quod non benigne, & blande, sed acriter, & severe laxas opiniunculas profligaverim, aut falsas, opportunitate data, deridendas propinaverim, prout asserendæ sanæ doctrinæ ratio magis postulabat. Nisi in tuto Casuistarum innocentiam collocarem, me illorum aggredi personas, animique intentionem vellicare inclamarent. E contrario, quia ipsorum intentionem in optimam partem interpreter, eorumque merita celebro, me hominem versutum, callidum, vafrumque scite appellant. Tantum præiudicata iudicia possunt. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini (a). Numquam sine hoste veritas.

I I.

At quod obsequium, & observantiam meam erga præclarissimam SOCIETATEM argumento invictissimo ostendit, est, me non nisi laceffitum, provocatum, & ad incitas redactum, atque alia prorsus cogitantem, ad certamen venisse, calamumque strinxisse, non in ipsam SOCIETATEM (quod absit) sed, ut scripta mea a quibusdam eiusdem Societatis Scriptoribus undique impetita, & denigrata vindicaret. Quid quod decem ferme voluminibus (quorum nec titulos commemoro, ne exprobrare quidquam videar) non tam in libros, quam in personam meam editis, nihil omnino reposui; sed filii, & obmutui: non quod respondendi materies deesset, verum ut paci, modestiæ, atque reverentiæ litarem. Quid quod in ultimo volumine contra citatam Historiam meam edito, hoc iugulum meum pugione percutit: Hi sunt errores P. Concina. Aut Reipublica litterarie faciat satis; aut silentio suo eosdem confiteatur. (b) Interim, ne responsa, quæ prælo a duobus annis parata sunt

(a) Matth. cap. xi. (b) Breve Elenco, e saggio d'alcuni de'molti abbagli notati nella Storia del Probabilissimo &c. del P. Concina, intorno ai quali dal medesimo si asserita

sunt, prodeant in lucem, nullum non vovent secreto lapidem. Quæ idcirco cursim subindicavi, ut cultus, officiique in SOCIETATEM monumenta exhiberem splendidiore. Quid igitur causæ est cur tamquam infestus eiusdem SOCIETATIS hostis traducar? Non alia sane, nisi quod aliqui adversarii mei, SOCIETATIS, cuius sunt filii, fama, existimatione, & amplissimis meritis, potentiaque freti, me de superiore loco, & veluti ex alto respectantes, non modo semetipsum, sed nec opinionem suam, tametsi non semper veritati consonas, vel leviter tangi patiuntur. Dedignantur illi tam humilem, imbecillum, & solum homuncionem experiri adversarium: & illo ipso tempore quo in celebriores Dominicanæ Religionis Theologos ea vulgarunt quæ orbi litterario nota sunt, crimini maximo mihi vertunt, quod hiscere audeam, & (quod vel asinæ Balaam licuit) exclamem: *Cur me ceditis?* Hanc veritatem mirum in modum confirmat sapientissimus Iesuita P. Ignatius de Camargo in opere Pontifici Max. CLEMENTI XI. nuncupato, inscriptoque, *Regula honestatis moralis*, ubi hæc scribit. (a) „ At video complures esse Probabilistas, sane DELICATISSIMOS, qui cum ipsi audacissime, non modo de nostra sententia, verum & de patronis ipsius quidvis loquantur, & scribant, benignam tamen suam opinionem vel LEVITER tangi non ferunt. Nos vero quomodo habituros putemus, quod audacter, ac fortiter contra illam agamus? Parum erit, si acerrime nos resellant, quin insuper reos pronuntient de violatis pontificiis decretis. . . . Quin vix prodeat in lucem liber ullus contra moralem laxam doctrinam, quem non statim deferant ad Fidei tribunalia, tamquam reum violati decreti pontificii. *Quo tendat vigor iste benignitatis, difficile non est divinare.* „ Cum itaque difficile non sit arcanum istud referare, paucis illud exponendum est. Quæ in errores, in sententias falsas, scandali plenas, malesonantes, piarumque aurium offensivas contorsimus, in SOCIETATEM IESU, in sacros Ordines, in Theologorum personas vibrata vociferantur: idque cuiuscumque status, & maxime altioris dignitatis summorum virorum auribus ingerere exquisita dexteritate student, atque conantur, ut nobis, ac libris nostris, atque splendidissimæ veritati extremam consentent invidiam, ultimumque parent exitium. Nec intelligunt, se hoc defensionis genere plus nocuenti, & dedecoris proprio afferre Instituto, quam extranei hostes omnes. Quoniam, dum a me laxiorem Ethicem consutari vident, illico me maledicta conicere in Iesuitas declamant. Quare etiam rogo obrestorque æquissimos omnes rerum æstimatores, ut serio, matureque perpendant, quo hæc privatorum quorundam mihi adversantium agendi ratio, ementitæ caritatis fuco illita, & splendidissimo SOCIETATIS tuendæ pallio exornata, tendat. Eo profecto (prout extrinsecus apparet) ut in hoc indulgentissimo sæculo, nemine repugnante, nec hiscere valente, laxior opinandi modus impune, libereque serpat, & grassetur; utque nemo in posterum a mollioris Ethicæ consecrariis saniorum vindicare doctrinam audeat, veritus ne calumpniæ notam, librorumque (ob violatam erga SOCIETATEM IESU caritatem) proscriptionem, & graviora mala incurrat, subeatque.

Verum ne hoc subdolo commentitiæ caritatis prætextu a propugnanda veritate, resellendisque laxioris doctrinæ portentis, quæ in dies prodeunt, abstergere nos ullo modo

ta o ingenua confessione di averli presi, ovvero prima che fu verun altro punto, soda confutazione di quanto a riguardo d'essi trovati nella presente opera. *Hæc P. Gaspar Ioseph Gagna sub initium sui operis inscripti* Lettere d'Eugenio Apologista &c. *Ad hæc, & cetera omnia quæ mihi iniuria summa imponit P. Gagna, iam respondi epistolis tribus, nondum tamen editis, quas si tranquillo animo legerit Gagna noster, nullus dubito quin & modestiam meam æqui bonique sit facturus, & suum laborem improbaturus.*
(a) *In Prologo pag. 28.*

modo queant; quam hætenus in scriptis nostris editis venerationem, obsequium, cultumque erga perillustrem SOCIETATEM IESU, aliosque sacros Ordines, privatosque Theologos testati sumus, sanctius, severiusque in edendis, Deo dante, excolimus, &, opportunitate data, uberius etiam (ut decet) amplificabimus. At simul contra omnes laxarum opinionum evulgatores, si a proposito non destiterint, sibi modo acri, modo mitiori, modo leporibus asperso, prout efficacius asserendæ veritati, & deridendæ falsitati conducere visum fuerit, quacumque terrena spe abscessa, omnique mundano timore spreto, calamum acuire constantissime pergemus. Neque dubitamus quin consilium hoc nostrum ipsismet SOCIETATIS IESU sapientissimis viris, pro eo quo integerrimæ christianæ Moralis tuendæ, propagandæque amore flagrant, & exterminandæ corruptionis Ethicæ, atque morum pravitatis eliminandæ zelo fervent, ratum habendum, probandumque sit. Porro, ne adversarii quidam uti præteritis artificii in posterum valeant, iure meritoque postulamus ne ulla ipsis adhibeatur fides, sed calumniatorum loco habeantur illi omnes qui absque authentico documento nos sive in præfatam SOCIETATEM IESU, sive in alios sacros Ordines, minus æquo obsequentes diffamaverint. Criminatoribus istis in memoriam redeat decretum quo anno 1694. summus Pontifex INNOCENTIUS XII. severissime prohibuit ne quisquam *vaga accusatione, & invidioso nomine LANSENISMI* traducatur, nisi de tanto crimine legitime constiterit. At si huic supremo mandato obsequi non pauci hætenus detrectarunt, sed pro libito, nulla, vel levissima suspicione præhabita, optimos Catholicos *lansenistas, Rigoristas, Tutoristas* appellare in dies non erubescunt: quanto minus sperandum nobis est ut ab inceptis adversus nos desistant? Verum, non ideo hoc nostrum edimus TESTIMONIUM, quo istorum ora obstruantur; sed ut observantiæ, obsequii, & venerationis nostræ erga celeberrimam SOCIETATEM IESU, ceterosque alios sacros Ordines publicum exhibeamus argumentum; omnesque etiam atque etiam intelligant, ac pro certo habeant, nos adversus vitia, falsitates, & errores, nullo autem modo, vel oblique, in quampiam sive communitatem, sive personam scripsisse, aut scripturos fore: quoniam cum S. Bernardo testari iure possumus. *Quæ in vestris laudabilia sunt, laudo, & prædico; si quæ reprehendenda sunt, ut emendantur, vobis, & aliis amicis meis suadere soleo. Hæc non est detractio, sed attractio.* (a)

Testimonio huic vix dum finem imposueram, cum ecce nuntius sane tristis mihi affertur, R. P. ÆGIDIUM GIULI præfatæ S. I. perinsignem Theologum, in Collegio Germanico sacrorum Canonum a pluribus lustris celeberrimum Professore, Congregationis examinis Episcoporum a secretis, diem extremum Romæ obiisse. Si, eo accepto nuntio, me acerbo tactum dolore negarem, profecto mentirer. Dolui enim vero, quod amiserim virum amicum, sincerum, constantem, prævalidum, qui ut amicitia iura custodiret, impletetque officia non labori, non incommodo parcebat, non vanis hominum respectibus detinebatur. Mutuæ istius, firmæque amicitia nostræ fœdus strinxit idem utriusque pro saniore doctrina asserenda studium, idem adversus laxiorem Ethicem labefactandam zelus. Cum periucunda amicitia colloquia miscebamus, sæpenumero controversiam quæ penes variæ professionis Theologos fervent, sermo recurrebat. Et tum ultro citroque hæc habebamus verba. Ideo ne diversa professi instituta sumus, ut sodalium nostrorum præiudicata systemata defendamus, etiamsi vera nobis haudquaquam appareant? Aut contra, ideo ne nobis vera videbuntur, quia a Scholis nostris adoptata illa fuerunt? Tam insipientes ne erimus, ut, non ad maiorem Dei gloriam, sed ad maiorem Ordinis factum tanta animorum contentione belligeremus? Facestant a nobis præstigia ista, nostrumque agamus negotium, atque meliora æmulemur charismata. Il-

(a) *Apol. ad Gall.*

lorum potius misereamur qui, ut proprius Ordo alteri præstet, suosque socios falsosque propugnet, perpetua foventque aluntque dissidia conatu irrito, & infelici. Huc frequenter collineabamus sermones nostros, quos idcirco palam facio, ut omnibus constet, in lytam SOCIETATEM doctissimis semper abundare Theologis, integerrimæ doctrinæ strenuis vindicibus. Neque in suspitione adduci quisquam iure valet, me amicitia, non veritati, dum hæc scribo, litare. Compertum quippe omnibus est, quanti & insignes Prælati, & amplissimi Cardinales, eruditique omnes, amicissimi viri fecerint & in consiliis prudentiam, & in controversiis cum theologis, tum canonicis dirimendis doctrinam, atque eruditionem. Sed quod ad immortalē P. ÆGIDII GIULI gloriam accedit, ipse sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. acerrimi in expendendis præclarorum virorum meritis iudicii, tanto illum in pretio habuit, ut non modo ad consilia frequenter adhiberet, verum magnis etiam exornare eiusdem merita præmiis voluerit, majora forsitan collaturus in tempore, si diutius vitam produxisset. Plura dicerem, nisi certo scirem, amicissimi viri acta, stilo longe cultiore ab iis celebranda fore quorum interest decora, & ornamenta Familiæ posterorum memoriæ consignare. Hæc pauca delibasse mihi sat est, ut aliquod grati animi erga defunctum amicum indicium perhiberem, & ut mæroris socium perillustri SOCIETATI me adiungerem, quæ ob tantæ Sodalis sui iacturam acerbioris mœstitiæ argumenta universæ Urbis Romæ uberrime patefecit.

C A P U T XIV.

A L L O Q U I U M

A D

CHRISTUM IESUM,

Q U I E S T

VIA, VERITAS, ET VITA, EXEMPLAR,
ET FORMA VIVENDI.

I. **VIAM** mandatorum tuorum, CHRISTE IESU, dum patefaciendam discipulis tuis aggredior, hominum inconsultissimus plane forem, nisi in primis ad TE, qui e maiestatis tuæ folio descendisti, ut per hanc viam, tamquam Magister, & Antesignanus, præires, lumen, quo vitare errores, auxilium, quo devincere impedimenta, patrocinium, quo obsistere adversantibus intrepide valeam, demisso ferventique animo imploraturus accederem. TU, Domine, via es non pedum gressibus peragenda, sed quam morum sanctitate imitemur. Via hæc tua flagellis, spinis, alapis, crucibus confrata est; felle, sputis, ludibriis aspersa: quæ maledictis, & calumniis, quæ insidiis, & persecutionibus circumsepta. Undique latrones, & hostes, undique laquei. In medio laqueorum ingrederis (a), idest in via Christi (ut exponit servus tuus (b) Augustinus.) Hinc laquei, & hinc laquei: laquei a dextris, & laquei a sinistris. Tu in medio laqueorum ingrederis, a via noli recedere. Extrema viæ huius vitanda clamant omnes, sed in designandis extremis istis dissident invicem,

(a) Eccl. ix. (b) In Psalm. cxli.

cem, plurimique fallunt, atque falluntur homines. Extrema hæc, quæ viam tuam obsident, sunt divitiæ, luxus, pompæ, dominandi libido, voluptatum illecebræ. Humanarum opinionum præstigia extrema hæc abscondunt, atque honestatis fucis, & benignitatis lenocinio eadem depingunt. Quodnam inter hæc extrema medium, cui insistendum, quodque tenendum uno ore fatentur omnes? Medium istud via tua est, Domine IESU, nempe divitiarum contemptio, mundi, dignitatum proculcatio, carnis compressio, ieiunia, preces, ludibria, cruce, spinæ, angustia, flagella, amor TUI, odium nostri, iustitia, sanctitas. Hæc via, inter præfata extrema, media, videlicet unica, est; a qua neque ad sinistram, neque ad dexteram declinare absque æterna iactura licet.

II. Sed hic homines furunt, obstrepunt, vociferantur, viam hanc imperviam esse, & peragratu impossibilem. Hoc primum aberrandi principium. Ex quo inferunt, aliqua tua præcepta vel ipsis iustis volentibus, & conantibus impossibilia esse. Hinc colligunt alii, perfectionis & consilii, non necessitatis, & præcepti viam istam esse. En Rigorismi, & Laxismi funesta extrema, en scopulos, & syrtes naufragii sempiterni. Nam alii desperatione oppressi, alii opinionum fucis decepti, via tua angusta & arcta relicta, turmatim perambulant latam, & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, ut scite servus tuus Augustinus animadvertit. Angustam viam vident hæc; latam viam vident illac. Hæc vident paucos, illac multos. Sed si iustus es, noli numerare; sed appende Noli numerare turbas hominum incedentes latas vias Noli illos attendere. Multi sunt, & quis numerat? Pauci autem per viam angustam Via lata mortifera est: latitudo eius delectat ad tempus; finis eius angustus in æternum. Sed turba strepunt, turba festinant Noli imitari, noli averti. Vanitates sunt, & insania mendaces. (a).

III. Voces congeminant turbæ hominum. Soli ne Monachi, solæ virgines, soli pauperes; non uxorati, non mercatores, non divites, non milites, non Principes viam tuam ambulant? At sublatis coniugiis, ubi virgines? Extincta mercatura, ubi societas? Si Principes, si iudices desint, corrui iustitia. Si tollantur milites, hostium præda fiunt servi tui. Hæc sunt, Domine, deliria hominum, quorum linguas compescunt, & ora obstruunt immensæ Sanctorum copiæ, quæ cuiusque status & conditionis, viam tuam peragrarunt. Obvii sunt Principes, Reges, & Iudices. Occurrunt divites, nupti, mercatores, servi, & domini, qui possederunt divitias tamquam non possidentes, usi sunt uxoribus tamquam non utentes, imperarunt tamquam servientes: qui sub purpura, & paludamento cilicia, & flagella adhibuerunt: qui sub folio humiles, in tribunali iusti, in toro casti, in aula sinceri, in bello mites, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigentes, viam tuam strenue alacriterque percurrerunt. Exulent ergo a schola tua & illorum deliria qui impossibile mandatorum tuorum aliquod effutiunt, & istorum somnia, qui viam hanc tuam non necessitatis, sed consilii comminiscuntur. In hoc turpiter errant blandiloqui homines, qui huc revocant universum fere Evangelium tuum, ac si TU, Domine, amplissimus in iis explicandis quæ meliora, & maioris sunt perfectionis, in iis vero quæ necessitatis sunt, modicus fuisses, & brevis. Verum audiant isti vocem tuam. Vos vocatis me Magister, & bene dicitis, sum etenim Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Amen dico vobis, non est servus maior domino suo (b). Quid ad hæc tota sapientia carnis? Arctam viam ambulat Dominus; latam vero percurreret servus? Iugum grave crucibus, & spinis ornatum portat Magister; discipuli vero iugo rosis, floribus, liliis referto, blanditiis, & voluptatibus illito incedent? Suave dixisti, Domine, iugum tuum, & leve onus. Sed quomodo suave, si iugum est crucis, &

(a) In Psalm. xxxix. (b) Ioan. xiii.

tribulationis? Quomodo leve, si iugum est carni, & sanguini repugnans? Quia, respondet Apostolus tuus Paulus, *momentaneum, & leve tribulationis nostræ, æternam gloriæ pondus operatur (a)*. Quia, subdit servus tuus Augustinus, *non est durum; & grave quod ille imperat qui adiuvat ut fiat quod imperat. . . Verum est quod ipse dixit, iugum meum suave est. Quidquid enim durum est in præceptis, ut sit lena, caritas facit. Quid respondi huic argumentationi tuæ universus dabit orbis, Christe IESU? Si ego Dominus, & Magister vester lavi pedes vestros; si regnum mundi, si dignitates, & omnia quæ mundi sunt, contempsi; si inimicos, & calumniatores amore persecutus sum; si denique arctam, & angustam viam toto vitæ curriculo peragravi: numquid vos similia agere non debetis? Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Nulla hinc evadendi latebra, nulla cavillandi ratio. Conticescat oportet tota mundi astutia. Via alia non occurrit portum assequendi. Qui TE non sequitur, Domine, ambulat in tenebris, & in tenebrarum abyssum corruet. TE vero sequi nemo potest, nisi patrem, matrem, fratres, & sorores, quin & semetipsum abneget, crucemque sibi imponat, a TE impostam libenter ferat. Hæc verba tua sunt. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me (b)*. Iterum clamitat humana prudentia. Quæ mihi similitudo cum Christo? Verbum ille divinum est, tamen carne indutum. Sic, Domine, arguitur humana infirmitas, cuius excusationes confundit Pater tuus æternus, qui *predestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (c)*. Quid? An non homo æque ac nos Petrus? qui dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. (d)* An non homo Paulus, iuxta ac nos? qui dixit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: (e)* & iterum: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi (f)*. Homines erant Apostoli, homines erant Prophetæ, homines erant Martyres, sicut & nos. Quid de feminis, de puellis dicam? Alterutrum ergo. Aut Christi premenda vestigia; aut æternum pereundum. Aut sequendus Christus per pressuras, per opprobria, per calumniarum tolerantiam, per crucem, per mortem, ut quo ille ivit, perveniamus & nos; aut, si per oppositam incedere viam deliberamus, æterna subeunda tormenta sunt. Hæc est tua argumentatio, Christe IESU. *Si ego Dominus & Magister &c. & vos debetis. Debitum, Domine, imponis, non consilium suggeris. Sed quid consilium recordor? An non scelus nefarium, nolle servos ire qua ivit dominus? Numquid servus maior est domino suo?**

VI. Si hæc vera sunt, ut certo sunt, qui ergo salvi fient? Pauci. Quis hoc definit? TU, Domine IESU, non semel, sed pluries: *Pauci vero electi*. Omnes redempturus venisti, omnesque salvos fieri sincere cupis, & vis, & auxilia, quibus venire ad salutis portum valeant, offers, & impertis. Sed plurimi nolunt, & nolentes salvari non salvas; qui tamen volunt, TU ipse facis ut velint. Pauci salvantur, Domine, quia pauci sunt qui ambulare arctam viam tuam velint. Et tamen TU dixisti; *Nemo venit ad Patrem, nisi per Me. TU autem solus via es, & quidem arcta, & angusta porta. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est que ducit ad perditionem, & MULTI sunt qui intrant per eam (g)*. Hic est omnis sermo, tremendus sane, & formidandus. Et quod pavorem, atque terrorem auget, est, quod oculis nostris impletum oraculum hoc tuum ipsi conspiciamus, dum immensam hominum multitudinem per latam & spatiosam viam inambulantes lugentes videmus. Quid plura? Tu ipse, Domine IESU, ut animadvertit servus tuus Chrysostomus, *(h)* non modo arctam viam, portamque angustam

(a) II. Corinth. IV. (b) Matth. XVI. (c) Rom. VIII. (d) I. Petr. II.
(e) I. Corinth. IV. (f) Ephes. V. (g) Matth. VII. (h) Hom. VI. in Epist. ad Thessal.

stam pronuntiasti; sed hominum loquendi rationem usurpans, veluti in admirationem ob formidandum arcanum raptus, exclamasti. *QUAM angusta porta, & arcta via est que ducit ad vitam, & PAUCI sunt qui inveniunt eam (a)* Exclamationem hanc tuam serio omnibus commeditandam, continuo, nullo interposito verbo consequitur: *Attendite a falsis Proprietis, qui ratiunculis humana mente excogitatis, qui opinionum lenociniis dilatare hanc portam, amplificare hanc viam contendunt, qui æque alios ac semetipsos in viam latam & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, coniciunt, atque detrudunt. Attendendum, cavendumque ab his omnibus TU admones. Dicam ergo cum servo tuo Augustino: Porro, si ipsum caput nostrum sine primo peracto labore in terra, in celo regnare noluit. . . quid audent membra sperare, capite suo magis se esse posse felicia? Quo processit, eamus; qua duxit, sequamur. Si enim a vestigio eius aberraverimus, perimus. (b)*.

V. VERITAS es, Domine IESU, nedum via. Magister es, & viam Dei in veritate doces. Nulla enim veritas a TE abesse potest, immo fulgere sine TE veritas nulla valet. Increata TU veritas es, & omnis creata veritas aut tota a TE est, aut tota veritas non est. Quidquid præter TE est, veritas non est; & a via tua longe falsitas exulat. Quæcumque nobis probabilia, aut probabiliora, aut evidentia apparent, si vera non sunt, extra viam tuam, extra TE sunt: atque adeo ad TE, qui veritas es, ducere nos nullo modo possunt. Via ergo salutis nostræ una, & sola veritate, quæ TU es, constat. Qui extra hanc veritatis viam ambulant, extra salutis viam divagantur. Quid? Via veritatis TU es, & inveniri fortasse non poteris? Heu, Domine, quam vanæ sunt cogitationes hominum? TU venisti quærere, & salvum facere quod perierat: & TE invenire non posse, clamare homines non reformidant? Inventus es, Domine IESU, a non quærentibus TE; & palam apparuisti iis qui TE non interrogabant. At non invenieris sane ab his qui vicos & plateas circumeunt, qui quæritant TE deliciis affluentem, rosis coronatum, divitiis redundantem, ludis, & spectaculis vacantem. Non inveniunt qui meditari TE, spiritus oblitum, alapis cæsum, spinis transfixum, paupertate pressum, cruci appensum recusant. Non inveniunt qui TE, unaque mundum quærunt; qui TIBI, & sæculo conformari, qui a TE salvari, & sibi super terram thesaurizare, qui TIBI, & mundo inservire, & duos habere dominos vellent, ut, dum TU illis non places, valeant contra TE cervices erigere.

VI. Qui dicunt, veritatem inveniri non posse, dicant quoque necesse est, TE inveniendum non fore. Et qui te non inveniunt, nec legem tuam agnoscunt. *Quoniam lex tua veritas. Omnia mandata tua possibilia sunt, quorum potissimum est inveniendæ veritatis præceptum, inquit servus tuus Augustinus. In præcepto est dilectio veritatis, cui contraria est dilectio vanitatis. (c)* Quod præceptum passim in Scripturis inculcasti. *Veritatem diligite (d)*. In mundum venisti, ut hac veritate nos imbueres. *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire (e)*. Electos tuos filios veritatis appellas. *Genuit nos verbo veritatis (f)*. Cognitione veritatis in libertatem spiritus nos asseruisti. *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos (g)*. Populo tuo hanc veritatem custodiendam tradidisti. *Gens iusta custodiens veritatem (h)*. In istius gentis ore veritas est. *Lex veritatis in ore eius (i)*. Et hanc veritatem manifestat populus tuus. *Notam faciet veritatem (k)*. Per hanc veritatis viam ambulant electi tui. *Ambulantes in veritate (l)*, Et iterum: *Viam veritatis elegi (m)*. Isti veritate sanctificantur. *Sanctificati in veritate (n)*. Parati

Conc. Theol. Tom. I.

f

hi

(a) Matth. VII. (b) In Psal. CXIX. (c) In Prolog. quæst. super. Genes.
(d) Zachar. VIII. (e) I. ad Tim. II. (f) Iacob. I. (g) Ioann. VIII.
(h) Isai. XXVI. (i) Malach. II. (k) Isa. XXVIII. (l) III. Reg. III.
(m) Psal. CXVIII. (n) I. Cor. V.

hi sunt ad pugnandum pro veritate. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate (a). Nulla alia est honestatis, & sanctitatis nostræ regula, nisi hæc veritas. In sanctitate veritatis (b). Veritas ista prærogativa est electorum tuorum; sicuti eiusdem privatio nota est reproborum. Veritate privati (c). Non est veritas in eis (d). Fidem isti denegant veritati. Non crediderunt veritati (e). Immo a veritate desciscunt. A veritate auditum avertent (f). Avertentes se a veritate (g). Resistunt veritati (h). Amore veritatis isti destituti sunt. Caritatem veritatis non receperunt (i). Non acquiescunt veritati (k). Hi veritatem nec loquuntur, nec per viam veritatis ambulant. Veritatem non loquuntur (l). Non ambulaverunt per semitas veritatis (m). Sed veritatem obsident, atque blasphemant. Veritatem in iniustitia detinent (n). Per quos via veritatis blasphematur (o). Illam opinionum pravitate in mendacium transformant. Commutaverunt veritatem Dei in mendacium (p). Veritatis tuæ ignoratio universæ iniquitatis origo est. Facta est veritas in oblivionem (q). Non est veritas in terra (r). Tempora enim mala sunt. Ideo tempus faciendi Domine: dissipaverunt legem tuam (s). Si enim lex tua veritas, veritate pulsa, pessumdata, lex iacet. Verbum tuum, ut a TE prolatum, æternum permanet, integrum, immaculatum, luculentum. At in ore hominum, nisi gratia tua impediatur, adulteratur, diminuitur. Quoniam diminuta sunt veritatis a filiis hominum (t). Cur diminuta, nisi quia minus quam par est custoditur? Sed Tu mandasti mandata tua custodiri NIMIS. Quid quod iterato inculcas: Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem TUAM NIMIS? Contra, clamat mundus, MINUS fat esse, ut lex tua cognoscatur. Si illud NIMIS tuum, meum esset, nimii rigoris me incusarent homines; sed quia tuum est, involvere illud verborum cavillationibus tentant. Vix meis prode verbis audeo sensa quibus aliqui legis tuæ professores TE, æque erroris inculpati, ac veritatis sanctæ, Magistrum referunt. At, cum TE, Christe IESU, remunerari errorem docent, erroris Magistrum TE necessario constituunt; quando vel ipsi Pharisei TE veritatis Magistrum acclamarunt. Quid? An TU præmio donabis id quod tuum non est? Absit. Errorem inculpatum, æque ac veritatem, istorum sententia, TU æternæ gloriæ laurea coronas. Ergo æque erroris ac veritatis Magister es. Hoc est, Domine, Probabilissimi confectarium necessarium, hostiliter pugnans cum veritate, & sanctitate tua. Isti ne NIMIS custodiunt legem tuam? NIMIS ne eidem student? Merito isti asserunt, inveniri haud posse veritatem tuam, qui non modo recusant NIMIS tuum, seu toto virium conatu veritatem inquirere; sed propugnant, maiori veritatis similitudine reiecta, licitum esse amplecti minorem. TU autem iterum atque iterum inclamas, NIMIS custodienda testimonia tua. Quam sint hæc duo MINUS hominum, & NIMIS tuum pugnantia, quis est qui non videat? Inire mutuum fœdus hæc duo nequeunt; sed qui eligunt MINUS probabile hominum, necessario, ut ego quidem arbitror, reiicere NIMIS tuum debent. At quis erit, Domine, qui eligat MINUS hominum,

(a) II. Cor. XIII.

(b) Epef. IV.

(c) I. Tim. VI.

(d) I. Machab. VII. (e) II. Thessal. II.

(f) II. Tim. IV. (g) Ad Tit. I.

(h) II. ad Tim. II. (i) II. Tessal. II.

(k) Rom. II. (l) Jerem. IX.

(m) Baruch. IV. (n) Rom. I.

(o) II. Petr. II. (p) Rom. I.

(q) Isai. LIX. (r) Osee IV.

(s) Psal. CXVIII. (t) Psal. XI.

num, ut respuat NIMIS tuum? Filii enim hominum mendaces sunt in stateris. Statera autem dolosa abominatio est apud TE. Quænam hæc statera dolosa? Respondet Propheta tuus Micheas: (a) Mensura MINOR ira plena. Appendant homines in hac MINORI probabilitatis mensura legem tuam. His ego numquam adhærebo, quoniam non est in ore eorum veritas; sed probabilitas, & quidem MINOR. Ad tuum ego NIMIS, seu ad plenam legis tuæ, quæ lex veritatis, & non probabilitatis est, observationem totum me recipio: quia beatus homo quem TU erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. (b)

VII. Ego sum vita. Non modo via, & veritas es, Domine IESU, verum etiam VITA. Via es, & veritas in hoc mundo: in altero non via, sed veritas, & vita. TU es vita æterna, quæ initio caret, & fine. TIBI, & nobis vita es. At fieri minime valet ut assequi hanc vitam tuam valeant qui per hanc viam tuam ambulare refugiunt. Arctam dixisti viam vitæ, angustam portam, & paucos ingressuros per eam. Hæc tria ita unum sunt, ut qui vult unum, & alterum velic necesse sit, sicut asserit servus tuus Augustinus. Intra per angustam portam, dicentem: Ego sum via. Per me intra. Non nisi per me ambules, ut intres per ianuam. Nam, sicut dixit, Ego sum via; ita, Ego sum ianua. Clamat ille qui factus est via: Intra per angustam portam (c).

VIII. Via ergo, veritas, & vita, exemplar, forma, ratioque vivendi TU es, Christe IESU. Populi rustici, inepti, idiotæ, barbari legi tuæ nunquam aures aperuissent, nisi TE, quæ verbo docebas, opere omnia perficientem spectassent. Sed quid idiotas, & barbaros dico? Cæciores erant ipsi mundi eruditiores, sapientioresque, quibus vel ipsum humilitatis, & abiectionis tuæ nomen inauditum erat. Voluptatum satellites, divitias perniciose appetebant populi; & TU pauper esse voluisti. Honoribus & imperiis inhiabant; Rex TU fieri noluisti. Carnis illecebris delectabantur illi; TU puritatem, immaculatamque castitatem servasti. Contumelias superbissime horrebant; TU omne contumeliarum genus sustinuisti. Iniurias arbitrabantur intolerabiles: quæ autem maior iniuria quam innocentem damnari? Dolores corporis execrabantur; TU flagellatus, atque cruciatus es. Mori metuebant; morte mulctatus es. Ignominiosum mortis genus crucem putabant; crucifixus es. Omnia quæ habere cupientes, non recte vivebamus, carendo vilia fecisti. Omnia quæ vitare cupientes, a studio deviamus veritatis, perpetuando gloriosa reddisti. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ TU contempsisti; aut declinantur quæ sustinuisti. Tota itaque vita tua in terris DISCIPLINA MORUM fuit. Hactenus totidem fere verbis servus tuus Augustinus (d). Verum TU TE voce Apostoli tui Pauli hæc omnia nobis denuntiasti. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut ego Christi: ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo IESU. Et iterum atque iterum clamat. Imitatores mei estote, fratres, & observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

IX. Hæc est, Rex cæli, & terræ, universa morum Theologia tua. Qui hanc solam callent, beati sunt, & Platone, atque tota Græca, & Romana, sapientia doctiores. Arcta est via quæ ducit ad vitam. Spatiosa quæ ducit ad perditionem. Huc

(a) Cap. VI.

(b) Psal. XCIII.

(c) In Psal. LVI.

(d) De ver. Religion. cap. XVI.

recidunt omnia : & hoc est quod pauci scire cupiunt , immo plures intelligere detrectant . Circumeunt civitates ut eos inveniant qui viam angustam dilatent : contra quos Paulus clamat : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis , anathema sit (a)* . Clamat alter servus tuus , *Si quis tibi persuadere conatur doctrinam laxam , tamen si miraculis eam confirmet , ei non credas (b)* . Ita uno ore exaltant voces servi tui , Domine . Contra alii vociferantur , paucos fore salvandos , si hæc arcta via sola sit per quam ad patriam pergere homines debeant , ac si TU non dixisses : *Pauci sunt qui intrant per eam* . Eo malorum laxior opinandi ratio nos pertraxit , ut nec vitia pati , nec remedia valeamus . Magistri benigni medicos imitantur , qui , dum infirmos gravi morbo correptos curant , sæpe numero ita ratiocinantur . Remedium efficax in promptu est expellendæ infirmitatis . At remedii acerbitem , & vim non ferunt ægroti vires . Idcirco blanda remedia applicant , non ut infirmos sanent , sed ut mortem in aliquot dies protrahant . Hac simili medendi ratione utuntur animarum medici blandiloquentes . Refrixit caritas , languent extenuatæ animarum vires . Succumbunt in itinere imbecilles animæ , nisi benigne tractentur , nisi , declinata itineris angustia , per latiores vias floribus rosisque aspersas deducantur . Ita ne vero ? Quasi TU , sapientissime IESU , ignorares ; quid humeri , quid vires hominum ferre , quid conari imbecillitas humana valeat . Ubinam evidentius apparet superba hominum temeritas ? Quis hominum agnovit efficacitatem divinæ gratiæ potentissimam , uberrimamque cælestium auxiliorum vim , qua omnia facilia , & suavia , nedum possibilia , nobis fiunt divina mandata tua ? Omnes servi tui , Domine , qui revera portant iugum legis tuæ , dulce , & suave illud experiuntur . Sed filii hominum adeo gravi corde sunt , ut vanitatem querant , & mendacium ad excusandas excusationes in peccatis suis . Hi soli imperviam asserunt viam tuam , & importabile iugum tuum quod , omni legum excusso iugo , carni & voluptatibus indulgent , quique ambulant vias laxissimas . Illi soli exaggerant nimis asperum iugum tuum quod , ut mundi mancipia , in vitiorum cæno volutantur . Numquam diabolus adeo furenter persecutus est Ecclesiam tuam , quam postquam opinionum lenociniis securitatem promissit ambulantiibus per invidia , & iniqua . *Multis modis persecutus est Ecclesiam diabolus , sed numquam gravius quam hodie : quia numquam fuit maior perditio Christianorum , quia numquam fuit liberior , aut securior transgressio divinatorum præceptorum . (c)*

X. Sed abeant tandem filii hominum post cognitiones suas , & omnes qui ad TE venire cupiunt , TE viam , veritatem , vitam , exemplum , & formam vivendi ante oculos habeant . In hoc exemplar oculos intenderunt omnes servi tui , & hanc arctam viam peragrarunt , & per hanc angustam portam ingressi sunt omnes Sancti tui . Te ergo sequi , TE imitari omnes debemus , si TECUM regnare velimus . Quævis imitatio , Domine IESU , ab exemplari deficit . In immensum autem imitationes nostræ a TE distant . Quidquid conemur , semper infinitum spatium erit inter TE præeuntem Duce[m] & strenuos sectatores . At non propterea a debito componendi vitam nostram , & reformandi mores nostros ad TUI exemplar liberi sumus : quia huc nos conferre studia , & conatus nostros TU iubet . In agone contenderunt omnes Sancti tui , manusque cum hostibus , cum tyrannis conferuere , TE duce , TE comite . Certandum ergo & nobis est , ac contendendum , quia nemo coronabitur , nisi qui legitime certaverit , neque socii consolationis erimus , nisi socii simus passionis . Si hæc desint , actum de negotio unico nostro est . *Quid*

pro-

(a) Gal. I.

(b) S. Ican. a Cruc. Lib. Sent. sentent. 72.

(c) S. Bernard. ser. de Past. in Synod. Congreg.

prodest homini , si universum mundum lucretur , anima vero sua detrimentum patiatur ? (a)

XI. Pauca hæc , si altius insculpta cordibus nostris essent , cuncta hominum superfluent scripta . Sed quoniam ita fert conditio nostra , ut tamdiu pravæ opinionones futuræ sint , quamdiu homines non deerunt ; idcirco non minus contra errores quam contra mores certandum est . Et in hoc præsertim certamine TU , Christe IESU , insigne exemplar nobis fuisti . Quæ non sustinuiti veritatis afferendæ causa ? Quæ non pertulerunt omnes servi tui ? *Inimicus vobis factus sum , verum dicens vobis (b)* . Quid itaque mirum , si eiere turbas , si commovere procellas , si concitare turbines , & tempestates incredibili versutia satagant mundi homines ? Propterea ne verendum mihi , desistendumque ab inceptis ? Deficerem tum continuo abs TE duce , & exemplari certandi in hoc agone . Irruant in me turmatim adversarii mei , clamentque durum esse sermonem meum , sicut durum dixerunt esse sermonem tuum : *Durus est hic sermo : non trepidabo a facie eorum* . Quoniam TU Domine Deus dixisti : *Scuto circumdabit te veritas eius : non timebis a timore nocturno* . Quæ verba sic interpretatur servus tuus Augustinus : *Tamquam scutum veritas eius est : quæ non ex uno , ut gladius , sed ex omni latere circumdat , & protegit* . Si alia mihi patrocinii tui argumenta deessent ; quæ hoc in certamine expertus sum , satis superque me certiorer facerent , TE patrocinante , vana esse hominum molimina , & machinationes : quæ vexare (TE sapienter sic disponente) hominem possunt , ut ad TUI exemplar informet ; at triumphare de veritate nequeunt . Maior enim veritas tua est quam ut quidquam contra illam , tametsi sagaces , & sæculi potentes , valeant . Tibi continenter canam : *Deus meus , sperabo in eum* . *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium , & a verbo aspero . Scapulis suis obumbrabit tibi* . Quæ verba servus tuus Augustinus non minus mirifice quam opportune sic interpretatur . *Ante pectus suum te ponet , ut alis suis te protegat : si modo agnoscas infirmitatem tuam , ut quasi pullus infirmus fugias sub alas matris , ne amittas rapiaris . Nilvi sunt aerea potestates . Raptare volunt infirmitatem . Fugiamus sub alas matris sapientie , non astutiæ , non humanæ sagacitatis , non potestatum humanarum* .

XII. Hoc mihi diu , noctuque meditandum , providendumque , ne aut vanæ contentionis causa , aut illudentis gloriolæ vento inflatus , aut mundanæ felicitatis spe allectus , cælestia tua dogmata & mandata suscipiam vindicanda . Serpit quippe sensim sine sensu subdolos , & tortuosissimus amor mei , & præstigia sua tanta struit vasritia , ut quid vitandum , quid amplectendum , nisi lux affulgeat tua , prorsus ignorem . Quoties enim , clementissime IESU , proprium commodum quæro eo ipso tempore quo mihi blandior , nihil aliud me in votis habere quam gloriam tuam ? Quoties præstigiator iste veritatem ipsam falsitatis colore depictam mihi refert , & falsitatem veritatis fucis illitam exhibet ? Quid quod non modo intus deceptiones insidiantur , sed foris quoque hostes usquequaque laqueos , pericula , ærumnas parant , ut a constanti legis tuæ defensione abducant ? Sed frustra hæc tenus , frustra imposterum , TE duce , & protectore .

XIII. Illud tandem est reliquum , Domine IESU , ut profunda animi demissione , ferventique corde opus istud augustissimo Maiestatis tuæ Throno sistam , ceu servitutis , cultusque mei leve tributum . Si quid in eo boni , si quid veri est , torum est tuum , quod a TE in me descendit , & ad TE iure regreditur . Duo a TE humillime oro , efflagitoque . Primum , ut immensa sapientiæ tuæ luce mentem illuminare meam , infinita caritate tua voluntatem inflammare , & divinæ forti-

Conc. Theol. Tom. I.


f 3

tudi-

(a) Luca IX.

(b) Ad Galat. IV.

tudinis spiritu animum confirmare meum velis; quo mens in legis tuæ germana interpretatione, pulsa opinionum pravitate, veritatem agnoscat; voluntas in boni persecutione, vitio reiecto, semper proficiat; animus in lege tua propugnanda mundi contemptum intrepide sustineat, nulloque modo hominum molimina reformidet. Alterum, ut lectorum meorum mentibus lucis tuæ radios infundere, & in eorum cordibus divini amoris tui flammam accendere digneris. Nisi enim TU, CLEMENTISSIME IESU, hæc præstes, vanum est scriptum meum, sterilis est lectio eorum. Si tua adsit gratia, sterilia nostra opera fecunda evadent, & tuis coronabuntur donis. TU es via, veritas, & vita, exemplar, & forma vivendi. Qui in TE vivit, vitam habet, & qui in TE non vivit, mortuus est, quamquam in se vivat, Fac itaque, Domine IESU, ut in TE, dum in hac lacrymarum valle peregrinamur a TE, vivamus quo TEGUM in patria regnaturi æternum sumus omnes. Amen.



DECLARATIO. ET SINCERA PROTESTATIO F. DANIELIS CONCINÆ

Super aliquibus oppositionibus factis contra Tomos suæ Theologiae Christianæ dogmatico-moralis recens typis editos.

CUM intellexerim magna cum molestia, nonneminem credidisse, & accusasse me, quasi in Christiana mea Theologia detraxerim multis piis, doctis, probatisque Scriptoribus, præsertim inclytæ Societatis Iesu, debeo omnino hac declaratione, & iustificatione lectores monere, & certos reddere, me numquam habuisse in animo ullam vel minimam iniuriam afferre adeo laudatæ Societati Iesu, de qua (ut in Testimonio præfationi in sexto significavi) semper ea qua par est reverentia scripsi, & locutus sum: quare si quis verbum in ea reperiret, aut loquendi formulam, aut quilibet aliud quod cum hac mea sententia pugnaret, id omne revoco, atque improbo. Equidem refutavi ut privatus Theologus aliquas opiniones nonnullorum Auctorum tam Societatis, quam aliorum Ordinum Regularium; verumtamen non aliud volui quam ipsas opiniones refellere, non autem infamare Auctores, quorum semper animum, atque intentionem excusavi. Et si quis agnoscit, me eas impugnando errasse, protestationem renovo quam feci in præfatione primi, & noni Voluminis, nempe meum qualecumque iudicium alterius sapienti iudicio submissurum. His præmissis venio ad referenda, quoad scio, oppositionum capita.

I.

Primum caput est, me tribuere sine fundamento nonnullis Societatis-Scriptoribus quasdam opiniones præter modum laxas: nempe sequentes, Tom. I. pag. 95. 1. edit. Patri Sanchez: *In praxi numquam, aut rarissime denegandam absolutionem ob doctrinæ christianæ ignorantiam, quia rustici ignorantes non habent commode doctorem, nec Confessor potest illos instruere: cum tamen dixerit: Confessor potest illos instruere.* Tomo II. pag. 4. Patri Moyæ, neminem obligari ex necessitate ad suum statum conservandum eleemosynam dare pauperibus, etiam si sint in extrema necessitate; cum tamen hæc opinio referatur dumtaxat, non sustineatur a Patre Moya. Ita etiam Tomo III. pag. 117. de voto non ludendi Patri la-Croix: *Si vovisti redimere iacturam temporis; cum dixerit, si voluisti; qua verbi mutatione doctrinæ a me tamquam huius Auctoris eo loco relatæ sensus mutatur.* Error in his tribus opinionibus ortus est, ut quisque iudicare potest, vel a vitio typographi, aut visus mei debilitate: a malitia voluntatis nullo modo.

Præterea cum tantum otii mihi non fuerit, ut semper singulos Casuistas consulere, & postquam unum aliquem principem, puta *Leandrum*, aut *Salmanticenses* consului, hos in ceteris citandis sim secutus, hinc ortum est ut perperam, non tamen voluntate, Auctores quarundam opinionum, quæ laxæ sunt, quosdam doctos Societatis Scriptores annumeraverim: nempe Tom. II. pag. 165. Patrem Sanchez pro opinione quæ dicit, licere duellum ad evitandum periculum vite, honoris, aut fortunatum: Tom. IV. pag. 408. eundem pro opinione, grave non esse peccatum,

aspectum membrorum turpium: pag. 444. Escobarium & Lessium pro parvitate materiæ in genere luxuriæ. Has omnes & quascumque alias laxas opiniones, quas quis reperiret in mea Theologia cuicumque Auctori non vere & immerito tributas, ut me nolente accidisset, ita protektor, publiceque declaro me revocare.

Equidem *Tom. III. pag. 390. & 436.* dixi, Patrem Tamburinum docuisse propositionem 15. de Iuramento a Ven. Innocentio XI. damnatam: ita enim ex eius verbis inferri existimavi: nihilominus, si cui nullius ponderis meum videbitur argumentum, hanc quoque revoco assertionem. Habeat etiam pondus, quo dignum est, scriptum in Bibliotheca Angelica repertum, editumque *Tom. IX. pag. 586.* vi cuius ibidem assero, Patrem Suarez probabilem existimasse sententiam de *Confessione inter absentes per epistolam*, damnatam a Clemente VIII. in quo iustæ aliorum criticæ me subiicio.

I I.

Secundum caput expressiones respicit quibus utor post relatas laxas opiniones, & aliquas notas, quas adiungo, eas appellans exempli causa *falsas, scandali plenas, erronea commenta, monstra, paradoxa immania, anti-evangelica* & contra decretum, ut mihi obiicitur, Innocentii XI.

Declamationes, & censuræ ad eas dumtaxat opiniones in quas, nisi fallor, cadere existimo, non item ad Auctores referendæ sunt. Quare si quis reperiret in mea Theologia censuram iniuste alicui opinioni tributam, aut investivam orationem, declamationem, aut expressionem, quæ aliquem offenderet Auctorem catholicum, revocatam habere volo.

Credidi autem, decretum Innocentii XI. comprehendens illas propositiones quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, intelligi de propositionibus quæ in Scholis catholicis libere disputantur; non autem de illis quas hic, vel alius privatus Doctor possit tueri. Quod si alia sit mens Ven. Pontificis, revocatum esse volo quidquid menti summi Pastoris contrarium iudicabitur. Atque huc spectare posse existimo quod ait Pater la-Croix Lib. I. num. 199. pag. 16. *Si quis tamen sententiam aliquam appellet improbabilem, vel levem, saltem in communiore sensu, non est censura . . . neque si appellet laxam in communiore sensu.*

I I I.

Tertium caput fundamentum habet in Indicibus verborum. Obiicitur mihi, artificiose esse compositos, eo quod Scriptores Societatis solum citantur tamquam auctores opinionum quas reiicio, non item earum quas probo; cum tamen pro his in corpore librorum eosdem Scriptores citaverim; e contra locus non est in Indicibus Scriptoribus Dominicanis, quos in corpore librorum quandoque citavi tamquam defensores laxarum opinionum.

Ingenue fateor, Indices a me non fuisse confectos: quare nihil mihi vitio dari potest. Video tamen in iis citatos esse summa cum laude Albertum de Albertis, Bellarminum, Cardenam, Columbiæ, Comitolum, Corneliolum a Lapide, Elizaldam, Emericum de Bonis, Pallavicinum, Suarez, Terillum, Auctores Societatis: contra vero parum honorifice Candidum, & Lopez Dominicanos. Nolo nihilominus defectus Indicium defendere: quare confiteor & confirmo, Scriptores Societatis, inter quos Sanchez, Lessium, Tamburinum, Vivam &c. pios esse, & doctos, multasque defendere veras opiniones, ut retuli in corpore, & in Indicibus suis locis indicari debebat: in quibus, si cui videtur ullam laxam opinionem alicui Scriptori falso tribui, is sciat, id me delendum esse putare.

IV.

I V.

Quartum caput est, me initio cuiusque tractatus *Elenchum propositionum præmittere*, quas *damnabiles* pronuntio: in quo mihi iudicium Ecclesiæ antevenisse opponitur.

Numquam fuit in animo Censoris tribunal erigere; sed solum ceu privatus Theologus meum proferre qualecumque iudicium, cum ita vestigiis insisterem gravissimorum Doctorum. Ita Francolinus in opusculo cui titulus, *Francolinus Vindicatus*, cap. secundo conficit elenchum propositionum ex operibus Merbesii, Iuvenini, & Genetti, quas afficit nota *Rigorismi*. Quod si quis hanc methodum improbaret, aut propositiones in numerum illarum quas *damnabiles* appello, immerito adscriptas reperiret, eas revocare, atque expungere paratus sum.

V.

Quintum caput est, me in toto cursu, vel opere meæ Theologiæ semper magno studio conatum esse ut Scriptores Societatis auctores apparerent damnatarum propositionum.

Puto tamen laudes quas merito tribui Ven. Cardinali Bellarmino, Toletio, Pallavicino &c. me satis defendere. Reieci equidem alienas opiniones quorundam Casuistarum; sed mens non fuit illos doctos, & pios Scriptores, quos valde veneror, quibusque usus sum in sententiis & doctrinis meæ Theologiæ, vituperare, sed, uti Theologi solent, refellere: & si quis demonstrabit me in iis impugnantis falsum esse, libenter errorem meum confitebor.

V I.

Sextum gravissimum caput est, contineri in mea Theologia res quæ probatis Scriptoribus gravi sunt iniuriæ. Tria adducuntur exempla. Primum est, quod loquens *Tom. II. pag. 139.* de secreta correctione in Evangelio præcepta, subicijam: *Qui contendunt, melius efficaciusve incolumem disciplinam evangelicam consistere, si, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur, hi profecto Evangelium corrigere, regulasque perfectionis, ac prudentiores præscribere velle videntur*: quasi hac doctrina Regulam Sancti Ignatii, quæ præscribit voluntariam renuntiationem correctionis fraternæ, vellicare voluerim.

Sed tamen huic difficultati ita immediate respondeo: *Hoc mihi difficultatem ingerit, nec ob id tamen improbo, si quid sapientes sanctique viri oppositum statuerunt; quin illis, utpote divino perfusi lumine, fasces submitto, & utroque pollice subscribo.* Qua responsione reiici credo factam accusationem. Ceterum profiteor venerationem quam habeo pro illa sancta Regula, quæ, ut nihil præscribit contra sanctum Evangelium, ita nequit aut in totum, aut ex parte, directe, vel indirecte oppugnari, ut iuste summi Pontifices præceperunt.

Alterum exemplum est in *Tom. II. pag. 104.* ubi defendens, Beneficiatis prohibitum esse iure divino testamentum facere in favorem consanguineorum, mihi que obiciens dispensationes quas interdum a summis Pontificibus obtinent, respondeo cum D. Bernardo: *Plura impertiantur Pontifices summi aut mendacio decepti, aut importunitate victi.* In qua responsione parva mihi obiicitur erga summos Pontifices reverentia.

Abstineat a me hæc impietas. Hoc responsum attuli, quia, posito quod Beneficiatis iure divino, & non iure tantum ecclesiastico prohibitum sit in favorem consanguineorum testamentum facere, nescivi responsionem meliorem invenire; quam si quis

quis parum reverentiæ erga summos Pontifices convenire iudicabit, relicio atque abominor.

Tertium exemplum est *Tom. VIII. pag. 390.* ubi assero, quandoque Moniales dotem & vitalitium earum quas recipiunt, exigentes committere peccatum simoniæ. Opponitur mihi hac doctrina sacram etiam me condemnare Congregationem, que talem concedens facultatem, dotis solutionem imponit. Iustissima est praxis sacre Congregationis: nam supponit Monasterium paupertate laborare: neque ferre omnia onera posse: quo titulo, ut præscribit Concilium Tridentinum, dotis imponit solutionem, quam, si contrarium evidenter constaret, non imposeret. Atque his limitibus intelligitur, quidquid ibi de simonia Monialium differui; in quo si quis errorem reperiet, revocare sum paratus.

VII.

In septimo capite obiicitur, me retulisse quidquid falso, & maledice contra illustrem Societatem scripsere Paschalis, Vendrochius, Henricus a Sancto Ignatio, & Vincentius Baronius, quorum omnium Scriptorum aliqua opera sunt damnata.

Certo tamen testari possum, me nullam ex his Auctoribus excrispisse sententiam; & si quisquam reperiat, eam me revocare sciat. Illud animadvertere volo, neque Montaltium, neque Vendrochium conscientie casus resolvere. Henrici a Sancto Ignatio me quasdam opiniones oppugnasse; Vincentium Baronium vix ac ne vix quidem legisse.

Ceterum si quid peccavi, si quid convicii, imposturæ, contumeliæ, aut cuiusvis alterius generis iniuriæ calamo meo, sane præter animum, excidit; ingenue retracto omnia, deleo, improbo, detestor.

F. Daniel Concina Ord. Præd.

I N D E X

C A P I T U M

P R Æ F A T I O N I S .

C A P T U I .

DE librorum moralium multitudine, & christiana Theologia dignitate. Pag. 1.

C A P U T II .

Ex tot Religionibus UNA est Salutis arca: & in tanta opinionum multitudine UNA est vera doctrina morum que ducit ad vitam. vii.

C A P U T III .

De stilo scribendæ THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ. xx.

C A P U T IV .

Quodnam stili genus in morum Theologia conscribenda adhibendum, pacatum ne & placidum, an acre & vehemens? xxj.

C A P U T V .

In Theologia christiana scribenda Prophetarum, & Apostolorum stili imitandus. Numquam Deus Prophetas, & Apostolos redarguit, quod aspero & severo, sed quod blando & dulci stilo legem suam interpretati sint, ne populorum plausum, & oblationes perderent. Veri Propheta aspera, pseudopropheta dulcia pollicentur. xxvj.

C A P U T VI .

Sancti Ecclesie Patres, & potissimum S. Thomas, stili adhibendi in Theologia christiana explicanda, & propugnanda veras notiones exhibent. xxxj.

C A P U T VII .

Postrema ætatis Sanctorum, piorumque Doctorum, Thomæ de Villanova, Bartholomæi de Martyribus, S. Caroli Borromæi, Baronii, Elizalde, Camargo, Alberti de Albertis exemplis confirmatur argumentum propositum. xxxvj.

C A P U T VIII .

Potissimum ætate nostra stili validi & vehementis usus necessarius, INNOCENTII XI. decreti, quo interdiciuntur censure, & nota in eas propositiones que inter Catholicos disputantur, germanus sensus. Quid æqui rerum arbitri in librorum lectione servare debeant. xl.

C A P U T IX.

Vindiciae sibi gravis, & [validi adversus corruptas opiniones a P. Alberto de Albertis adornata: Mollioris Ethices] patroni, non doctrinam sibi adversam, sed stilum dumtaxat incusare solent. xlviij.

C A U P T X.

PARADOXA, quae adversarii opponunt, labefactantur.

C A P U T XI.

Sinceritate summa exscribenda sunt Auctorum sententiae, libro, & pagina, unde decerpta sunt, indicatis: P. Francisci ZECH hac in re lapsus opportuna digressione emendatur. lviii.

C A P U T XII.

AUCTORIS MONITA AD LECTORES, quibus potissimum sanctarum Scripturarum studium inculcatur, & quorundam Casuistarum lectio dissuadetur. lxiv.

C A P U T XIII.

TESTIMONIUM AUCTORIS PRO INGLTA SOCIETATE IESU. lxxj.

C A P U T XIV.

ALLOQUIUM AD CHRISTUM IESUM, QUI EST VIA, VERITAS, ET VITA, EXEMPLAR, & FORMA VIVENDI. lxxvij.

C A P U T XV.

Declaratio, & sincera protestatio F. Danielis Concina super aliquibus oppositionibus factis contra Tomos suae Theologiae Christianae dogmatico-moralis recens typis editos. lxxxvj.

I N D E X

Librorum, dissertationum, capitum, paragraphorum, & quaestionum, quae in hoc Tomo continentur.

PROLEGOMENON I.

I N D E C A L O G U M .

De Atheismo, & Polytheismo.

P R A E L O Q U I U M .

Pag. 1.

C A P U T I .

De Atheismo. Varia Atheorum genera. Fuerintne aliqui veri Athei, valde incertum. Sententia negans verior. 2.

C A P U T II.

De Polytheismo. Polytheismi notio, eiusdemque origo, & diversa genera. 3.

C A P U T III.

De Polytheismo Iudaeorum. Varia idololatria Iudaicae genera. Quid in deserto adoraverint Iudaei. 6.

C A P U T IV.

Rationes proponuntur, quae Deum esse ostendunt. 8.

C A P U T V.

Alio dilemmate urgentur Athei, & Deista. 11.

C A P U T VI.

Rationes populares omnium mentibus accommodatae proponuntur, quae Deum esse evincunt. 12.

C A P U T VII.

Scripturae sacrae, & Patrum sententiis eadem veritas illustratur. 15.

C A P U T VIII.

Demonstratur unum esse Deum confessionum ipsorum Gentilium, tum Patrum, & ratione. 17.

C A P U T IX.

Causae cur scelesti in Atheismum prolabantur. Haec confirmant Religionis veritatem. 19.

C A P U T X.

Quaedam Paganorum obiectiones solvuntur. 21.

C A P U T XI.

Consectaria, in quibus Dei notiones, & quae viam ad illius cognitionem sternunt, indicantur. 23.

PROLEGOMENON II.

in quo

Erroris adversus Decalogum recensentur. Eiusdem generalis quaedam notitia praemittitur.

C A P U T I .

Lutherus negat Decalogum pertinere ad Christianos. Iansenius negat omnia Dei praecepta esse possibilea, gratiamque qua possibilea fiant. 25.

C A P U T II.

Notio Decalogi, eiusque distributio. 27.

C A P U T III.

Quomodo principia generalia iuris naturalis, ut bonum est faciendum, malumque declinandum &c. item praecepta dilectionis Dei, & proximi, fidei, spei, & caritatis, aliaque iuris naturalis mandata in Decalogo contineantur. 28.

C A P U T IV.

Primum Decalogi praeceptum duplex: affirmans, & negans. Momenta quae ad coalescendum

dum Deum inducere debent, recensentur
Cur impii neque confiteantur Deum, neque
amare conentur, rursus indicatur. 31.

C A P U T V.

Præceptorum Decalogi obligatio gravis est.
Dispensationi obnoxia minime sunt præcepta
isthæc. 32.

L I B E R P R I M U S.

I N D E C A L O G U M.

D I S S E R T A T I O I.

De Fide.

C A P U T I.

Recensentur propositiones damnata ab Ecclesia
in materia fidei quæ mores regit. 37.

C A P U T II.

Propositiones quorundam Casuistarum quæ ni-
mium laxæ videntur. 39.

C A P U T III.

Multiplex fidei acceptio: eiusdem vera notio,
divisio, atque obiectum, conditionesque il-
lud comitantes. 40.

C A P U T IV.

Fides ad salutem necessaria non est peculiaris
certaque fiducia, qua quis credat sibi esse
remissa peccata, vel se ad æternam beati-
tudinem esse prædestinatum. 41.

C A P U T V.

Quæ fide theologica credenda ab Ecclesia pro-
ponuntur, evidenter credibilia sunt. 44.

C A P U T VI.

Inter religiones quæ Christi Evangelium pro-
fitemur, sola catholica Romana Pontifici
obediens evidenter credibilis apparet. 48.

C A P U T VII.

Pia voluntatis affectio fidem præcedere debet.
Fidei ad salutem necessitas explicatur. 56.

C A P U T VIII.

De obiecto materiali fidei, seu de articulis
quorum fides necessaria est necessitate me-
dii. 58.

Quæst. I. An possit sufficientem Evangelii præ-
dicationem per accidens contingere possit
quod aliquis Christi fide tantum implicita
iustificetur? 62.

Quæst. II. An homini ignorantæ mysteria In-
carnationis, & Trinitatis neganda sit
solutio sacramentalis? 64.

C A P U T IX.

De Symboli, seu fidei articulis. 65.

C A P U T X.

De fidei christiana præceptis. 69.

§. I.

Christiana fidei capita quæ adulti omnes scire
necessitate præcepti astringuntur. ibid.

Quæst. I. Quid credere tenentur fideles adulti
vè illorum articulorum quæ ad Divinitatem
pertinent, quantum ad substantiam? ib.

Quæst. II. An necesse sit explicite credere
Spiritus sanctum & Patre, Filioque proce-
dere? 70.

Quæst. III. Quid scire fideles debeant de
articulis qui ad Christi attinent humanita-
tem, ut dicantur eos scire quantum ad sub-
stantiam? ib.

Quæst. IV. Utrum fideles teneantur vè præ-
cepti credere explicite Deiparam perpetuo
mansisse virginem? ib.

Quæst. V. Tenentur ne fideles credere Christum
passum esse sub Pontio Pilato? ibid.

Quæst. VI. Astringuntur ne fideles explicite
credere Christum descendisse ad inferos,
& Sanctorum communionem? ib.

Quæst. VII. Tenentur ne fideles credere ex-
plicitè necessitate præcepti mysteria Circum-
cisionis, Presentationis in templo, Ad-
ventus Spiritus sancti, aliarumque festi-
vitarum quæ solemnè ritu in Ecclesia cele-
brantur? ib.

§. II.

Summa eorum quæ credere fideles debent, ut
divinam spem concipiant, honeste vivant,
& salutem æternam consequantur. 71.

Quæst. VIII. Fieri ne potest ut homo rudis
salvetur, quamquam nihil speciatim cre-
dat,

dat, dummodo generatim, & implicite
credat quicquid credit sancta mater Ecce-
lesia? ibid.

Quæst. IX. An si quis adeo obtuso, & hebeti
ingenio sit, ut symboli articulos percipere
neque quantum ad substantiam valeat, im-
munis a culpa sit, & præcepto fidei satis-
faciat, si aliquos clariores, quos assequi-
tur, explicite credat, ceteros vero implicite,
credens quicquid Ecclesia proponit? 72.

Quæst. X. Utrum Christianorum quispiam pro-
babilis, seu, ut dicitur, invincibili igno-
rantia omnium articulorum fidei teneri possit
ibid.

Quæst. XI. An satisfaciant fidei præcepto
fideles qui symbolum, decem Decalogi præ-
cepta, orationem, dominicam, & angelicam
latine tantum discunt, dum sunt lingue la-
tine ignari? ib.

Quæst. XII. Utrum sub mortali fideles adul-
ti scire, vel addiscere teneantur septem
sacramenta? 73.

Quæst. XIII. An omnes fideles eadem my-
steriorum fidei notitia instructi sint oporteat
ib.

Quæst. XIV. Divinum ne, an ecclesiasticum
sit præceptum quo urgentur fideles ad res
fidei sciendas? 74.

§. III.

Nonnullæ regulæ quas in praxi præ oculis ha-
bere Confessarii debent in hac materia. 75.

C A P U T XI.

De præcepto fidei interna. Quenam sufficiens
fidei propositio dicatur, ut præceptum obliget?
Explicantur requisita necessaria ad sufficien-
tem propositionem. 77.

Quæst. I. Quenam sint requisita ad prudentem
assensum, qui exhibetur propter huma-
nam auctoritatem? 78.

Quæst. II. Omnia requisita ad prudentem assen-
sum reperiuntur ne in assensu fidei catholi-
cæ? ib.

Quæst. III. Quando sufficenter proposita
pueris dicenda sit catholica fides? ib.

Quæst. IV. Quando infidelibus sufficien-
ter proposita dicenda sit catholica fides? 79.

Quæst. V. Tenetur ne infidelis suam sectam,
quam probabilem iudicat, abiurare, &
religionem catholicam, quam probabiliorum
censet, amplecti? ib.

Quæst. VI. Tenentur ne pueri inter Catholicos
enutriti actum interiore fidei elicere, cum
primum illis rationis lumen affulget? 81.

Quæst. VII. Quando adultos hoc præce-

ptum per se obliget ad eliciendos fidei ac-
tus? 82.

Quæst. VIII. Utrum semel in anno per se
teneantur exercere aliquem actum fidei? ib.

Quæst. IX. An hoc præceptum obliget per
se in articulo mortis, & quando urget
gravis tentatio contra fidem? 83.

Quæst. X. Quando per accidens fidei præ-
ceptum obliget? 84.

C A P U T XII.

De præcepto adfirmante divino fidei exterius
confitende. 85.

Quæst. I. Quando præceptum divinum con-
fitende exterius catholica fidei obliget? ib.

Quæst. II. Hac externa confessio fidei est ne
actus virtutis fidei? ib.

Quæst. III. Qui interrogatur de fide catholi-
ca, peccat ne, si taceat? 86.

Quæst. IV. Fidelis rogatus a persona privata
de sua fide in odium eiusdem fidei, te-
netur ne respondere? 87.

Quæst. V. Fidelis astringitur ne respondere
superiori catholico de fide interroganti? ib.

Quæst. VI. Catholicus videns sacras imagines
conteri, Crucifixum contumeliis affici, re-
netur ne fidem suam proderet, sacrasque
imagines a contemptoribus vindicare? ibid.

Quæst. VII. Licetum ne aliquando sit ty-
rannum fugere, ut coactio ad confitendam
fidem vitetur? ibid.

Quæst. VIII. Episcopi, Parochi, alique
Pastores curam habentes animarum, tene-
ntur ne cum vita propria periculo ovis sibi
concreditus assistere, & ante tyrannum,
si opus fuerit, se sistere? 88.

C A P U T XIII.

De præcepto adfirmativo ecclesiastico fidei ex-
terius confitende, & de iis qui huic præ-
cepto obnoxii sunt. 89.

Quæst. I. Tenentur ne omnes curam ani-
marum habentes fidei professionem palam
edere? ib.

Quæst. II. Præfate constitutiones obligant ne
sub mortali? ibid.

Quæst. III. Beneficiati curam animarum ha-
bentes tenentur ne intra bimestre a die pa-
cificæ possessionis, fidei professionem emit-
tere in manibus Episcopi, aut eius Vicarii,
vel Officialis? ibid.

Quæst. IV. Beneficarii, vel Canonici, qui
infra bimestre a die possessionis pacificæ pro-
fessionem non ediderunt propria culpa, fa-
ciunt ne fructus suos, ita ut non teneantur
ante

ante iudicis sententiam in conscientia restituere eisdem fructus? 90.
 Quæst. V. Patriarchæ, Archiepiscopi, Primates, Episcopi sunt ne legi præfata obnoxii? 91.
 Quæst. VI. Prælati regulares tenentur ne ad hanc fidei professionem? ibid.
 Quæst. VII. Doctores, Lectores, & cuiusque liberalis artis professores, qui in publicis gymnasiis docent, astringuntur ne fidei professionem emittere? ibid.
 Quæst. VIII. Fieri ne per procuratorem eiusmodi fidei professio valet? 92.

CAPUT XIV.

De precepto fidei negativo, & de eiusdem transgressionibus. 93.
 Quæst. I. Negaret ne fidem qui negaret se esse Christianum, aut Papistam? 94.
 Quæst. II. Negaret ne fidem qui rogatus Turca ne sit, an Lutheranus, adfirmaret? ib.
 Quæst. III. Peccaret ne contra fidem qui negaret se esse Clericum, Sacerdotem, Religiosum? ibid.
 Quæst. IV. Licitum ne est vitandæ mortis causa adolere thus idolo, genuflectere, aliaque similia religionis signa exhibere, dummodo illibata in corde fides servetur? ibid.
 Quæst. V. Est ne licitum falsæ religionis cæremônias usurpare, non qua tales, sed ob finem honestum, puta circumcissionem poenitentia causa? 95.
 Quæst. VI. Licitum ne est Catholico vestibus, signisque propriis infidelium, suam fidem occultare? 95.
 Quæst. VII. Licitum ne est propriam occultare fidem infidelium vestibus per se institutis ad falsæ sectæ protestationem? ib.
 Quæst. VIII. Licitum ne est iis uti vestibus que instituta sunt ad discernendos unius sectæ homines ab alia, ut sunt apud Turcas robalia alba, apud Iudæos pilei flavi, vel rubri? 96.
 Quæst. IX. Licite ne ingredi infidelium, Iudeorum, & hereticorum templa Catholici valent? 98.
 Quæst. X. Quid, si Princeps hereticus præciperet ut Catholici suæ ditioni subiecti hereticorum templa frequentarent religionis causa? ib.
 Quæst. XI. Extrema urgente necessitate licitum ne est hereticorum templa adire ad suscipiendum baptismum, aut poenitentia sacramentum, ministris catholicis deficientibus? 99.

Quæst. XII. Licitum ne est comedere cibos idolis consecratos? ibid.
 Quæst. XIII. Catholici per regiones hereticorum peragrantes possunt ne diebus vetinis carnes manducare, ut evitent vitæ, aut alterius gravis damni periculum? 100.
 Quæst. XIV. Negaverunt ne fidem Christiani tertii sæculi, qui libellatici dicebantur? ib.

CAPUT XV.

De precepto confitendæ doctrina que mores regit, & appetitiones moderatur. Graviter peccant non modo ii qui fidei mysteria, verum etiam ii qui morum præcepta publice coram Catholicis fateri erubescunt. 101.

DISSERTATIO II.

De infidelitate, eiusque variis speciebus.

CAPUT I.

Varia infidelitatis acceptatio. Tres sunt eiusdem species, paganismus, iudaismus, & heresis. 103.

CAPUT II.

Quid iuris Ecclesia, & Principes christiani habeant circa tolerandos suis in ditionibus paganos, Iudæos, & hereticos? 104.

CAPUT III.

De Ecclesia, ac Principum christianorum potestate in infideles sibi non subditos. 106.
 Quæst. I. Possit ne Ecclesia aut seipsa immediate, aut Principum christianorum ope infideles sibi temporaliter non subditos ad fidem suscipiendam cogere? ib.
 Quæst. II. Potest ne Ecclesia infideles non subditos cogere ad audiendam fidem, seu Evangelium? ib.
 Quæst. III. Potest ne Ecclesia infideles subditos ad audiendum Evangelium cogere? ib.
 Quæst. IV. Potest ne Ecclesia iure illos compescere infideles, sive subditos, sive non subditos, qui evangelicæ fidei prædicationem impediunt? 107.
 Quæst. I. Licitum ne Ecclesia est Prædicationes suos mittere militibus, armisque stipatos? ib.
 Quæst. VI. Potest ne Ecclesia infideles Principes sibi non subditos privare dominio, & iurisdictione in vassallos, servosque Christianos? 108.

Quæst.

Quæst. VII. Infideles acquirere ne valent novam iurisdictionem in Catholicos? ib.
 Quæst. VIII. Infideles christianis Principibus subditi possunt ne habere servos, ancillasque christianas? ib.
 Quæst. IX. Potest ne Ecclesia infideles privare domino quo potiuntur in Christianos? ib.
 Quæst. X. Habet ne Ecclesia potestatem indirectam in Principes infideles? ib.
 Quæst. XI. Valet ne Ecclesia cogere infideles non subditos, ut errores iuri nature infestos deponant, bellumque eisdem indicere, si renuant? 109.
 Quæst. XII. Principes christiani valent ne Turcas armis impetere, peculiaribus causis sublatis, ob hoc solum quod hostes iurati sint Christianorum? 110.

CAPUT IV.

De communicatione fidelium cum infidelibus. 111.
 Quæst. I. Licitum ne Christianis est vendere infidelibus ea que eorum sacrificiis, & vane religionis ritibus inserviunt? ib.
 Quæst. II. Licet ne admittere infideles ad sacramentorum participationem? ib.
 Quæst. III. Quot sunt casus in quibus Ecclesia decreto vetita Christianis est communicatio cum infidelibus? ib.

CAPUT V.

De heresi, & apostasia a fide. 113.
 Quæst. I. In quo sita sit pertinacia ad heresim necessaria? ib.
 Quæst. II. Utrum propositio fidei catholice contraria ab ignorante prolata, heretica dicenda sit, quamvis qui illam profert, hereticus non habeatur? 114.
 Quæst. III. Quid de eo sentiendum est qui exterius tantum fidem negat? ib.
 Quæst. IV. Utrum dubius in fide hereticus habendus sit? 115.
 Quæst. V. Sit ne hereticus qui privata revelationi divinæ dissentit, aut qui propositionem theologiam proxime ex propositione de fide deductam negat? 117.
 Quæst. VI. Est ne pertinax, & hereticus qui Episcopo proponenti res fidei non assentitur, existimans se Ecclesie non contradicere? ib.
 Quæst. VII. Effet ne formaliter hereticus catechumenus qui aliquos fidei articulos negaret? 119.
 Quæst. VIII. Quid sit apostasia, & an specie differat ab heresi? 120.

Conc. Theol. Tom. I.

Quæst. IX. Princeps propter apostasiam a fide amittit ne dominium in subditos? ib.

CAPUT VI.

Quotuplex sit heresis, & que pœna. 121.

CAPUT VII.

De iis qui excommunicationi in hereticos lata obnoxii sunt. 123.
 Quæst. I. Hereticus internus simulque externus, occultus tamen, subiacet ne excommunicationi in hereticos lata? 124.
 Quæst. II. Quænam verba & signa requiruntur, ut heresis exterius manifestata dicatur? ib.
 Quæst. III. Verba æquivoca sunt ne apta ita manifestare heresim internam, ut hereticus externus evadat, & excommunicationem incurrat qui istiusmodi verbis suam patefaceret heresim? ib.
 Quæst. IV. Qui consulens virum doctum, aut in sacramentali confessione suam internam heresim patefacit, incidit ne in heresim externam? 125.
 Quæst. V. Effet ne hereticus externus qui heresim mente sola conceptam in somniis illam proderet, si experientia præcedente didicit illam se manifestaturum, nullamque adhibuit diligentiam ad illam occultandam? ib.

CAPUT VIII.

De excommunicatione lata in credentes, fautores, receptatores, & defensores hereticorum, deque communicatione cum iisdem. 126.
 Quæst. I. Qui dicantur hereticis credentes? ib.
 Quæst. II. Qui sint hereticorum fautores? ib.
 Quæst. III. Qui dicantur hereticorum receptatores, & defensores? 127.

CAPUT IX.

Quinam Catholicorum cum infidelibus, & hereticis licite disputare de rebus divine fidei valeant? 128.
 Quæst. I. Veritum ne laicis est publicam cum hereticis disputationem habere? ib.
 Quæst. II. Laudatum decretum vetat ne laicis tum doctis, tum indoctis disputationem cum hereticis? ib.
 Quæst. III. Nomine laicorum intelliguntur ne Religiosi, qui laici, conversi, donati, aliisque vocibus appellari solent? 130.
 Quæst. IV. Quibus Clericis licitum est de rebus fidei publice, aut privatim disputare? ib.

g

C A-

CAPUT X.

- De libris hereticorum prohibitis in Bulla Coenae. ib.
- Quaest. I. Qui legit concionem heretici, orationem, epistolam, breuemque disputationem hereses continentem, incurrit ne excommunicationem? 131.
- Quaest. II. Datur ne materia parvitas quae legentem hereticorum libros ab excommunicatione excuset? 132.
- Quaest. III. Incurrit ne excommunicationem qui legit librum heretici qui nec de religione tractet, nec heresim contineat? ib.
- Quaest. IV. Quae ignorantia excusat legentes hereticorum libros? ib.
- Quaest. V. Incurrit ne excommunicationem qui alium legentem audit? ib.
- Quaest. VI. Contingere ne potest ut quis libros hereticorum legere licite valeat absque expressa licentia? 133.
- Quaest. VII. Qui licentiam habent a summo Pontifice, seu Congregatione S. Officii legendi libros hereticorum, peccant ne, si absque necessitate illos legant? ib.
- Quaest. VIII. Quid dicendum de illis qui libros retinent hereticorum? ibid.
- Quaest. IX. Quid de impressoribus dicendum? ib.
- Quaest. X. Haec Bulla Coenae est ne ubique recepta? ib.
- Quaest. XI. Praeter prohibitionem latam in Bulla Coenae est ne alia lex adversus libros hereticorum, aliorumque Scriptorum lata? ib.
- Quaest. XII. Qui libri prohibiti sunt in Indice Tridentino, seu Romano, & sub qua poena? 134.
- Quaest. XIII. Sunt ne alia librorum prohibitorum genera? ib.
- Quaest. XIV. Libri Catholicorum prohibiti in uno, sunt ne in alio odiomate vetiti? ib.

CAPUT XI.

- De librorum impressione, de superiorum licentia, de eorumdem librorum Censoribus. 135.
- Quaest. I. Regulares qui libros quovis typis edunt cum approbatione Ordinarii, seu Inquisitoris iuxta morem patrie in qua libri eduntur, subiecti ne sunt poenis a Tridentino, seu a Regula Indicis latis, si Praetorum suorum Ordinum approbationem impetrare omittant? 136.
- Quaest. II. Quid hac de re constitutiones Ord. Praed. decernunt? ib.
- Quaest. III. Constitutiones Regularium quas poenas infligunt librorum editoribus, ommissa Ordinis approbatione? 137.

- Quaest. IV. Peccaret ne Regularis qui scripta sua seculari traderet imprimenda cum licentia Ordinarii sub eiusdem secularis proprio veroque nomine? ib.
- Quaest. V. Peccaret ne qui approbato, & subscripto manuscripto aliqua adiceret? 138.
- Quaest. VI. Censura quam infligit Tridentinum, & Regula Indicis, est ne reservata alicui? ib.
- Quaest. VII. Quo devinciuntur onere Superiores in facultatis concessione pro libris edendis? ib.
- Quaest. VIII. Quid si Regularis, petita licentia a suo Superiore, & ob iniustam causam non obtenta, librum ederet? ib.
- Quaest. IX. Quenam esse debent Censurum prerogativa? 139.

CAPUT XII.

Stulta est persuasio tum Politicorum asserentium quemquam in sua religione, tum hereticorum docentium omnes in propria secta christiana, dummodo credant articulos fundamentales Evangelii, salvari posse. ib.

CAPUT XIII.

Extra Catholico-Romanam Ecclesiam nulla datur salus. Laxa Casuistarum Busenbaum, Caramuelis, La-Croix, Sporer, & aliorum opinio reicitur. 142.

CAPUT XIV.

Confectaria, quae suadent virtutis fidei exercitium, illudque dirigunt. 152.

DISSERTATIO III.

De spe virtute theologica.

PRAELOQUIUM. 154.

CAPUT I.

Recensentur propositiones ab Ecclesia proscriptae, quae spem theologiam impetebant. 155.

CAPUT II.

- Spei notio, obiectum, subiectum, praecipuum, & tempus quo urget obligatio. 158.
- Quaest. I. Quodnam sit obiectum spei? 159.
- Quaest. II. Est ne spes virtus a caritate distincta? ib.

Quaest.

CAPUT II.

- Quaest. III. Est ne in beatis, damnatis, & hereticis spes christiana? ib.
- Quaest. IV. Est ne in solis Catholicis, & animabus purgatorii spes theologica? 160.
- Quaest. V. In qua hominis facultate habitus spei residet? ib.
- Quaest. VI. Datur ne spei praecipuum? ib.
- Quaest. VII. Quo tempore urget huius mandati observatio? ib.
- Quaest. VIII. Obligat ne per se hoc praecipuum, quoties gravis tentatio animum pulsatur contra spem? 161.
- Quaest. IX. Quodnam discrimen est inter obligationem per se, & per accidens? ib.
- Quaest. X. Quam certitudinem secum affert spes theologica? ib.

CAPUT III.

- De dono timoris. 162.
- Quaest. I. Timor mundanus prodit ne honestatem quampiam? ib.
- Quaest. II. Honestus ne est timor servilis? 163.
- Quaest. III. Quinam timor donum est Spiritus sancti? 164.
- Quaest. IV. Datur ne timoris praecipuum? 165.
- Quaest. V. Praecipuum istud est ne peculiare, & quo tempore obligat? ib.

CAPUT IV.

- De vitiis spei oppositis, nempe desperatione, & presumptione. ib.
- Quaest. I. Est ne semper heresi coniuncta desperatio? ib.
- Quaest. II. Licite ne desperaret ille cui facta de propria damnatione esset revelatio? 166.

CAPUT V.

Confectaria, quae spei, ac timoris exercitium suadent, & praxim dirigunt. 167.

DISSERTATIO IV.

De caritate.

PRAELOQUIUM. 170.

CAPUT I.

Census propositionum quae praecipuum caritatis theologicae labefactant, quasque Pontifices summi proscriptere. ib.

Inventarium propositionum quae nimium laxae videntur, quasque nonnulli recentiores Casuistae docuere. 172.

CAPUT III.

- Caritatis theologicae notio, & obiectum. 177.
- Quaest. I. Quodnam sit obiectum caritatis theologicae? 178.
- Quaest. II. Quodnam sit caritatis obiectum formale? ib.

CAPUT IV.

Prerogativa caritatis theologicae. ib.

CAPUT V.

De praecipuo caritatis. Recentiorum opiniones. Vera sententia exponitur. 180.

CAPUT VI.

- Qualitas amoris quem praecipuum imponit. Distinctio amoris appetitivi, & intensivi a recentioribus Theologis in sensu minus recto accepta. Amor necessarius ad implendum praecipuum, non solum appetitivus, sed & intensivus sit necessum est. 185.
- Quaest. I. Praecipuum diligendi Deum iubet ne amorem supernaturalem, an naturalem? 186.
- Quaest. II. Diligendus ne Deus: vi praecipii super omnia non solum appetitivus, sed etiam intensivus? ibid.
- Quaest. III. An peccatum sit patrem, & matrem diligere plusquam Deum? 187.
- Quaest. IV. Peccat ne mortaliter contra hoc praecipuum qui deliberate desiderat in hoc mundo vitam perpetuo degere? 191.

CAPUT VII.

- Tempora quibus divinum mandatum Dei diligendi obligationem imponit, designantur. Potissimum in primo rationalis vitae momento hoc urget mandatum. 192.
- Quaest. I. Obligat ne praecipuum istud per se aliquo determinatio tempore? ibid.
- Quaest. II. Satis ne est semel in vita actum amoris Dei elicere? ib.
- Quaest. III. Praecipuum caritatis obligat ne per se semel tantum singulis quinquenniis? ib.

§ 2

Quaest.

Quaest. IV. Obligat ne per se hoc praeceptum diligendi Deum in primo instanti usus rationis? 193.

CAPUT VIII.

Quam aspera, & rigida sit recentiorum sententia. Legis evangelicae mandata difficilia in se, caritatis amore suavita fiunt. Alia tempora frequentioris obligationis designantur. 201.

CAPUT IX.

Frequentandorum actuum divina caritatis debitum. Tempora quibus potissimum praeceptum urget ad istorum actuum exercitium. 204. Quaest. I. Frequenter ne ad actus amoris Dei obligat mandatum divinum caritatis? ib. Quaest. II. In quo sita est frequentia ista actus amoris erga Deum repetendi? 206. Quaest. III. Satisfacit ne huic praecepto qui semel in anno Deum diligit? 207. Quaest. IV. Singulis ne diebus festis urget hoc amoris mandatum? ib.

CAPUT X.

Quomodo Catholici sive iusti, sive peccatores implent, violantque caritatis praeceptum. 209.

§. I.

Omnia iustorum opera sunt aut meritoria, aut demeritoria. ib.

§. II.

Iustus lapsus in peccatum mortale, illico ne caritatis actum elicere, & se in Deum convertere astringitur? 213.

CAPUT XI.

Caritas forma est ceterarum virtutum. Nullius virtutis actus meritorius est vitæ aeternae absque caritatis influxu. 221.

Quaest. I. Alia virtutes distincte a caritate mereri ne vitam aeternam valent sine influxu caritatis? 222.

Quaest. II. Actibus aliarum virtutum imperatis a caritate respondet ne meritum peculiare distinctum a merito ipsius caritatis? 224.

CAPUT XII.

Praecepto caritatis astringimur omnia opera nostra in Deum dirigere. Quomodo hoc mandatum affirmans sit, & negans. ib.

CAPUT XIII.

Sunt ne omnia opera quae absque caritate, aut gratia fiant, peccata? Infidelium morales virtutes discutuntur. 226.

§. I.

Examinatur propositio damnata ab Innocentio XI. Comedere & bibere usque ad satiætem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. 227.

§. II.

Sunt ne omnia infidelium opera peccata proprie dicta? 230.

§. III.

Sine gratia sanctificante potest homo aliquod opus morale ordinis non tantum naturalis, sed etiam supernaturalis, virtute gratiae actualis perficere. 232.

§. IV.

Sine gratia actuali speciali potest homo in statu hoc naturæ lapsæ aliquod bonum opus morale ordinis naturalis peragere. 233.

§. V.

Quae sit hac de re D. Thomæ mens. Illius vera doctrina a vanis commentis asseritur. 235.

§. VI.

Rationum momenti evincitur, hominem in statu naturæ lapsæ viribus pollere quibus sine speciali gratia valeat bonum aliquod morale ordinis naturalis efficere. 241.

§. VII.

Scripturarum auctoritates quae obiici solent, explicantur. 242.

§. VIII.

nosmetipsos. Regula servanda in dilectione proximi. ib.

CAPUT V.

§. VIII.

Testimonia quae ex D. Augustino, vel ex ratione obiiciuntur, in vero sensu exposita. 243.

CAPUT XIV.

Confectaria, quae dulce caritatis exercitium suadent: & regulae pro praxi. 247.

DISSERTATIO V.

De caritate proximi.

CAPUT I.

Recensentur propositiones damnatae contra caritatem proximi. 252.

CAPUT II.

Recensentur propositiones laxiores, adversus caritatem proximi quas nonnulli Doctores docuerunt. 253.

CAPUT III.

Praecepto divino iubemur proximum actu interno diligere. 254.

Quaest. I. Praeceptum istud obligat ne ut peculiaribus actibus internis proximum diligamus? 255.

Quaest. II. Actus quo diligere iubemur proximum, debet ne esse distinctus ab actu amoris quo Deum diligimus? 256.

Quaest. III. Obligat ne per se hoc praeceptum ad proximi dilectionem? ib.

Quaest. IV. Praeceptum istud quo iubemur per se proximum in communi amore interno & formali prosequi, frequenter ne obligat? 257.

Quaest. V. Quoties praeceptum istud obligat per accidens? ibid.

Quaest. VI. Quid significat praeceptum urgere ad proximi dilectionem in particulari quantum ad promptitudinem animi? 258.

Quaest. VII. Utrum teneamur elicere actum dilectionis erga proximum, quoties vi praecepti astringimur elemosynam illi impertire, vel errantem corrigere? ib.

CAPUT IV.

Quomodo diligere proximum debemus sicut

Ordo in caritate servandus. Varia quaestiones solvuntur. 262.

Quaest. I. An quisque seipsum magis quam proximum diligere debeat? 263.

Quaest. II. Tenetur ne homo propriam vitam corporalem magis diligere quam vitam corporalem proximi? ib.

Quaest. III. Licitum ne est propriam vitam periculo proximo mortis exponere pro vita privata proximi qui ad promovendam Dei gloriam aptior sit? ib.

Quaest. IV. Duobus in extrema necessitate constitutis, potest ne alter alteri panem cedere, aut equum, ut fugiat mortem, quam ipse pedes evadere nequit; aut tabulam occupatam, ut se naufragio liberet? 266.

Quaest. V. Iuste damnatus ut fame pereat, posset ne respicere cibum sibi clam oblatum? ib.

Quaest. VI. Licitum ne est pro amici honore, fama, bonisque vitam mortis periculo exponere? ib.

Quaest. VII. Tenemur ne cum vitæ, bonorumque temporalium iactura succurrere extremæ necessitati spirituali proximi? 267.

Quaest. VIII. Teneris ne tui defensionem negligere, ne invasorem occidas gravis culpæ reum? ib.

Quaest. IX. Obstetrices quae invalide plures pueros baptizant, tenentur ne cum mortis periculo illorum saluti providere? ibid.

Quaest. X. Mater gravida ad partum omnino impotens, tenetur ne sectionem ventris pati, ut clausus in ventre puer baptizetur? 268.

Quaest. XI. Si spiritualis proximi necessitas gravis tantum fuerit, astringeris ne cum vitæ periculo eidem succurrere? ib.

Quaest. XII. Ut saluti spirituali proximorum consulas, potes ne te probabili periculo peccandi exponere? 269.

Quaest. XIII. Licitum ne est velle privationem gratiae, seu caritatis sive in perpetuum, sive ad tempus ob aliorum salutem? ib.

Quaest. XIV. Licet ne velle carere beatitudine in perpetuum, aut ad tempus ob proximorum salutem aeternam? 270.

Quaest. XV. Licita ne est ommissio bonorum spiritualium huius vitæ, quae hominem efficiunt meliorem, quibusque sine peccato carere possumus, ob proximorum salutem? ibid.

Quaest.

Quæst. XVI. Qui sunt in dilectione præferendi? ib.

C A P U T VI.

De inimicorum dilectione. Quid in veteri lege Deus, quid in nova Christus præcipiat. 271.

§. I.

Quocumque tempore tum legis natura, tum legis scripta dilectio inimicorum vè præcepti necessaria fuit. ib.

§. II.

In Evangelio præceptum haberi iubens inimicorum dilectionem, de fide est. 273.

C A P U T VII.

Confectaria, & regula servanda in dilectione inimicorum. 274.

Quæst. I. Quid imponit præceptum ut affirmans est, quid vetat ut negans? 275.

Quæst. II. In quo situs est, & quid comprehendit hic affectus quo diligere inimicum debemus? ib.

Quæst. III. Licitum ne est excludere inimicos a generali dilectione, seu oratione facta pro communitate aliqua ex mera liberalitate? ib.

Quæst. IV. Quænam benevolentia signa inimicis exhibenda? ib.

Quæst. V. Urget ne præceptum salutandi inimicum obviam occurrentem, illum alloquendi &c. 276.

Quæst. VI. Licitum ne aliquando est inimicum non salutare? ib.

Quæst. VII. Duo Religiosi eiusdem Cœnobii, orta rixa, omittunt consuetam salutationem, & locutionem: peccant ne mortaliter? 277.

Quæst. VIII. Nobilis matrona occisorem ma-

riti salutantem resalutare veniens, peccat ne mortaliter? ib.

Quæst. IX. Offensus, dum salutatio debita est, tenetur ne inimicum offensorem officio prevenire? ib.

Quæst. X. Peccat ne mortaliter qui inimicum salutantem non resalutat? ib.

Quæst. XI. Offensori non petenti pacem tenetur ne offensus signa dilectionis exhibere? 278.

Quæst. XII. Præceptum diligendi inimicos urget ne eisdem præbere singularia benevolentia signa? ib.

Quæst. XIII. Hæc specialia amoris officia licite ne suspendi possunt ob acceptam iniuriam, vel cum opportuna iudicantur ad inimicum lucrandum? ib.

Quæst. XIV. Qui aliquem iniuste lesit, tenetur ne ventiam ab eo petere, illique reconciliari? 279.

Quæst. XV. Quisnam servandus modus in hac venia petitione, & mutua reconciliatione? ibid.

Quæst. XVI. Tenetur ne offensus condonare offensam, non solum quantum ad odium, verum etiam quantum ad satisfactionem, iustamque compensationem? ib.

Quæst. XVII. Cum offensor exhibeat iustam compensationem damni illati, licet ne offenso, hac reiecta, coram iudice hanc compensationem exigere? ib.

C A P U T VIII.

Licitum ne aliquando est de malo proximi levari, aut eidem malum optare? 280.

Quæst. unic. Licitum ne est peccatoribus, & inimicis malum optare? 284.

C A P U T IX.

Confectaria quæ proximis suadent, & dirigunt. 285.

NOS FR. ANTONINUS BREMOND

Sacrae Theologiae Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

CUM, uti nobis exponitur, R. P. Lector Fr. Daniel Concina Congregationis nostræ B. Iacobi Salomonii Venetiarum Opus cui titulus Theologia Christiana Dogmatico-Moralis &c. componere paratus sit, præloque subiicere desideret; Nos harum serie, nostrique officii auctoritate, quantum in nobis est, & servatis alias servandis, paterne indulgemus, dummodo a RR. PP. Vincentio Patuzzi, & Antonino Valsechi sacrae Theologiae Lectoribus præfatæ nostræ Congregationis luce dignum iudicetur, eorumque censorio in scriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in nostro Conv. S. Mariæ sup. Min. die 15. Iulii 1748.

Fr. Antoninus Bremond Magister Ordinis

Reg. fol. 88.

Fr. Ioseph Maunon Magister Prov. Terræ sanctæ, & Socius:

APPROBATIONES

THEOLOGORUM ORDINIS.

EX commissione Reverendissimi Patris Antonini Bermond Magistri Generalis Ord. Præd. attente perlegi Opus P. F. Danielis Concina in scriptum *Theologia Christiana* &c. Quo quidem in Opere non modo nihil inveni, quod aut bonis moribus, aut orthodoxæ fidei dissentaneum sit; sed omnia deprehendi ad sanioris doctrinæ regulas exacta, & ex purioribus hausta christianæ Theologiæ fontibus, sacra nempe Scriptura, Patrum sententiis, Conciliorum decretis, summorumque Pontificum constitutionibus. Quare cum eo morum disciplina iuvare plurimum possit, ac nimia multarum opinionum laxitas cohiberi, luce publica dignissimum censeo.

Venetiis in Collegio sanctissimi Rosarii die 20. Decembris 1748.

F. Ioannes Vincentius Patuzzi Ord. Præd. in eodem Collegio
Sacrae Theologiæ Lector Primarius.

Quod bonis cordatisque omnibus in votis erat, ductum tandem ad umbilicum est F. Danielis Concina Viri celeberrimi opus *Theologia Christiana* &c. in scriptum. Iussu Reverendissimi P. Antonini Bermond Ord. Præd. Generalis Magistri illud evolvi, & lubentissime: visus siquidem mihi sum deprehendisse sanctoris Ethices monumentum, quod non modo ætatem feret, sed contra invidiæ blandientisque laxitatis molimina æternum stabit, statore Deo, cuius *lex*, quæ *veritas* est, nullis terrenæ prudentiæ fucis, nullis *probabilisticæ* novitatis technis foedata, libera, simplex, ingenua, e purissimis Scripturarum ac Patrum Augustini præsertim, & Thomæ fontibus hausta hic asseritur, exponitur, vindicatur. Quod igitur felix, faustumque sit, ac toti Christianæ Reipublicæ bene vertat, Opus elaboratissimum lucem adspiciat.

Censebam Venetiis in Collegio SS. Rosarii idibus Februarii anno 1749.

Frat. Antoninus Valsechi O. P. S. Theologiæ Professor.

PROLEGOMENA

IN DECALOGUM.

PRÆLOQUIUM.



Gyptiorum captivitate solutus Israeliticus populus, reductum, Deo iubente, Moysese duce, in Palæstinam maturavit, immensa miraculorum multitudine stipatus. Sinai desertum ingressus, cursum sistit e regione montis ad cuius verticem Moyses ascendit ut Domini verba audiat. Hoc primum omnium in mandatis a Deo Moyses habuit, videlicet ut induceret filios Jacob & Israel ad commeditanda prodigia quæ in Ægypto operatus est, quidque Ægyptiis fecerit ut e servitutis iugo in libertatem eos assereret, & quomodo super aquilarum alas illos deduxerit. Deinceps adpromisit, se populum istum delecturum fore in regale sacerdotium, in gentem sanctam, dummodo pactum mutuo ineundum custodierit. Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus: Exod. xix. vers. 8. Tum Dominus legem se velle rogare suam Moysi revelavit: & ut populus ad tantum beneficium digne recipiendum sese compararet, iussus est externas vestium sordes abluere, animas sanctitate ornare, sensus comprimere, ab uxoribus abstinere. Sanctifica illos hodie, & creas, laventque vestimenta sua. . . Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris: ibid. vers. 10. & 15. His peractis, montis cacumen caligine obductum ardere, fumumque emittere visum est: hinc resonare tonitrua, micare fulgura; buccinasque clangere, Deum & Moysen invicem colloqui. Promulgandæ legi præfationem brevissimam anteponebat, in qua seipsum existere, supremumque dominium in universum orbem habere, atque innumera beneficia populo collata palam facit. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis: Exod. xx. vers. 2. Confestim vero primum mandatum imponit. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea: ibid. vers. 3. & seq. Divinæ Providentiæ ordinem paullulum meditemur, amice Lector, ut ad illum, quoad fieri potest, nos conformemus. Si animas sanctificari, ipsaque corpora purgari Deus iussit, quo ad suscipiendam legem populus dignus evaderet; qua nos convenit animi integritate ad eisdem legis interpretationem accedere? Quo enim sublimius est interpretandæ divinæ legis munus, quam sit sola illius executio; eo quoque maior necessaria nobis est & animæ sanctitas, & mentis acumen, ut germana eiusdem sensa, veramque intelligentiam referare populo valeamus. Perspecta ergo nobis cum sit & mentis nostræ hebetudo, & animi imbecillitas, & conscientiæ vitiositas; illud superest ut supplices preces Deo fundamus, quo suo divino lumine tenebras nostras dissipet, suaque efficacissima gratia animæ crimina abstergat. Porro ut interpretatio nostra ipsi legi, quantum per nos licet, respondeat, antequam præceptorum explanationem

aggrediamur, quam Deus suae legi praefationem praemittit, explicemus oportet. Praeloquium quod primum Decalogi praecipuum antecedit, paucis concluditur verbis, quibus seipsum mundi Dominum Deus declarat. Methodus quam nobis in hac configenda Theologia praestituimus, postulat ut errores cuique dogmatis adversantes ob oculos referamus. Inter errores autem quos hominum impietas contra Deum innoxit, omnium immanissimus ille est qui Deum negat, omnemque eiicit Divinitatem. Error iste *Atheismus* nuncupatur. Quoniam vero universae sapientiae nostrae summa duabus veluti partibus constat, Dei nempe cognitione, & nostrum; idcirco in id totis nervis incumbere debemus ut supremi Numinis primum, deinde nostrum cognitionem assequamur, non quamcumque, sed quam valemus clariorem, certiore, firmiterque. Hanc vero notitiam ut facilius nanciscamur, errores in antecessum recensebimus qui aut Deum de suo throno detrudunt, aut plura numina in eodem solio collocant. Atheismum ergo, Deismum, & Polytheismum maiori qua potero brevitate describam. Deinceps momenta quae Deum, eiusque unitatem evincunt, palam faciam. Haec omnia non utilia modo, verum etiam necessaria sunt Theologo, qui morum integritate, ac religione populum imbuere debet. Non me latet, moralis Theologiae tractatores silentio haec argumenta praeterire, ea persuasionem praeventos, quod ad solos Theologos Polemicos, aut Dogmaticos pertineant: quae praecipua quam abludat a vero, nemo non videt. Siquidem potissimum ac unicum munus Theologi moralis est populorum animas sanctificare, & ad aeternam perducere beatitudinem. Hoc autem fieri nequit, nisi prima Religionis capita explicentur. Religionis vero notitia qui haberi potest, si Deus ignoretur? An ne Religionis strenuus defensor ille foret qui Deum suum existere, ac ejusdem, quibus ornatur, praerogativas demonstrare nesciret? Nemo ergo antiquis praecipua occupatus existimet nos definitos transilire terminos, dum haec omnia versamus. Verum ne plus iusto in limine haeremus, ad rem accedendum est.

C A P U T I.

D E A T H E I S M O.

Varia Atheorum genera. Fuerintne aliqui veri Athei, valde incertum. Sententia negans verior.

Atheus nomen grecum est, quod sine Deo significat. Prima Atheorum divisio duo comprehendit genera: unum mentis, alterum cordis. Rursum Athei mentis in varia tribuntur genera. Quatuor numerantur a Vossio *Lib. I. de orig. idololatriae*. Unum eorum est qui eo furoris, & dementiae prolabantur, ut existiment saltem ad tempus Deum non esse. Secundum eorum qui Deum confidentes, illum non colunt, ejusque providentiam negant; aut si colunt, illum colunt ob solam naturae praestantiam, non quod ab eo gratiam, operumve expectent. Tertium est illorum qui aiunt Deum de procerum rebus laborare, minutas vero humillorum negligere. Protergo in genere illi collocantur qui Deum istius tantum, secus futurae vitae remuneratorem adorant: quae Sadduceorum

sententia fuit. Bayleus *De Comet. §. 177.* duo alia distinguit Atheorum genera. Alii, inquit, dubitare incipiunt, alii in dubitatione Divinitatis sistunt.

II. An divisiones istae exactae sint, non est quod in disputationem revocemus. Illud potius edisserendum occurrit, fuerint ne aliqui qui revera Deum negaverint. Cicero *Lib. I. de nat. deor.* asserit Protagoram dubitasse deos existere, nullos vero esse statuisse Diagoram Melium, & Theodorum Cyreniacum. *Lib. II.* idem Cicero introducit Cottam sic loquentem: *Equidem arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla deorum suspicio sit.* Alibi enim Tullius, ubi propriam sententiam promit, oppositum docet. Siquidem *Lib. I. Tuscul. quaest. Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet. Omnes tamen esse vim, & naturam divinam arbitruntur.*

III. Quamquam concederetur paucos receptos

istos Philosophos, & nonnullos alios, ut Euhemerum, Diogenem Phrygem, deos omnes exclusisse; quid inde? Aliquo ne in loco habendi forent in conspectu infinitae multitudinis, omniumque populorum, qui Deum confessi sunt? Ceterum negamus vel istos paucos, quos retulimus, in Atheorum censum perscribendos esse: quod & auctoritate, & ratione evincitur. Nam, ut ab auctoritate, seu facto auspicemur, saepe Philosophi qui gentium numina deridebant, respuebantque, Athei appellabantur a suis ipsis Ethnicis, & deinceps a Christianis, quod ita legerent in gentium libris. Ex pluribus exemplis quibus hoc demonstrare possem, unum & alterum referam. Anaxagoras a Cleone accusatus, quod Solem, quem ut Deum Athenienses colebant, tamquam ferrum candens, atque ignitum traderet, exilio, & quinque talentis multatus fuit. Et tamen Anaxagoram nomen cognovisse testatur Plutarchus in Pericle his verbis: *Primus universitati non fortunam, neque fatum, ordinatae descriptionis principium; sed mentem puram, ac sinceram praefecit, ab aliis omnibus admixtis similes particulas severnentem.* Quid de Socrate dicam? Nonne ab iisdem Atheniensibus propinato veneno interit, quod ab Anyto, Melito, & Lycone impietatis accusatus fuerit? Et tamen certum est, Socratem Deum fassum esse, & coluisse; quamquam deos populi, ceu vana simulacra, reiecerit. Quid plura? Ipsimet Christiani Athei ab Ethnicis compellabantur, quod gentium deos improbarent, ut testatur S. Iustinus Martyr *Apolog. II. Vocamur autem Athei, & sane confitemur talium, qui habentur, deorum nos esse expertes, & hac ratione Atheos; sed non verissimi illius Dei, Patris iustitiae, & temperantiae, & ceterarum virtutum, & ab omni vitio intacti.* Rationi quoque quam maxime consentaneum est, nullos fuisse saltem ex Philosophis veros Atheos mentis. Enimvero si nemo caelum hoc aspicere valet, quin illius agnoscat opificem; si vix ulla natio a deo est efferata, ut omni numinis cognitione destituta sit; qui fieri potest ut homines scientiarum lumine illustrati Deum aliquando negaverint? Quod Tullius, quod Laertius, alique referant quosdam Philosophos in numerum Atheorum, inde originem duxit quod vulgares populorum deos de throno deturbaverint, non quod Deum absolute ignoraverint. Si namque, teste Tullio, vix reperitur natio aliqua tam barbara, aut stupida, quae Deum non agnoscat; praesumi ne rationabiliter potest, Philosophorum aliquem tam

spissis tenebris obductum fuisse, ut quaque numinum notitia destitutus fuerit? Dicamus ergo, Atheos meritis nec olim fuisse, nec in praesens reperiri. Nam vel sapientes sunt, aut vulgares rusticique homines. Si docti sapientisque, praeter innatam cognitionem, naturaeque instinctum Deum ubique praedicantem, scientiarum lumine vel nolentes Deum confiteri coguntur. Si rustici hebetesque, & insita a natura notitia, & universali confessione Deum venerantur; quin & in pulicis morsu deos invocant. Tametsi vero aliqui occurrerent qui Deum se negare effutirent, non idcirco ut Athei mentis habendi forent, sed tantum cordis.

IV. Quamquam itaque nullos admittamus reperiri Atheos primi generis, qui nec vocem naturae Divinitatem praedicantis audiant, nec in istius universi speculo Opificem supremum videant; plurimos tamen, valdeque plurimos secundi generis Atheos, cordis nempe, & regnasse olim, & nunc vivere ulto fatemur. Atheos istos Scriptura ipsa prodit *Psalmo XIIII. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Quo magis scelesti homines in vitiorum coeno volutantur, laxioresque appetitionibus suis habenas remittunt, eo profundius in impietatis barathrum se demergere student. Sed quantumcumque totis conentur lacertis, omnique pectoris robore adnitantur hanc divini Numinis cognitionem excutere, quantumvis rabido ore Deum se negare blasphemant; numquam tamen votorum compotes evadunt: de quibus dici potest quod canit Virgilius de Sibylla, *Aeneid. Lib. VI.*

At Phoebi nondum patiens immanis in antro Bacchatur Vates, magnum si pectore possit Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans, figitque premendo.

C A P U T II.

D E P O L Y T H E I S M O.

Polytheismi notio, eiusdemque origo, & diversa genera.

Nillum est tam luculentum argumentum quod humanae mentis imbecillitatem prodat quam Polytheismus. Ad aliquem numinis confessionem, venerationemque natura ipsa cum interiore, tum externa vi urget. Nihil tamen fecius tanta est vitiorum, scelerumque potentia, & efficaciam, ut insitam hanc Dei notitiam tenebris densissimis obducatur, atque Divinitatem ipsam vilissimis, inanibusque simulacris tribuat, cultumque

que unico vero Deo furripiat. Quod duplici via contingere potest: defectu scilicet, quando quilibet cultus Deo tribuendus respuitur, ut faciunt Athei, si qui sunt; vel excessu, cum nempe cultu superfluo, seu superstitione Deo colitur. Siquidem licet cultus qui vero Deo exhibetur, numquam sit nimius, nec superfluus, si debito modo fiat; attamen variis modis corrumpi potest, & potissimum dum falso numini exhibetur, in quo gentiles summopere peccarunt. Isti enim deorum pluralitatem invexerunt. Sed antequam deorum pluralitatem manifesto, idololatriæ origo altius repetenda, manifestandaque est.

II. Quod idololatria, seu deorum pluralitas in diabolum, qui in Paradiso terrestri Adamum ad Divinitatem comparandam instigavit, aliquo modo regeri debeat, nemo inficias iverit. Ceterum omnes fateri tene-mur idololatriæ: presse acceptæ crimen: haudquaquam fuisse primam Adæ culpam. Quin satis incertum est num Polytheismus ante Diluvium inceperit. Hebræorum aliqui, quos inter R. Maimonides *Lib. de Idololatria*, docent, tempore Henos idola primum fabricata fuisse. Contrarium potius colligitur ex sacra Historia, *Gen. iv. vers. 6.* ubi Henos dicitur coepisse invocare nomen Domini. Communior, & vera sententia idololatriæ primordia temporis Dilavio posteriori illigat. & Audiamus quæ scribit Lactantius *Lib. II. Institutionum cap. xiv.* *Dico Polytheismum, seu idololatriam solum coepisse post Diluvium ex filii Cham. Is enim post detectam, despectamque parentis Noe nuditatem, abdicatus, atque expulsus, profugus in ea parte consedit qua nunc Arabia nuncupatur, qua terra de nomine filii sui dicta est Chanaan, & posteri habitatores illius Chananæi. Hac fuit prima gens que Deum ignoravit, quoniam princeps eius, & sator maledictus a Deo, cultum Dei neglexit, ideoque vere Divinitatis ignorantiam velut hereditariam posteris suis reliquit. Qui deinde nimium multiplicati, cum eos angustia locorum suorum capere non posset, vel a parentibus missi vel sponte sua, cum rerum penuria cogeret, profugi ad quærendas sibi novas sedes huc atque illuc dispersi sunt; & a stirpe sancta radice avulsi, novos sibi mores, ac instituta pro arbitrio condiderunt: sed omnium primi, qui Egyptum occupaverunt, caelestia suspicere, atque adorare coeperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem (nec enim ullis in ea regione nubibus obtegitur celum) cursus siderum, & defectus notaverunt, dum ea sepe venerantes,*

curiosus atque liberius intuerentur. Postea deinde portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt, quibusdam prodigiis inducti. Ceteri autem qui per terras dispersi fuerant, admirantes elementa mundi, calum, solem, terram, mare sine ullis imaginibus, ac templis venerabantur, & his sacrificia in aperto celebrabant, donec successu temporum potentissimis Regibus templa, & simulacra fecerunt, eaque victimis, & odoribus colere instituerunt.

III. Quamvis ergo unius veri Dei cognitio omnium esset insita animis, peccatorum tamen caligine ita obscurabatur in dies, ut invalescente pravitate, sin antiquata penitus & deleta, sepulta tamen jaceret. Hunc a Deo recessum, atque in monstrosas de numinibus sententias prolapsam egregie describit Augustinus *serm. III. de Symb. ad catech. Erraverunt animæ per diversas voluptates, & perversas, ut alii colerent Solem, alii Lunam, & stellas, alii montes, alii lapides, & quæque virgulta, ut sibi quisque credidit invenisse, non adiutorem Deum, sed deceptorem diabolum: atque ita per diversa anima erravit a creatore suo, ut omne quod dedit ei Deus ad servitium, hoc illa coleret ut Deum. Et quod majorem ciere admirationem debet, est quod non modo caelestia corpora nimium a sensu nostro remota, sed ipsas feras, bruta, reptilia, & alia monstra horrenda deorum loco habuerunt. Ægyptiorum natio, quæ in artium liberalium scientiarumque inventionem cultuque principatum jure sibi vindicat: hæc, inquam, gens litteris, moribusque magnopere exulta, eo insanivit ut putidos, deformes, horrendosque deos sibi effinxerit. Thus adolevit felibus, crocodilis, bobus, capris, porris, aliisque id genus. De his Iuvenalis *sat. xv.**

Porrum, & cape nefas violare, & frangere morsu.

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis

Numina

Crocodilon adorant

Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus ibim,

Effigies sacri hic nitet aurea cercopitheci.

IV. Palæstini Amorrhæi arietem, quem Estherot vocabant, quoque vescebantur, ut numen adorabant. Druides muscis, & glandibus hostias litabant. In imperio magni Mogolis vacca publicas suscipit adorationes. Vitulus aureus Hebræorum dei Apis Ægyptiorum similitudinem referebat. Tartaris elephas albus, aut prima bestia quæ diei principio occur-

currit, deus est. Punica gens hodie dum rapas, capæque colit. In Æthiopia, & Congi regno serpentes, capræ, tigres, aves, & plantæ adorantur: & habitatores insulæ Formosæ diabolo sacra faciunt. Infinitus essem, si cuiusque nationis, gentisque numina recensere vellem. Varro triginta & amplius millia numinum supputavit, inter quæ trecentos Ioves, & quadraginta tres Hercules. Roma liquidem diis suis deos victarum gentium addebat. Hinc Prudentius *Lib. II. in Symmach.*

Roma triumphantis quoties Ducis inclyta currum

Plausibus excepit, toties altaria divum

Addidit, & spoliis sibimet nova numina fecit.

Alter Poeta antiquior Ennius duodecim potissima numina his duobus clausit versibus.

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,

Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

V. D. Augustinus *Lib. VI. cap. ix. de Civit. Dei.* supputationis Varronis meminit. Denique & ipse Varro commemorare, & enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numerum exorsus est a Iano, eamque seriem perduxit usque ad decrepiti hominis mortem, & deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Nemiam deam, quæ in funeribus senum cantatur. Deinde coepit deos alios ostendere qui pertinerent non ad ipsum hominem, sed ad ea quæ sunt hominis, sicuti est victus, vestitus, & quæcumque alia quæ huic vita sunt necessaria; ostendens in omnibus quod sit cuiusque munus, & propter quid cuique debeatur supplicari. Nonnulla munera quæ præfata numina obire debebant, describit his verbis *Lib. IV. cap. viii. de Civ. Dei.* Cui non sufficere videretur illa Segetia, quamdiu seges ab initiis herbis usque ad aristas aridas perveniret? Non tamen satis fuit hominibus deorum multitudinem amantibus, ut anima misera demoniorum turba prostitueretur, unius Dei veri castum de-dignata complexum. Præfecerunt ergo Proserpinam frumentis germinantibus: geniculis nodisque culmorum deam Nodotum: volumentis folliculorum deam Volutinam: cum folliculi pate-scunt, ut spica exeat, deam Patelenam: cum segetes novis aristis equantur, quia veteres aquare hostire dixerunt, deam Hostilinam: florentibus frumentis deam Floram: lactescentibus deam Lacturiam: maturefcentibus deam Marturiam: cum runcantur, idest terra auferantur, deam Runcinam. Nec omnia commemorare, quia que piget quod illos non pudet.

Conc. Theol. Tom. I.

VI. Nonnulla alia adicere lubet ex eodem Augustino, ut magis pateat Ethnicorum monstrosa dementia; sed dicamus potius, ut clarius damna quæ humanæ menti peccata inferunt, dignoscantur. Laudato ergo *Lib. VI. cap. ix.* hæc scribit Augustinus. *Quid ipsa numinum officia tam viliter, minutatimque concisa, propter quod eis dicunt pro uniuscuiusque munere supplicari oportere? . . . Nonne scurrilitati mimica magis quam divine consonant dignitati? Si duas quisquam nutrices adhiberet infanti, quarum una nihil nisi escam, altera nihil nisi potum daret, sicut isti ad hoc duas adhiberunt deas, Eucam, & Potinam. . . . Mulieri fete post partum tres deos custodes commemorat (Varro) adhiberi, ne Sivanus deus per noctem ingrediatur, & vexet. . . . Hæcine sunt numina salubria urbium, magis ridenda, quam ludibria poetarum, & theatrorum? Cum mas, & femina coniunguntur, adhibetur deus Iugatinus. . . . si domum est duenda quæ nubet, adhibetur Domiducus: ut in domo sit, adhibetur deus Domitius: ut maneat cum viro, additur dea Manturna. Quid ultra quaritur? Parcatur humana verecundia, peragat cetera concupiscentia carnis, & sanguinis procurato secreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum, quando & paranimphi inde descendunt? Et ad hoc impletur, non ut eorum presentia cogitata, major sit cura pudicitie, sed ut femina sexu infirma, novitate pavida, illis cooperantibus, sine ulla difficultate virginitas auferatur. Adest enim dea Virginensis, & deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Partunda, & Venus, & Priapus. Quid est hoc? Si omnino laborantem in illo opere virum ab diis adiuvare oportebat, non sufficiebat aliquis unus, aut aliqua una? Numquid Venus sola parum esset, quæ ob hoc etiam dicitur nuncupata, quod sine ejus vi femina virgo esse non desinat? Si ulla est frons in hominibus, quæ non est in numinibus, nonne cum credunt coniugati tot deos utriusque sexus esse presentes, & huic operi instantes, ita pudore afficiuntur ut & ille minus moveatur, & illa plus reluctetur? Et certe si adest Virginensis dea, ut virgini zona solvatur; si adest deus Subigus, ut viro subigatur; si adest dea Prema, ut subacta, ne se commoveat, comprimatur; dea Partunda ibi quid facit? Erubescat, eat foras, agat aliquid & maritus. Valde inhonestum est ut quod vocatur illa, impleat quisquam nisi illa. Sed forte ideo toleratur, quia dea dicitur esse, non deus. Nam si masculus crederetur, & Partundus vocaretur; maius contra eum pro uxoris pudicitia posceret Maritus auxilium, quam fete contra*

contra Silvanum. Sed quid hoc dicam? cum ibi sit & Priapus nimis masculus, super cuius immantissimum, & turpissimum fascinum sedere nova nuptia iubebatur, more honestissimo, & religiosissimo Matronarum.

VII. Tandem multis omissis, quæ de gentium diis referri possent, satis est exscribere quæ Plinius scribit Lib. II. cap. VII. Gentes vero quædam animalia, & aliqua etiam obsecra pro diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidios cibos, & alia similia iurantes. Matrimonia quidem inter deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci, & alios esse grandævos semper canos, alios iuvenes, atque pueros, atri coloris, aligeros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes, morientesque, puerillum prope deliramentorum est; sed super omnem impudentiam adulteria inter ipsos fingi, mox iurgia, & odia, atque etiam furto- rum esse, & scelerum numina.

CAPUT III.

DE POLYTHEISMO IUDÆORUM.

Varia idololatriæ iudaicæ genera. Quid in deserto adoraverint Iudæi.

I. VIX in mentem venire potest, Hebræos idololatriæ crimine pollutos aliquando fuisse. Hi quippe, præter communia naturæ monumenta, quæ Deum unicum existere omnibus prædicant, divinæ revelationis lumine persufi, ac immensa prodigiorum multitudine instructi, ubique præsentem Deum videbant. Sed ea est & humanæ mentis exiguitas, & prævalentis malitiæ potestas, ut in ipso meridie cæcutiant mentes; scelerum caligine obductæ. Longa vivendi cum Ægyptiis consuetudo non levis illis fuit idololatriæ occasio. Potissimum ac publicum idolatriæ scelus quod perpetrarunt Israelitæ, fuit adoratio aurei vituli in deserto. Moysè enim cum Deo loquente, morasque trahente, populus tædio affectus ab Aarone petiit sibi deos præfici, qui iter per desertum dirigerent. *Fac nobis deos, qui nos præcedant*: Exod. 32. vers. 1. Aaron, sive timore populi tumultuantis perculsus, sive errore deceptus, vitulum aureum opere fusorio ex feminarum monilibus conflatum proposuit adorandum. Ad huius conspectum clamaverunt omnes: *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*: ibidem vers. 4.

II. Post hostias aureo vitulo oblatas, aliis vitulorum, putidisque animalibus thus adolere Iudæi. Hinc est quod alii appellati sunt *Ranarum*, qui ranas colebant; alii dicebantur

Musorite, murium adoratores, occasione accepta ex quinque muribus aureis quos gentes Philisthim reposuerunt in Arca, cum eam restituerunt Israelitico populo, ut habetur I. Reg. v. *Fortunatitè* dicebantur illi qui Lunam ut cæli Reginam colebant. *Mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Regina cæli*: Hier. VII. vers. 18. Inter Polytheos Iudeorum celebres ob inauditam crudelitatem fuerunt *Tophetite*, qui filios suos, ceu vivas hostias, dæmonibus litabant in loco, seu silva idolo Moloch dicata, & in valle filiorum Ennon posita. Holocaustum istud fiebat tubis, ac tympanis peritrepentibus, atque voce altissima Sacerdotibus clamantibus, ne filiorum eiulatus parentum aures vellicarent. De his loquitur David Psal. cv. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis. Topheth autem tympanum significat, de quo Hierem. VII. vers. 31. Et edificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennon.* Tandem aliis prætermisissis, *Remphanite*, & *Molochite* illi fuerunt qui Moloch, & Remphan adorabant, quæ Ammonitarum idola erant. De his sermo est Aët. VII. vers. 43. *Et suscepistis tabernaculum Moloch, & staus Dei vestri Remphan, figuras, quas fecistis, adorare eas.*

III. Recensitis variis Polytheismi Iudæorum generibus, inquirendum superest, in quo sita erat eorum idololatria. Et quia inter omnes morum superstitiones celeberrima est illa cui in deserto adhæserè, thus adolentes aureo vitulo; idcirco in examen vocatur quid reapse in eodem vitulo adoraverint. Calvinus Lib. I. instit. cap. XI. §. 9. & 10. Vossius Lib. I. de orig. idolol. cap. III. contendunt Hebræos idololatrias fuisse, non quod pro Deo vitulum habuerint; sed quod sub sensibili imagine, seu simulacro, verum Deum adoraverint. Hoc commenti sunt, ut viam sibi sternant ad arguendos idololatriæ Catholicos, qui sub imaginibus Sanctos, ac Deum ipsum venerantur. *Nec tam prorsus incogitantes* (inquit Calvinus loc. cit.) *erant Iudæi, ut non meminissent Deum fuisse cuius manu educti essent ex Ægypto, antequam fabricarent vitulum.* Vossius subdit, Hebræos Dei oblitos fuisse non proprie, & voluntaria oblivione, quasi a Deo vero recesserint, deosque gentium adoraverint; sed oblitos fuerant, quatenus symbolo interdicto, moreque paganorum Deum verum coluere.

IV. Hæc Calvinus, Vossius, aliorumque gregalium interpretatio commentitia est, & omnino falsa. Ut vero enucleate res tota explicetur, non negamus idololatriæ reos dicendos esse

esse Iudæos, quod sub Ethnicorum reprobato simulacro Deum verum adoraverint; quin aperte fatemur, ob hoc etiam quod sub effigie vituli, instituta ad representandum deum Ægyptiorum, verum Deum adoraverint, idololatrias extitisse: cum enim ritus paganicus, eorumque idola suapte natura mala sint, nulla valent interna excusari intentione, quamvis sancta. Et ad hoc quod attinet, subscribimus Vossio dicenti: *Coluere enim Deum ritu gentili, qui præterquam quod divina voluntati esset repugnantissimus cultus, in ista humanarum mentium caligine plenissimus periculi fuit: quia experientia ostendit quam facile cultus symbolicus in proprium convertatur.*

V. Ex hac Vossii, & communi doctrina facile coniecere est, Israelitas declinasse in cultum Apim, seu Serapim, quem Ægyptii in effigie bovis, aut vituli adorabant ut deum. Cur non aliud symbolum? Cur non aliud simulacrum quam Ægyptiorum conflarent? Si idem cum Ægyptiis symbolum, cur non et eundem cum iisdem deum? Sed quid coniecitur in hæremus, cum Scripturæ sanctæ aperte declarent Iudæos idololatrias fuisse, quod deos Ægyptiorum adoraverint, & a vero Deo recesserint. Quid enim prodit illud Exod. xxxii. vers. 1. *Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant*? Hucusque verus Deus sub columna ignis per noctem, & nubis per diem eos præcessit, iterque direxit. Cur ergo Deum Israelis non petierunt, non invocaverunt? cur sub forma ignis, aut nubis, aut alterius miraculi ex plurimis pro eorum libertate patratis, non petierunt sibi verum Deum representari? Cur tanto furore Ægyptiorum simulacra postularunt? De Aarone, qui vitulum adorandum proposuit, iure dubitari potest, num Ægyptiorum deos colendos obtulerit. Et ego quidem in eam sententia, quod Aaron, timore populi ad malum proni exterritus, vitulum conflaverit, nimirumque dumtaxat indulgentiæ, & externæ idololatriæ reus fuerit; at interiore cultu verum Deum adorasse, neque ab eo descivisse, probabilius mihi est: & colligitur ex illius verbis quibus suasit Domini solemnitas celebrari: *Gras solemnitas Domini est*: ibid. vers. 5.

VI. Ceterum quod populus Iudaicus a vero Deo recesserit, deos falsos adoraverit in vitulorum symbolis, adeo compertum, exploratumque est, ut solus Calvinus, eiusque gregales, ira, livoreque in Catholicos perciti, contrarium doceant. Cuius veritatis non alium quæro iudicem præter Scripturam ipsam, quæ conceptis verbis testatur, populum reliquisse suum verum Deum, diisque alienis thus ado-

levisse. Deut. xxxii. vers. 15. & seq. *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo. Provocaverunt eum in diis alienis... immolaverunt dæmoniis, & non Deo... Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Si in vitulo Deum verum coluisset populus, qui dici poterat hostias eum litasse dæmoniis? Sed textus promamus ex ipso loco Exodi, ubi narratur vitulinum simulacrum conflatum, & adoratum fuisse. Igitur loc. cit. vers. 8. hæc Deus ipse Moysi dixit: *Feceruntque sibi vitulum constabilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Hostias, & victimas huic vitulo immolarunt: ut Deum ergo, cui soli victimæ mactantur, coluerunt. *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt.* Si de vero Deo sermonem habuissent, an dixissent istos esse deos suæ libertatis vindices? Quid plura? Moyses apertissime dicit, populum istum deos sibi conflasse aureos: ibid. vers. 31. *Peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos.* Scripturæ ergo testantur populum Iudaicum terga vero Deo dedisse, eoque relicto, deos aureos conflasse, diisque gentium cultum obtulisse. Qua ergo fronte Calvinus, qui plusquam thraonica iactatione ad divini verbi tribunal causam quamque appellat: qua, inquam, fronte scribere audeat loc. cit. *Nihilominus & Deum æternum Iudæi, unum, verumque cæli, ac terræ Dominum sub talibus simulacris perstrasi erant se colere: & gentes suos, licet falsos, deos, quos tamen in celo habitare fingerent.* Conferantur hæc cum textibus adductis; & confestim palam fiet quam impudens sit Calvinus commentatio, quam idcirco malo dolo excogitavit, ut superstitionis reos peragere Catholicos posset.

VII. Persequitur enim ibid. §. 10. *Hoc qui antehac factum, & nostra etiam memoria fieri negant, impudenter mentiuntur. Cur enim coram illis prosteruntur! Cur se se ad illa præcaturi tamquam ad Dei aures convertunt? Si quidem verum est quod ait Augustinus, neminem orare, vel adorare sic intuentem simulacrum, qui non sic afficiatur ut ab eo exaudiri se putet... cur pro illis hodie tamquam pro aris & focis, ad cades usque, & strages digladiantur, ut facilius latuerint unicum Deum sibi eripi quam sua idola? Et tamen nondum crassos vulgi errores... numero: tantum indicio quod ipsi profitentur, quum se maxime ab idololatria purgare volunt. Non vocamus, inquit, nostros deos. Neque illos aut Iudæi, aut Gentiles olim vocabant; & tamen Prophe-*

ta passim illis fornicationes cum ligno, & lapide exprobrare non desinebant. Iudæi ergo sua symbola deos non vocarunt? Hoc negare audeat Calvinus? An non deos appellarunt, cum fabricato vitulo clamarunt: *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de Aegypto?* An non testatur Scriptura, peccatum maximum Iudæos peccasse, quod fecerint sibi deos aureos? Nec Gentiles sua simulacra deos vocarunt, cum triginta & amplius mille deos venerati sunt? Nec nos asserimus, Ethnicos omnes in cæpis, porriſque Divinitatis quidquam agnovisse; sed idololatræ erant, quod falsa numina in putidis symbolis colerent. Polytheismum ab Ethnicis, & Hebræis libentissime Calvinus auferret; dommodo quocumque modo notam Catholicis idololatræ inurere posset. Sed vanissimi sunt illius conatus. Augustinum sibi patrocinarum iactabundus obtrudit. *Legantur* (inquit §. 9.) *excusationes quas ab idololatriæ sui sæculi prætextas refert Augustinus.* Cum de cultu sacrarum imaginum, & Sanctorum sermo erit, omnia pro dignitate expendemus. Quæstio nunc vertitur de idololatriâ perpetrata a Iudæis in vituli adoratione, quam non simulacrum vitulinum, seu deum Aegyptiorum, sed Deum verum respexisse Calvinus contendit, ut inde ansam arripiat Catholicos traducendi. Quam sit impudens illius impostura, suapte natura pater. Id solum addam, Augustinum, quem pro se Calvinus allegat, apertissime illi adversari. Et in primis bona fides desideranda in Calvino est, qui, ut evincat, Iudæos Deum verum in vitulo coluisse, citat Augustinum in *Psal. cxiii.* ubi Sanctus Doctor invehitur in simulacra paganorum, eorumque excusationes impugnandas assumit, nec ibi de vitulo deserti sermonem habet. Hanc quæstionem versat explicans *Psal. lxxiii.* ubi hæc habet: *Nam & unde vitulus ille quem adoravit populus infidelis, & apostata, quærens deos Aegyptiorum, dimittens eum qui liberavit de servitute Aegyptiorum?* Quid ad hæc Calvinus, eiusque gregales? Ibidem Augustinus appellat Iudæos adoratores diaboli.

VIII. Non est ergo ambigendi locus Iudæos falsa Aegyptiorum numina in aureo simulacro adorasse. Quod si aliqui, ut Aaron, Deum verum in illo vitulo venerati fuissent, non propterea excusandi forent a superstitione, tum quod contra divinum mandatum sculptile ædificarent, tum quod ritu pagano, ac symbolo vetito Deum coluerunt, tum denique quod immensam Dei præsentiam in illo symbolo coarctarunt, putantes minime sibi Deum propitium fore, nisi oculis corporis illum cerne-

rent. Quis vero Catholicorum quidquam his deliramentis simile umquam excogitavit? Isti omnes Deum ubique propitium credunt; quamquam & templa ædificent, seu loca in quibus speciatim Deus adsit, & imagines pingant, per quas anima sensibus oblecta excitetur ad divinum cultum. Sed de his fusius suo loco.

CAPUT IV.

Rationes proponuntur quæ Deum esse ostendunt.

I. **R**ecensitis erroribus existentie, & unitati Dei contrariis, rectus disputationis ordo postulat ut argumenta promamus quæ & Deum existere, & unicum esse evincunt. Antequam tamen ad rei caput accedo, illud præfari convenit, me fere invitum hanc veritatem, nempe Deum esse, demonstrandam suscipere. Quæ namque suapte natura manifesta sunt, haudquaquam egent probatione. Prima enim principia in unoquoque genere ea dicuntur quæ quoniam sunt non convenit demonstrare, ut Philosophus ipse docet. An ne cum Sol lucet, disputandum erit, utrum luceat, aut sit? Vel evincendum ignem esse calidum, albam nivem? Porro non minus perspicuum est, Deum Divinitatis suæ radios in hominum mentes immittere, quam Solem in meridie sereno celo lucem affundere. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verum quamquam divinus hic Sol universum repleat immensa sua luce orbem; non desunt tamen qui oculos, ne videant, claudunt, lucemque reiiciunt divinam. Rationes ergo quas allaturi sumus, eo in primis tendunt ut cæcorum oculos, quoad fieri potest, aperiant, mentiumque humanarum ægritudini ex peccatis contractæ medeantur. Deum siquidem existere, ita est per se notum, ut nulla possit evidentius fieri ratione. Quare summa animi demissione, ac humilitate profunda, non contendendi, & altercandi pruritu, hanc quæstionem versandam aggrediamur oportet. Nimii enim maiestatis scrutatores opprimuntur, atque heberantur.

II. Duo probationum genera afferri in medium solent, quibus humanæ mentes nixæ ad supremum Numen cognoscendum assurgant. Aliæ sunt populares, communi omnium capacitati apprimè consentaneæ; aliæ metaphisico ratiocinio intextæ. Hæ quamquam & maiorem subtilitatem, & exquisitiorem eruditionem sapiant, minori tamen pollent efficacia. Plus namque quæ sensibus propinquiora, quam quæ ab iisdem abstracta sunt, mea-

mentes subigunt hominum, non solum vulgarium, sed doctiorum quoque; quidquid nonnulli quandoque in contrarium, vana quadam ducti ostentatione, iactent. Quæcumque tamen probationum genera, quæ pro Dei existentia afferri queunt, non ex prioribus, & antecedentibus principiis colliguntur, (nihil quippe Deo prius est) sed ex effectibus, & iis quæ posteriora sunt. Hoc in capite quinque rationes quas D. Thomas 1. par. quæst. II. art. 3. ex Patribus collectas prodit, brevissime perstringemus, alias populares fusius capite sequenti explicaturi.

PRIMA D. THOMÆ RATIO.

III. Evidenti experientia constat, corpora hæc omnia mutationi esse obnoxia. Porro dum moventur, ab aliquo moveantur necesse est: omne enim quod movetur, ab alio movetur. Aut ergo ab immobili, aut a mobili motore motum recipiunt corpora mota. Si ab immobili, iam habemus quod quaerimus, nempe motorem immobilem, qui omnia moveat, & a nemine moveatur. Hic autem Deus est. Si a mobili, rursus hic ab alio pendet. Ne ergo processus fiat in infinitum, admittendus necessario est motor immobilis. Non me fugit, non paucis obnoxiam esse cavillam rationem istam, quos fuso calamo refutavit D. Thomæ Interpretes. Rem nos paucis expediemus, clarius explicando propositiones singulas. Et primo quod omne corpus motum ab alio moveri debeat, satis est compertum. Nihil enim potest esse movens, & motum, secundum eandem rationem: quia, prout movetur, in potestate est ad id ad quod movetur; movet autem secundum quod est in actu. Quod autem idem eodem tempore simul in actu sit, & in potentia iuxta eandem rationem, repugnantia est manifesta. Actus quippe, potentie includit privationem, & e contrario. Rursus processus in infinitum in moventibus per se mutuo subiectis pariter repugnat. Si enim numero infiniti motores essent, primus reperiri neutiquam posset: nullis enim terminis clauditur infinitum. Quapropter si primus designari quiret motor, minime essent infiniti motores. Quæ quidem ratiocinatio locum habet tum in iis quorum unum per se, & essentialiter ab alio in suo motu pendet; tum in iis quorum unum per accidens alteri subiicitur: quia licet admitti causarum infinita collectio posset, ut si ab æterno mundum Deus creasset; semper tamen admittendum foret principium, quod eiusmodi collectionem efficeret. Quoniam si quæ-

que causa essentialiter ab altera pendet, tota quoque collectio causarum alteri causæ subiciatur necessarium est. Prædicata namque, ut vocant, essentialia rei competunt in quocumque statu. Quid quod, si quæque causa ab alia in suo motu pendet, & hæc ab alia, nunquam ad primam perveniri posset? Infinitum enim caret primo. Nihil ergo produci posset. Tollend omnium præteriti sæculi impudentissimus Atheorum reponit, motum essentialem esse ipsi materiæ, & hanc seipsam movere. Numquam ergo quiescere posset: quod evidenter falsum est.

IV. Cavillandi exercitio erunt qui Atheorum ore reponant, & ut ad omnia abutantur, inquit Cicero *Lib. I. de nat. deor.* atomorum regno, & licentia, dicent omnia ex atomis ab æterno agitatibus produci. Hinc quodcumque in solum venit, ut dicitur, effingunt, atque efficiunt, inquit Tullius. Sed qua vi atomi istæ aguntur? Sua gravitate, subdunt. Unde vero gravitatem habuerunt istam? A se ipsis? Dii ergo atomi istæ; & tot dii, quot atomi: & quoniam invidua hæc corpuscula, alia levia sunt, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quadam & quasi adunca; eiusmodi erunt dii ex atomis conflati. *Sint*, inquit Cicero, *ex atomis. Non igitur æterni. Quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit. Si natum, nulli dii antequam nati. Et si ortus est deorum, interitus sit necesse est.... Ubi igitur illud vestrum beatum, & æternum? Quibus duobus verbis significatis Deum. Quod cum efficere vultis, in dumeta correptis. Ita enim dicebas (Cotta) non corpus esse in Deo, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed quasi sanguinem. Hoc persæpe facitis, ut cum aliquid non verisimile dicatis, & effugere reprehensionem velitis, asseratis aliquid quod omnino ne fieri quidem possit: ut satius fuerit id ipsum de quo ambigebatur, concedere, quam tam imprudenter resistere; velut Epicurus, cum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suapte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus, & necessarius, invenit quomodo necessitatem effugeret: quod videlicet Democritum fugerat: ait atomum, cum pondere, & gravitate directo deorsum feratur, declinare paululum. Hoc dicere turpius est quam illud quod vult, non posse defendere. Verum de his plura infra ex eodem Tullio, hunc fortuitum atomorum concursum acrius exagitante.*

SECUNDA RATIO.

V. Effecta quæ in universo spectamus, ab esse-

effectricibus causis dimanare, inficias ire nemo valet. Nam si dicatur aliquid esse quod nihil præcedit, sed a semetipso suum esse accipit, iam Deum existere conceditur. Si vero ab alio efficitur, tum inquiritur, a quo hoc aliud proficiscatur: & de hoc alio sermo recurrit idem usque ad infinitum. Hanc D. Thomæ rationem alii Patres prius prodiderant. Ioannes Damascenus *Lib. I.* his verbis eam explicat: *Omnia quacumque sunt, vel creata sunt, vel increata. Quod si creata sunt, omnino sunt mutabilia. Quorum enim esse a mutatione cepit, hac mutationi plane subiecta erunt, sive corrumpantur, sive voluntate mutantur. Si increata sunt, ex consequentia ratione profus immutabilia sunt. Nam quorum esse contrarium est, iis certo modo esse contraria ratione convenit quæ sunt proprietates. Quis igitur non assentietur, omnia quæ sunt, non modo quæ sub sensus nostros cadunt, verum etiam & Angelos, variari, atque mutari, ac multis modis moveri, atque converti? &c. & paulo infra: Itaque cum sint mutabilia, plane erunt creata. Si creata sunt, profus ab aliquo condita sunt. Oportet autem conditorem increatum esse. Nam si etiam ille creatus est, omnino ab aliquo creatus est: donec ad increatum aliquid procedendo perveniat. Increatus ergo conditor plane est, & immutabilis. Hoc vero quid aliud potest esse quam Deus?*

VI. Qui contendendi, rixandique pruritu, non inquirendæ veritatis amore disputant, reponere solent, singulos utique homines a singulis produci, videlicet Petrum a Paulo, Paulum a Francisco, & idem de singulis dicitur; secus vero totam collectionem, putatum genus humanum. Quod patet in Republica, cuius homines singulatim accepti subditi sunt; omnes autem coniunctim nulli subiacent potestati.

VII. Minime opus multis est ut responsionis istius fatuitas ostendatur, cum suapte se prodat natura. Verum habet quod a singulis ad collectionem non semper recta instituat argumentatio, ut patet in exemplo adducto. Siquidem regimen convenit collectioni hominum, non singulis hominibus: & quoties prædicata respiciunt quantitatem sive discretam, sive continuam, variatur, ut dicunt, appellatio, & consequentia a partibus ad totum non consistit. Ne multa: in prædicatis accidentalibus non semper argumentatio a singulis ad collectionem bona est. Quippe aliqua externæ, & accidentales prerogativæ toti competere, secus partibus, sæpe valent. Contra in prædicatis essentialibus semper a singulis ad

collectionem consequentia optima est. Quis que homo ratione præditus est: ergo omnes homines rationales sunt. Quilibet homo ab alio producitur, ab eoque essentialiter pendet: ergo omnes homines producuntur necesse est. Sed clarius rem habeto. Quid fodes hæc tota hominum collectio addit ad singulos homines? Anne ipsa hominum collectio producitur? Anne a membris seiuncta, & abstracta consistit? Quid porro confert periculum ad infinitum? Nam semel concessio quod quilibet homo ab alio essentialiter pendet; etiam si admitteretur infinita hominum collectio, hæc ab alio penderet. Quamquam hæc infinitas commentitia omnino est, cuius nec vola, nec vestigium umquam apparuit.

VIII. Ut hæc omnia clarius affulgeant, lubet proferre quæ scribit Theodorus Abuca-ra in tertio Dialogo. *Hominum*, inquit *certus est numerus. Fingamus illos esse centum. Non possunt illi omnes esse geniti. Quippe ab invicem propagati sunt. Itaque genealogiam retro percurrere nostra mens plane unum in aliquem incidit ingenitum. Non enim fieri potest ut cum ad primum pervenerimus, dicamus ipsum ab alio esse genitum. Quandoquidem etiam ille ab alio esset genitus, donec in primo quopiam ingenito mentem nostram defixerimus. Igitur necesse est istum vel extra editum esse, velut stipes; vel esse æternum; vel ab opifice aliquo factum. Atqui si ex terra pullulasset, adhuc usque in hodiernum diem alios terra procuraret; sicut fit in genere arborum, vel herbarum. At quia hoc fieri non videmus, manifestum est neque primum germinasse. Sed nec æternus erat. Si enim principio caruisset, essetque æternus, numquam mortuus fuisset, neque interisset. Quod enim principium non habet, neque finem habet. Relinquitur igitur ut factus fuerit. Quod autem factum est, auctorem habet. Est igitur creator, & auctor hominum Deus.*

TRES ALIÆ RATIONES

brevisime perstringuntur.

IX. Tertia D. Thomæ ratio ejusmodi est. Quæ in hoc mundo sunt, contingentia sunt, seu contingenter existunt. Hoc experientia evidenti constat: sunt enim mutationi, & interitui subiecta. Capacitatem ergo, potestatemque habent aut ut existant, aut contra. Admittendum ergo est aliquid quod sit necessarium. Quod enim solam habet ad existendum potestatem, in lucem se solo prodire nequit. Qua namque ratione id quod nondum est,

est, efficere ut sit valet? Porro quod solummodo potestatem habet ut sit, re nondum est. Quod autem re nondum est, nec aliud a se distinctum, nec seipsum producere ullo modo potest. Hanc rationem, quæ validissima est, possem fusiore explicare sermone, nisi præstituta brevitatis officeret.

X. Quarta ratio, rerum, quæ minorem, maioremque bonitatem expriment, varietati nititur. Siquidem talis in rebus huius mundi bonitatis, atque perfectionum ordo relucet, ut aliæ minus, aliæ magis bonæ sint. Ergo admittendum maximum bonum est, quod omnium causa sit. Hanc rationem fufius exponit Augustinus *Lib. VIII. de Civ. Dei cap. vi.* *Consideraverunt enim, quidquid est, vel corpus esse, vel vitam; meliusque aliquid vitam esse quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitam: protinde intelligibilem speciem sensibili prætulere. Sensibilia dicimus quæ visu tactuque corporis sentiri queunt; intelligibilia quæ conspectu mentis intelligi possunt... Quod autem recipit maius aut minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi, & docti, & in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem ubi mutabilitas esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu & corpus, & animus magis minusque speciosa essent; & si omni specie carere possent, omnino nulla essent; viderunt esse aliquid ubi prima esset incommutabilis species, & ideo nec comparabilis: atque ibi esse verum principium rectissime crediderunt: quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent. Ita quod notum est Dei, ipse manifestavit eis, cum ab eis invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, intellecta conspecta sunt.*

XI. Postrema Angelici Doctoris ratio ex uniformi omnium creaturarum in eundem finem conspiratione arcessitur. Ipsi enim conspiciunt illa ipsa quæ cognitione carent, in eundem abripi finem. Hæc autem, utpote intelligentia destituta, nequeunt sibi talem præstituerent finem, nec quæ ad eundem assequendum apta sint media deprehendere. Aliquam ergo fateamur oportet intelligentem causam, quæ corpora ista regat, dirigat, atque gubernet. Quid quod istorum plura contrariis invicem qualitibus pugnant, digladiantur? Tamen, ut bonum commune universi sartum tectum custodiatur, fœdus ineunt, & amicitiam, mirabilique concordia eo sua collineant molimina. Fieri ne hoc valet abique duce, qui tamquam universalis provisor omnia temperet, regatque? An corpora ista innata propensione, inlitoque pondere eundem attinge-

re scopum queunt, si adversis inclinationibus in transversum aguntur? Hæc ratio illustrior evadet, cum popularia exponentur argumenta.

CAPUT V.

Alio dilemmate urgentur Athei, & Deisti.

I. **U**T cum Atheos, tum Deistas alio ex capite ad incitas redigamus, hoc illos adorimur dilemmate, quo utitur Blasius Paschalis in suis de Religione cogitationibus. Aut existit Deus, aut secus. Nulla hic ad periculum rima patet. Cui adhaeres parti? Ratio, inquis, humana neutram adfirmare, neutram evidenter partem negare potest. Fac ita se habere rem. Cur ergo me erroris arguis, quod aio Deum esse? Te condemnno, inquis, quod alteram elegeris, seu quod ab utraque parte non abstinueris. Ita ne vero? Iam in casses incidisti. Quippe qui anceps hæret, existat ne Deus, an secus, Deum reapse negat. Hoc in aliis ludis haud accidit; sed liberum cuique est se ab omni parte integrum servare. Isthic facienda est alea: quoniam qui mecum non est, contra me est. Alterutri ergo adhæreas parti oportet. Si indifferenter te habes, negantem amplexus es partem, ratione repugnantem. Quoniam si Deus existit, tu æternas dabis poenas.

II. Illud nunc reliquum est, cui extremorum committere te debeas. Per te æquale est utriusque patris periculum, quod ratio humana alteram præferre alteri nequeat. Nihil ergo expendendum superest, nisi cuiusque partis lucrum, & iactura. Si quemadmodum æquale est periculum aut vincendi, aut succumbendi, ita æqualis esset cuiusque partis aut iactura; aut lucrum; alterutram pro ingenio eligere partem quires. Si e contrario partis adfirmantis lucrum sit summum, & parva iactura; negantis autem partis iactura sit infinita, & lucrum exiguum: aut rationem exuas, aut partem quæ infinitum lucrum promittit, parvamque minatur iacturam, feligas necessum est. Porro Dei fidem suscipiendo, si vincis, victoria infinita est, lucrum immensum: si erras, nulla est iactura. Elige ergo Dei existentiam. Quid hincis? Suspendium tenere animum nequis. Ludendum omnino est. Nisi ludas, partem negantem amplecteris, cui æterna annexa calamitas est, infinita supplicia. Nonne in quolibet fortuito ludo, cuius utraque pars æquale periculum præfert, illuc sortem conitcis, ubi lucrum duplo damnum superat? Quid si centies, quid si millies, quid si millia millium lucrum excederet damnum? Profecto si forti-

fortiri necesse est, aut insanum te declarare debes, aut in illam mittere hydriamfortes debes quæ immensa continere bona dicitur.

III. Quod autem parvum, ac fere nihil illud sit quod tu ludo necessario exponis, evidens suapte natura est. Incerta namque, brevis, plurimique incommodis obnoxia est vita fortienda: quæ, si vincis, Deum firmando, tibi beatam parit vitam. Nec est quod reponas, lucrum incertum esse, certum vero bonum quod sortitioni committis; ac propterea bonum quod possidetur, quantumvis finitum parvumque, prævalere bono infinito, quod dubie tantum, & ambigue speratur. Totum namque hoc abludit a vero. Ad summum quippe infert ab eo ludo qui liber est, te abstinere posse; secus si necessarius ludus sit. Quisque sortitor parvum bonum certum rationabiliter exponit, ut lucretur incertum, dummodo ex una parte futurum lucrum incertum valde superet bonum parvum quod periculo subiicitur. Consequitur ergo necessario aut tibi adfirmendam esse existentiam Dei; aut rationi, & communi sensui nimium remittendum.

IV. Si longius producere sermonem vellem, singulas expendendo propositiones, valde evidentior fieret argumentatio, & primum innotesceret, te nihil periclitari, si adfirmes Deum esse. Tum namque vitam duces honestam, castam, sinceram: rationi, iustitiæ, æquitati consentaneam: eam comitatur tranquillitas, gaudium, hilaritas: vitia, scelera, flagitia ab ea exulabunt: spe denique æternæ adipiscendæ gloriæ continenter lætabitur animus. Turbantur hæc omnia, inquis, timore damnationis incurrendæ.

V. At cui major inest ratio infernum timendi? Illi qui sit ne infernus, dubitat, seu ignorat, utrum sit, quin & iudicat non extare; qui in inferni ignorantia vitam vivit, certus tamen est, se damnandum fore, si infernus extet; aut illi qui firmo imbutus persuasum infernum ardere, confidit se salutem affecturum æternam, eamque vivendi instituit viam quæ ab inferno prorsus declinans ad beatam ducit felicitatem?

VI. Deistarum indifferentia in religionis negotio nulla valet excusatione fucari. Quoniam aut evidentem notitiam habere illi debent, Deum non esse; aut animi tranquillitas, quam obrudunt, commentitia est. Quippe vera, & rationabilis animi pax fructus est sinceræ meditationis, quæ omne aufert timendi periculum. Quæque alia tranquillitas quæ a cognitione non proficiscitur, stupor, & insen-

sibilitas est, quæ ab ignorantia, aut obstinatione procedit. Hæc tranquillitas rationem respuit, lucem reiicit, ne stultam suam turbet pacem. Quoties anima parti se subdit animali, haud est difficile in mortalem recidere letargum; quemadmodum scelestus qui opium epotavit, mortem subiturus indifferenti animo tormenta contemplatur, usquedum morte expergefiat. Hæc stultorum Deistarum felicitas est.

C A P U T V I.

Rationes populares omnium mentibus accommodata proponuntur, quæ Deum esse evincunt.

I. **R**ationes omnino a sensibus abstractæ, & ex solis metaphysicis elicite principis parum, ut dictum est, aptæ sunt ad multitudinis saltem mentes permovendas. Quin si vel ipsos doctos demonstrationes pro eo quo compinguntur puncto devincunt, ac subigunt; elapso tali puncto, paucis post horis illi ipsi ambigunt; cavillantur, verenturque ne aliquo paralogismo decepti fuerint. Contra, rationes populares, quæ intimo sensui propinquæ sunt, semper, & ubique dominantur, & securius fortiuntur effectum, quam vel ipsæ demonstrationes metaphysicæ, quæ alioqui paucissimæ sunt. Quis negare ausit Romam, Cæsarem, bellum Cannense, & id genus similia sine numero, quamquam evidenti demonstratione probari nequeant?

II. Prima ratio popularis pro existentia Dei ab unanimi omnium gentium consensu repetitur. Quam rationem exponit Cicero *Lib. I. de natur. deor.* ubi non tam disputatur an sint, quam quid sint dii: & idcirco de natura, non de existentia deorum libri inscribuntur. Laudibus vero effert Epicurus, quod hanc rationem perspicue declaravit. *Solus enim, inquit Tullius, vidit primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quæ est omnium gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam deorum?... Quod igitur fundamentum huius questionis est, id præclare iactum videtis. Cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus; intelligi necesse est, esse deos: quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse sit. Esse igitur deos constitendum est. Quod quoniam fere constat inter omnes,*

*mmes, non Philosophos solum, sed etiam indoctos; fateamur constare illud etiam hanc nos habere sine anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem deorum. Quod paullo post Cicero scribit, multas esse gentes sic immanitate efferratas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit, id non ex se, sed ex Cottæ ore loquitur; quemadmodum alios disputantes invehit, qui cavillandi gratia dixerunt, totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus, reipublicæ causa, ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret: quam rationem potissimum exaggeravit Euhemerus cordis Atheus. Ceterum Tullius constanter scribit ibidem: Omnes duce natura eo vehimur ut deos esse dicamus. Hoc idem confirmat Seneca epist. cxvii. Veritatis argumentum est aliquid omnibus videri, tamquam deos esse, quod omnibus de diis opinio insita sit, nec ulla gens usquam est adeo extra leges morisque posita, ut non aliquos deos credat. Quod si aliquando tales reperiuntur homines qui male de diis sentiant, id vitio animi flagitiis corrupti, non defectui cognitionis a natura insitæ tribuendum est, ut inquit idem Cicero *Lib. I. Tuscul. quæst. Ut porro firmissimum hoc afferri videtur cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo hominum tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt (id enim vitioso more effici solet) omnes tamen esse vim, & naturam divinam arbitrantur. Hoc idem confirmat Livius *Lib. I.* ubi loquens de Tullo Hostilio, qui sanus negligere se deos iactabat, premente morbo illos invocavit, hæc scribit. Ipse quoque longinquo morbo est implicatus. Tam adeo fracti sunt simul cum corpore spiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratum esset mirus regium quam sacris dedere animum, repente omnibus magnis, parvisque superstitionibus obnoxius degeret, religionibusque etiam populum impleverit. Hinc ortum duxit illud proverbium: In pulicis morfu deos invocat.**

III. Altera potissima, & usitata ratio exitus universitatis aspectu, partiumque concinna distributione arcessitur. Ecquis enim vero Deum negare ausus fuerit, si in hanc mirabilem, prodigiisque intexam mundi machinam oculos coniecerit? Aciem ergo oculorum in cælestes globos desige: planetarum immensa corpora, atque Solem suspice, qui astrorum obtiner principatum, quique motum suum ita temperat, & inflectit tam ad septentrionem, cum ad meridiem, ut ætates, hiemesque, ac duo alia media tempora constituat: lucem suam sic effundit, ac partitur, quo terras

modo in his partibus illustret, modo in illis opacet. Et ex quatuor temporum mutationibus omnium quæ terra marique gignuntur, initia, causæque ducuntur. In Lunæ quoque cursu & brunnæ quædam, & solstitii similitudo: multaque ab ea manant, & fluunt, quibus & animantes alantur, auferanturque, & pubescant, maturitatemque assequantur quæ oriuntur e terra. Maxime vero persequitur Cicero *Lib. II.* admirabiles motus earum quinque stellarum quæ falso vocantur errantes: nihil enim errat quod omni tempore conservat progressus, & regressus, reliquosque motus constantes, & ratos. Quod eo est mirabilius in his stellis quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum accedunt, tum subsequuntur, tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistant. In terræ molem oculos revolve. Illam spectata in medio orbis suspensam, hærentem, stabilem, firmamque, ac undique circumfusam hac admirabili spirabilique natura: ejusdem vestitum, ornamentum, decorem varietate distinctum: metalla pretiosa, gemmasque, aurum, argentumque, quæ sinu suo includit, fovet: arborum diversitatem, florum odorem, irriguos fluvios, montium cacumina comeditare. Cogita maris miracula, fluxum, refluxumque itupendum, ejusque fecunditatem, non modo ad immentam illam piscium multitudinem, magnitudinemque procreandam, sed ad civitates commercio, & navigatione distandas. Quid si hominem, parvum mundum, quid si partem illius singulas, quarum quæque innumera claudit prodigia, scrutari velles? Qui ergo tam admirabilem ordinem, incredibilemque constantiam, qui tantam temporum convenientiam, qui denique tantam harmoniam, atque concentum, sine consilio, sine ratione, sine mente fieri posse existimat, is ipse mentis expers habendus est.

IV. Numquid mundum hunc pulcherrimum, ornatissimumque, atque motus finitos, & æquabiles ex vasta materia perpetuo motu agitata ortos dices? Numquid theatrum istud immensum ratis ordinibus moderatum, immutabilemque constantiam, effici potuisse credideris ex fortuita atomorum concussione? Hoc qui existimat fieri potuisse (inquit Tullius *Lib. II. de nat. deor.*) non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ litterarum, vel qualeslibet, aliquo coniciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescia.

scio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Isti autem quemadmodum asseverant ex corpisculis, non colore, non qualitate aliqua, quam *ῥοιζήματα* Græci vocant, non sensu præditis, sed concurrentibus temere, atque casu mundum esse perfectum? vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios nasci, alios interire? Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cæli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. Præclare ergo Aristoteles, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent, bonis, & illustribus domiciliis, quæ essent ornata lignis, atque picturis, instructaque rebus iis omnibus quibus abundant ii qui beati putantur, nec tamen exiissent umquam supra terram; accepissent autem fama, & auditione esse quoddam numen, & vim deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terra faucibus, ex illis abditiis sedibus evadere in hæc loca quæ nos incolimus, atque exire potuissent: cum repente terram, & maria, cælumque viderent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, aspexissentque Solem, eiusque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto cælo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum cælum totum cererent astris distinctum, & ornatum, Lunæque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus, & occasus; atque in omni æternitate ratos, immutabileque cursus: hæc cum viderent, profecto esse deos, & hæc tanta opera deorum esse arbitrarentur. Atque hæc quidem ille.

V. Hæc ex Aristotele Cicero, qui deinceps ipse persequitur urgere argumentationem alia non minus vivida eloquentique descriptione. Nos autem (subdit ille) tenebras cogitemus, quantæ quondam eruptione aræorum ignium frutimas regiones obscurasse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret. Cum autem tertio die Sol illuxisset, tum ut revixisse sibi viderentur. Quod si hoc idem ex æternis tenebris contingeret, ut subito lucem aspiceremus; quanam species cæli videretur? Sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum assuescunt animi: neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum quas semper vident: perinde quasi novitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Quis enim hunc

hominem dixerit qui cum certis cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, & apta viderit, neget in his ullam inesse rationem; eaque casu fieri dicat quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut spheram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis? Cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, constantissime conscientem vicissitudines anniverfarias, cum summa salute, & conservatione rerum omnium; dubitamus quin ea, non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinæ ratione?

VI. Alteram sensibus adhuc propinquorem instituit Tullius descriptionem, terrestris globi imaginem coloribus, lineamentis, & ornatis distinctam ob oculos referens: quæ, quoniam non modo elegantiam, & eloquentiam Tullianam mirabiliter præfert, sed efficax, validaque est ad Numinis cognitionem excitandam, idcirco isthuc transcribenda est. Licet enim iam (inquit ibidem) remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum, quas divina providentia dicimus constitutas. Ac principio terra universa cernatur locata in media mundi sede, solida, & globosa, & undique ipsa in se se partibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos anentium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, immensitatesque camporum. Adde etiam reconditas auri, argenti que venas, infinitamque vim marmoris. Quæ vero, & quam varia genera bestiarum, vel cicurum, vel ferarum? Qui volucrum lapsus, atque cantus? Qui pecudum pastus? Quæ vita silvestrium? Quid jam de hominum genere dicam? Qui quasi cultores terræ constituti non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferrari, nec stirpium asperitate vastari, quorumque operibus agri, insule, littoræque colucent, distincta tectis, & urbibus. Quæ si ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret.

VII. Juvat adiacere, quam persequitur, descriptionem maris, aeris, & ætheris. At vero quanta maris est pulchritudo? Quæ species universi? Quæ multitudo, & varietas insularum? Quæ amœnitas orarum, & littorum? Quot genera, quamque disparia, partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum,

par-

partim ad saxa nativis testis inhaerentium. Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari frutimus aer die, & nocte distinguitur: isque tum fusus, & extenuatus in sublime fertur; tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus; tum effluens huc, & illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates; idemque & volatus alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. Restat ultimus, & a domiciliis nostris altissimus, omnia cingens, & coercens cæli complexus, qui idem æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima ignea forma cursus ordinatos deservunt: e quibus Sol, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur, isque oriens, & occidens, diem, noctemque conficit: & modo accedens, tum autem recedens, bimas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quasi tristitia quedam contrahit terram, tum vicissim lætificat, ut cum cælo hilarata videatur. Luna autem, quæ est, ut ostendunt Mathematici, maior quam dimidia pars terre, in eodem spatio vagatur quibus Sol; sed tum congregiendi cum Sole, tum digrediendi, & eam lucem quam a Sole accepit, mittit in terras, & varias ipsa mutationes lucis habet: atque etiam tum subiecta, atque opposita Soli, radios eius, & lumen obscurat: tum ipsa incidens in unquam terra, cum est e regione Solis, interpositum, interiectumque terræ repente deficit &c. Hæc omnis descriptio siderum, atque hic tantus cæli ornatu ex corporibus huc, atque illuc casu, & temere concurrentibus efficit, cuiam sano videri potest? Aut vero alia quæ natura mentis, & rationis expert hæc efficere potuit, quæ non modo ut fierent, ratione egerunt, sed intelligi, qualia sint, sine summa ratione non possunt? Tandem concludit nihil magis esse exploratum quam argumentationem illam quæ ex mundi aspectu infert deos existere. Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, celestiaque fuimus contemplati, quam esse aliquod Numen præstantissima mentis, quo hæc regantur? Non est quod tempus terram in transcribendis aliorum Ethnicorum textibus, cum cique obvii sint.

VIII. Tibi Atheum effinge, qui templum D. Marci Venetiarum spectans enuntiet: Machina ista e montis cacumine tota devoluta in hanc pulcherrimam formam se ipsam disposuit. Lapidis ipsi, & marmora sibi fue-

runt artifices, sese dolarunt, atque in arcus, & bases sese locarunt. Pavimentum illud, tectumque tanta lapidum varietate contextum, semetipsum, artifice omni sublato, compinxit. Si quis Atheus in publica platea talia blateraret, nonne ut stultas derideretur? Quenam porro sit illius amentia dum prodigiosum hoc universi templum, immensumque theatrum fortuito factum effudit, tute index esto. Eiusmodi spiritus fortes sapientumque principios urgeas velim ut explicitæ partes unius muscæ, aut pulicis, ut artificium tam parvi corporis exponant. Videbis illos velut pulices, & muscas obmutescere.

CAPUT VII.

Scriptura sacra, & Patrum sententiis eadem veritas illustratur.

I. Quas rationes ethnici Scriptores promunt in Divinitatis favorem, eas prius tradiderant divini Scriptores Deo ipso revelante, easque postea fuso calamo explicarunt Patres. Non est ergo infirmum, sed validissimum argumentum ad vincendos Atheos, si ostenderimus tum Ethnicos, tum Dei Prophetas, tum Christi Doctores in eandem conspirare sententiam, eisdemque rationibus evincere Deum esse. Porro Propheta David innatam nobis esse Dei cognitionem scribit Psalm. iv. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Subdit vero, calos ipsos Dei maiestatem prædicare: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Dies die eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Psalm. xviii. Propheta Iobus cap. xii. Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi: & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod manus Domini hæc omnia fecerit? Auctor Libri Sapientie cap. xiii. A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Itaias cap. vi. Plena est omnis terra gloria ejus. D. Paulus ad Rom. i. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.

II. Quod vero rei summam conficit, est quod Deus ipse, qui tam conceptis verbis se in operibus suis videndum omnibus exhibuisse testatur, prædicat, impios fore qui pravo corde, quamquam repugnante mente, illum negaturi sint: Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: Psalm. xlii. Item Psalm. lxxii. Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis? Item Psalm. xciii. Viduam, & ad-

ve-

venam interfecerunt, & pupillus occiderunt; & dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Tandem D. Paulus ad Rom. 1. Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.

III. Multitudo ergo Atheorum, qui his corruptissimis temporibus Deum impio corde, & ore blasphemio negant, mirum in modum Deum esse confitentur. Quandoquidem eorum impietas tamquam evidens argumentum nobis ostendit verissimas esse Dei prædictiones, quibus revelavit scelestos, perfidosque fore, qui ad extremum prolapsi iniquitatis, Iudicem de throno deicere vellent, ut criminum poenas evaderent.

IV. Aliqua Sanctorum Patrum testimonia in medium afferamus. Athanasius fuso, ac elegantissimo calamo argumentum istud pertractavit in Libro contra Gentiles. Pauca dumtaxat huc transcribam. *Ecquis vero est (inquit) qui caelestem orbem intuens, ac Solis, Lunaeque cursus, & reliquorum situs, conversionesque siderum, quæ tametsi inter se differunt, eundem tamen ordinem sine ulla varietate retinent, non statim intelligit, non a seipsis illa regi, sed esse alterum qui hæc moderetur & contineat, auctorem eorum, & opificem? Qui orientem per diem Solem aspiciens, & splendentem nocte Lunam, eademque paribus semper interiectis spatiis incrementa, ac decrementa capientem; cum stellarum alias discurrentes, miraque varietate cursus suos peragentes, alias circa evagationem constanti agitatione conversas; non aliquem esse sentiat qui iis præsit, a quo sunt condita? Et paulo post subdit: Necessè est cogitari aliquem, animoque percipi Dominum, qui in unum ista coegerit, ac devinxerit, atque ad societatem & concordiam adduxerit: qui tametsi non videtur oculis, ex ordine tamen, & dissidentium invicem rerum, ac sibi multum adversantium colligatione cognoscitur. Nam ut civitatem amplam, ac magnificam si quis videat ex immensa hominum multitudine collectam, quorum non unus habitus sit ac conditio; sed alii pusilli sint, aut magni: alii divites, aut egentes; senes item, ac iuvenes; mares, ac femina: eosdemque omnes animadvertat recte, atque ordine vivere inter se, summa pace, & concordia, ut neque divites contra pauperes insurgant, neque magni contra pusillos, & neque adversus senes adolescentes; sed iuris inter se aequalitatem constantem teneat: hæc, inquam, si viderimus, statim cogitabimus adesse ibi Principem aliquem, qui*

hanc tranquillitatem publicæ pacis administrat; etsi nondum oculis eum nostris adspeximus. Propterea quod & ordinis perturbatio, nullum esse qui præsit, indicio est, & ordo ipse gubernatorem ostendit. Sic dum in corpore membrorum inter se concordiam videmus, in quo neque oculus cum aure pugnat, neque manus a pede dissidet; sed unumquodque citra dissensionem munere suo, & officio fungitur: ex eo profusus intelligimus, animam in illo inesse corpore, quæ hæc omnia moderetur, quamvis oculis ea non sit exposita. Sic ex universitatis ordine, ac concentu Principem, & administratorem intelligi necesse est Deum.

V. Gregorius Nazianzenus oratione xxxiv. *Etenim quod Deus sit, inquit, ac princeps quadam causa, quæ res omnes procreavit, atque conservet, cum oculi ipsi, tum lex naturalis docet: illi dum res aspectabiles intendunt, easque & pulchre fixas, & stabiles esse, & progredi, atque immote, ut ita dicam, moveri, voluque perspicunt; hæc autem dum per res oculis subiectas, ac recto ordine collocatas, auctorem eorum coniectura quadam colligit, & assequitur. Quoniam enim modo universa rerum hæc moles vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum natura protulisset, atque conservaret? Quomodo enim quispiam citharam pulcherrime videns elaboratam, eiusque concinnitatem, & ordinatam dispositionem; aut etiam citharæ cantum ipsius audiens, nihil aliud quam citharæ fabricatorem, ac citharæ cogitabit, & ad ipsum recurreret animo, etiamsi de facie minime cognoscat: sic etiam nobis eorum quæ condita sunt, artifex, eaque movens, & conservans causa manifesta est, tametsi mente non comprehendatur. Ac nimis profecto hebes & stolidus est qui non hucusque sponte progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigia sequitur.*

VI. Sanctus Ioannes Chryostomus sua populari, ac validissima eloquentia hoc idem argumentum pertractat in Psalm. xlii. *Non est fundamentum, (inquit) & quomodo stat edificium? Non est carina, & quomodo consistit navigium? Non est fabricator navis, & quomodo navis compacta est? Non est edificator, & quomodo domus facta est? Non est architectus, & quis urbem condidit? Non est agricola, & quomodo agri tulere manipulos? Non est musicus, & quomodo in mundi lyra apparet concertus? Non est qui provideat, & quomodo per omnia perveniat providentia? Non est auriga, & quomodo elementorum quatuor currus agitur? Non est statuarius, & quomodo*

do homines veluti quedam statuæ in mundo facti sunt? Non est fornicis constructor, & quis tibi cali fornicem construxit? Non est artifex, & quis veluti discum aureum tanquam in mensa Solem in calo posuit? Non est qui ferat lampadem, & quis tibi velut lampadem argenteam dedit Lunam in nocte? . . . Quæcumque in mundo sunt, aguntur, & exercentur, habent qui eis præsit, eaque perficiat; & solus mundus non habet qui cum administrat?

VII. Post Patres Græcos ex Latinis in medium prodeat solus Augustinus, aliis plurimis omissis. Porro is in Psalm. lxxiii. prope finem hæc scribit. *Videat qui potest, credat qui non potest, esse Deum. Et si videt qui potest, nunquid oculis videt? Intellectu videt, corde videt. Non video, inquit, quid creditur sum? Anima enim tua videtur, ut opinor? Stulte, corpus tuum videtur; animam tuam quis videt? Cum ergo corpus tuum solum videatur, quare non sepeliris? Miratur, quia dixi: Si corpus tuum tantum videtur, quare non sepeliris? Et respondet (sapit enim ad hoc) quia vivo. Unde scio, quia vivo, cuius animam non video? Unde scio? Respondet, quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnosco viventem: ex operibus creatura non potes agnoscere Creatorem? Et forte quis dicit: Cum mortuus fuero, postea nihil ero. Et litteras didicit, & ab Epicuro didicit hoc, nescio quo delirio Philosopho, vel potius amatore vanitatis, non sapientia, quem ipsi etiam Philosophi porcum nominaverunt. Si plura cupis, lege Lactantium Lib. II. cap. viii. & communiter Patres omnes, quos brevitas gratia prætereo.*

C A P U T VIII.

Demonstratur unum esse Deum consensione tum ipsorum Gentilium, tum Patrum, & ratione.

I. **D**Eum esse, hucusque probatum est. Ego sum, inquit Deus ipse: subdit vero: Non habebis deos alienos coram me: Exod. xx. Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est: Deut. vi. Reliquum est ergo ut ostendatur, hunc Deum, quem existere evicimus, unum esse. Hoc parro primum evincitur consensu ipsorum Gentilium. Seneca Lib. IV. de beneficiis cap. vii. *Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes eius possunt esse, quæ munera. Hunc & Liberum Patrem, & Herculem, ac Mercurium nostrum putant. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia*

Conc. Theol. Tom. I.

eiusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate. Clarius hoc asserit Lib. II. nat. quæst. cap. xlv. Illos vero altissimos viros error iste non tenuit. . . . Sed eundem, quem nos, Iovem intelligunt custodem, rectoremque universi, arimum, ac spiritum, mundani huius operis dominum, & artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. . . . Vis illum providentiam dicere? recte dices. . . . Vis illum naturam vocare? non peccabis. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum quod videt, totus suis partibus inditus, & se sustentans visus.

II. Maximus ethnicus epistola data ad S. Augustinum hæc scribit: *Equidem unum esse Deum summum, atque magnificentum, quis tam demens, tam mente captus, neget esse certissimum? Huius nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen eius cuncti proprium ignoremus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit ut dum eius quasi quadam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profecto videamur. Onatus Pythagoricus hæc habet: Reliqui dii erga primum summumque mente cognoscendum sic se habent ut chorus ad coriphæum, & milites ad ducem. Plato epistola ad Hermeam & Coriscum apud Stobæum in Eclogis scribit: Opificem dixit Principem omnium deorum & qui sunt, & qui futuri.*

III. Lactantius Lib. II. cap. i. *Cum iurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Iovem, aut deos multos, sed Deum nominant. Adæo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit. Hoc ipsum docent Iustinus, Clemens, Eusebius, referuntque sequentes versus.*

*Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Qui calum, & amplum condidit terre
globum,
Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.
Plerique nostrum, mente sed capti, deum
Simulacra nobis, ceu mali solatium,
Cum saxea, atque acerva consecravimus,
Sive aureas, eburneasque imagines.
Sacris & istos colimus: his festos dies
Agimus: pios hoc esse nos remur modo.*

IV. Atque ut plurimos mittamus Scriptores ethnicos, D. Augustinus ipse testatur pluribus in locis Gentiles Philosophos unum coluisse Deum. Libro namque de Civ. Dei IV. cap. vi. hæc scribit: *Modo autem ne sit necesse percurata discurrere, Deus, de quo multi a Poeta nobilissimo dictum putant:*

Deum namque ire per omnes

B

Ter-

Terrasque, tractusque maris, calumque profundum:
ipse in aethere sit Iupiter, ipse in aere Iuno, ipse in mari Neptunus &c. Persequitur illorum plurimos recensere deos deasque: deinde concludit sic. *Hæc omnia quæ dixi, & quæcumque non dixi (non enim omnia dicenda arbitratus sum) hi omnes dii, deæque sit UNUS Iupiter: sive sint, ut quidam volunt, omnia ista partes eius, sive virtutes eius, sicut eis videtur quibus eum placet esse mundi animum: quæ sententia velut magnorum, multorumque doctorum est. Hæc si ita sunt (quod quale sit, nondum interim quæro) quid perderent, si unum Deum colerent, prudentiore compendio?*

V. Ratio cur Divinitatem tot in membra tribuerint, duplex. Altera fuit vana spes multiplicandi patronos, suorumque fautores criminum. Altera vitiorum caligo, quæ insitam de Deo cognitionem obscurabat. Hinc est quod Ovidius scripsit Lib. I. Trist. Eleg. 2.

Sæpe, premente deo, fert deus alter opem.

Iupiter in Troiam, pro Troia stabat Apollo.

Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Oderat Æneam propior Saturnia Iuno;

Ille tamen Veneris numine tutus erat.

Et nobis aliquod, quamvis distemus ab illis,

Quid vetat irato numen adesse deo?

VI. Tandem Minutius in Octavio unitatem Dei in rationalis naturæ institutum revocat. *Audio vulgus (inquit) cum ad cælum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt: & Deus magnus est: & Deus verus est: & si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confidentis oratio? Tertullianus in Libro quem de testimonio animæ adversus Gentes inscripsit, inducit Gentiles naturæ instinctu sic effantes: Quod Deus dederit. Si Deus voluerit. Deus bonus est. Deus benefacit. Benedicat te Deus. Deus videt omnia. Deo commendo, & Deus reddet. Deus inter nos iudicabit. Plura similia habet in Apologetico cap. xvii. O testimonium animæ naturaliter christianæ! Isthuc denique respiciunt versus illi Prudentii ex Apotheosi.*

*Æquis in idolio recubans, inter sacra mille
Ridiculosque deos venerans, sale e cespite,
thure*

Non putat esse Deum summum, & super omnia solum?

*Quamvis Saturnis, Iunonibus, & Cythereis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras,
Attamen in cælum quoties suspexit, in uno
Constituit ius omne Deo; cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.*

VII. Rationes quibus Dei unitas splendet, perstringuntur. Dei notio eam nobis naturam ingerit qua nulla excogitari perfectior, sublimiorque possit. Individua ergo est. Si enim in alias dividua naturas foret, hæc mutuo distingui deberent. Hæc autem distinctio aliqua fieret perfectione qua alterter deorum careret. In uno ergo Deo quædam fulgeret prærogativa quæ alteri deesset. Hoc autem repugnat, Unum itaque esse Deum necessum est. Hanc rationem tradit D. Thomas I. Part. quæst. xi. art. 3. Eandem prius exposuerat Tertullianus Lib. I. contr. Marcion. cap. iii. *Deus, si non unus est, non est: quia dignius credimus non esse quodcumque non ita fuerit ut esse debebit: Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter invenies: nimirum summum magnum, quod unum sit necesse est, par non habendo, ne non sit summum magnum.*

VIII. Hanc rationem urgere ulterius possumus eodem Tertulliano præeunte. Deitas dividua si esset, nullus definiri posset deorum numerus: nulla quippe natura dividua certum, præfinitumque numerum habet, ultra quem egredi nequeat: si enim in duos propagari deos possit, quidni in centum? cur non in mille? Immo cum natura divina perfecta sit, secundior quoque existat oportet; atque adeo in plurimos se effundere deos deberet. Quam rationem sic edisserit Tertullianus loc. cit. cap. v. *Quæ ratio duo summa magna composuit? Primo enim exigam, cur non plura, si duo? . . . Quæcumque ratio plura summa magna non patitur admitti, eadem nec duo, ut ipsa plura post unum. Post unum enim numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura post.*

IX. Aliæ plures adduci rationes solent, videlicet: Deus in quocumque perfectionis generè infinitus est: continet ergo perfectionem quamlibet. Mundus unus est: unus igitur sit gubernator oportet. Nam nec navis (inquit Athanasius orat. contr. Gentes) a multis gubernata recto cursu ferri potest, nisi eius clavum unus tenuerit: nec lyra a multis pulsata perfectum concentum efficiet, nisi musicus unus eam percusserit. Accedit quod Deus, cum sit summum bonum, quo melius excogitari non valet, & ultimus finis, plene saturans hominum appetitionem, nisi unus esse nequit. Alioquin nec summum bonum, nec ultimus finis esset. Si enim plures essent, nemo esset omnipotens, nemo undequaque felix, nemo beatus: eo quod quisque aliquid haberet quod deesset alteri.

CA.

CAPUT IX.

*Causa cur scelesti in Atheismum prolabantur.
Hæc confirmant Religionis veritatem.*

I. SI innata, insitaque animis est unius Dei cognitio, quid causæ est cur tot Athei reperiantur? Exhibita superius ratio fuit. Clarius nunc Atheismi causæ referantur.

II. PRIMA est propriæ felicitatis vitiosus amor: est motus quidam irrequietus qui animum continenter urget, impellitque ad conquirendam, assequendamque omnium appetitionum satietatem. Hanc vero quietem, & appetituum exsatisfactionem iis in rebus homo collocat quæ rationi dissonant, quæque Dei iustitiam violant, provocantque vindictam. Hanc intestinus conscientia iudex intimat, prædicat. Istius vindictæ consideratio animi quietem interturbat, cordisque lætitiâ carnalibus delectationibus partam, amaritudine aspergit. Hinc cor velut mare fervens, & spumans modo huc, modo illuc mentem inflectit, ut rationes vel apparentes saltem effingat quæ Deum vindicem de medio tollant: quandoquidem fieri nequit ut plene gaudeat, fruaturque terrenis deliciis, quousque supremi Iudicis animo infidet persuasio. Hinc est quod Pagani proprias suas appetitiones diis suis tribuerunt, eosque effecerunt adulteros, fornicatores, fures, & quid non? Qua facta positione, haud timebant deos suos pœnas ob ea crimina inflictuos quorum ipsi forent participes. Quapropter si (quod fieri nequit) Deus permitteret, simulque adprobaret libidinem, fornicationem, adulteria, ceteraque carnalia desideria; Athei tota mentis indagine rationes perquirent Dei existentiam demonstrantes. Nullum sane non moverent lapidem, ut omnes in Dei cognitionem adducerent, suaderentque Scripturam sanctam verbum Dei esse. E contrario, quia omnia præfata crimina Deus æternis suppliciis punit, idcirco huius divinæ potestatis imperio se subducere vellent.

III. SECUNDA causæ Atheismi, quæ primæ veluti furculus est, impotens, effrenisque animi ambitio nuncupatur. Continuo ac homines se vitis dederunt, illud iisdem in mentem venit, ut supra ceteros sese erigere, eminenterque. Porro ut magno habeantur in pretio, exquisitæque mentis, atque acerrimi iudicii famam sibi aucupentur, eas ineunt vias a quibus alii cuncti longe absunt. Ceteros derident, tamquam vulgus imbecillæ mentis, nimiumque meticulosi a-

nimi. Foras illi quemque emittunt timorem; quocirca appellantur *spiritus fortes*, seu feroces, & belluini. Eo usque isti insaniant, ut sibi gloriæ vertant horrendas eructare blasphemias. Argumenta luculentissima risu excipiunt, atque incredibili contemptione reiciunt, spernuntque. Atheismi genus, omnium pessimum est. Quoniam non modo cor vitiorum lue infectum, corruptumque est; sed & tanta caligine, totque spissis tenebris mens obducitur, ne oculi lucem vel meridianam videant, auresque voces resonantes minime audiant.

IV. TERTIA causæ ignorantia est. Soror ignorantia, & inscientia superbia est. Vix reperitur qui se ignorantem fateri velit, & indoctum. Porro ut huic ignorantia velum aliquod prætendant, spectrum scientiæ iactant, qua ab aliis distinguantur. Inter plurimos cordis Atheos qui hac tempestate vivunt, quot sunt qui, antequam in hoc malorum profundum deventerint, serio Paulum Apostolum legerint, sacraque Biblia sint meditati? Qui sunt qui sincero corde Deum quæsierint, rationesque, & argumenta manifesta, quæ illum esse, & hunc gubernare mundum evincunt, serio expenderint? Nemo unus. Et quanto magis in summa rerum omnium ignorantia versantur, eo fidentiores sunt, maiorique præsumptione feruntur: quod ipsi, mentis licet obtusæ, vitiiisque inquinatæ, non percipiunt, fracta audacia pernegant: vanas suas cogitationes ceu oracula fundunt, & veluti mathematicas demonstrationes disseminant in vulgus. Istius rei exemplum supeditat *Benedictus Spinoza*, cuius paralogismi, quos demonstrationes fidenter appellat, non aliis nituntur fundamentis quam suis commentitiis ideis, fictisque perceptionibus, quibus re nihil respondet. Quare definitiones, & axiomata, quæ suis confictis cogitationibus adscribit, tametsi eisdem consentanea forent, rebus tamen quæ extra fictas ideas existunt, haudquaquam convenire possunt, ut viri doctissimi animadverterunt.

V. QUARTA causæ quæ viam sternit ad Atheismum, frequens est disputatio de existentia Dei. Rationabile sit obsequium nostrum oportet, Paulo Apostolo teste. Fidei, Religionisque nostræ rationem petenti reddere lex ipsa iubet. Quare quisque propriæ professionis principia, instituta, regulas plus minusve callere tenetur. Qui vero aliis præfunt, aut gradu & dignitate eminent, exquisitori eruditione, & scientia ornati sint necesse est. Quælibet tamen cognitio suæ ma-

B 2

te-

teriae respondere debet. Si res de qua disputatio oritur, obvia sit, & manifesta, haud debet in acrem adduci contentionem. Quid, si non modo aperta, sed summi quoque momenti sit? Porro Deum esse per se notum est. Hæc veritas civilis societatis, commercii, felicitatis, religionis, beatitudinisque principium est, & finis istius veritatis lumen signatum super vultum nostrum est, animisque insita, atque innata cognitio. Quod sobria, ac demissa meditatione rationes quæ hanc fovent cognitionem, atque meliori in lumine veritatem constituunt, scrutemur, studium est dignum laude. Quod itidem momenta ista illis referentur, qui non vana contendendi cupiditate, levique ducti curiositate, sed proficendi, divinæque cognitionis comparandæ desiderio ducti, eadem sibi explicari postulant; nemo est qui improbet, dummodo temperate id fiat. Verum si Dei existentia, sicut ceteræ veritates levioris momenti, aleæ committatur disputandi, & contendendi; magna inde consequi damna experientia patefacit. Tremenda Dei maiestas non altercandi, argutandique materies, sed profundæ venerationis, timoris, ac cultus obiectum est. Quid ergo indecentius quam publico certamini exponere ipsum divinum esse?

VI. Excusari hæc disputationes solent, excendæ mentis prætextu, veritatisque clarius enucleandæ gratia. Nostræ ne exercitationis materia, suprema Divinitas erit? Quamquam antiquorum Philosophorum disputationes de Deo non eo tenderent, ut Deum negarent; quin utraque ex parte argumenta adversus Deum obiecta solvebantur; tamen non parvam dubitandi ansam dederunt. Nihil adeo populo nocet quam sapientum dissidia. Raro ergo de Dei existentia disputandum. Nec enim consentaneum est ut intertheses quæ exponi solent, quarumque materia interdum sunt spatia imaginaria, relativæ perfectiones, distinctiones attributorum aut ex rei natura, aut virtuales, idque genus similia, Dei existentia collocetur. Quod si & hæc in disputationem quandoque publicam adducenda sit, magna cautione opus est, summoque respectu, & veneratione. Formidandum namque, tremendumque est Dei nomen. Illius tronus, necessitate sublata, nec exercitii gratia litterariæ pugna committi debet.

VII. Plurimæ aliæ sunt causæ quæ in Atheismum homines pertrahunt. Mentis obtusæ stupiditas, animique torpedo non parum in extremum illud influunt. Supina illa negligentia meditandi, examinandique librum

hunc totius universi apertum, mentis induciæ cecitatem, cordisque duritiem. Omnium tamen caussarum potissima crimina sunt, & flagitia. Hæc tamen insitam de Deo cognitionem non evellant, bellum tamen intestinum Deo semper indicunt. Quemadmodum demones vident, & contremiscunt; sic peccatores vident nolentes videre. Totonisu adlaborant, totoque impetu conantur Dei notitiam de mente delere, sed irritò semper conatu. Perverso corde, ac prava voluntate scelesti Deum negant, uti prædixit Deus ipse; sed mente confitentur, quamvis & hoc ore tenus negent.

VIII. Probitas quam extrinsecus Athei ostentant, commentitia est, & subdola. Humanitatem, comitatem, æquitatem, eaque omnia quæ mutuam, civilemque hominum societatem fovent, illi præferunt: animi tranquillitatem, mentis serenitatem, cordis lætitiæ iactant; sed per summum mendacium. Larvis se tegere student, ut impietatem occultent. Ceterum dum solâ mutuo animi sensa aperiant, tunc quæ sit eorum honestas, palam faciunt. Hi *spiritus fortes* herocesque temporalia supplicia luere verentur: quippe non *fortes* isthic, sed meticulosi pavidique. Oculis hinc conspiciunt triremes, carceres, funes, laqueos, gladios, ignem, aliaque immanium tormentorum instrumenta: idcirco fortitudo eorum vana est. Quia vero infernus, qui omnia complectitur supplicia, peccatorumque severitatem, oculorum fugit aciem, nullum illis timorem incutit. Adversus Deum fortes, in conspectu hominum pavidus sunt. Plura inter exempla quæ huc transcribere possem, unum recensere, quod, quæ sit istorum animi integritas, morumque honestas, patefacit. Ferunt apud Nieuvventyt *serm. præd.* Benedictum Spinozam talia effari solitum fuisse. *Tametsi cognitio naturalisque intelligentia, qua iam imbutus sum, falsa esset, non propterea minus apta est ad me felicem constituendum interea, dum deliciis affluo, vitamque transigo non lacrymis & suspiriis, sed tranquillitate, gaudio, atque oblectamenti plenam.* Consule *epist. xxxiv. ad Blyenberg.* additque Nieuvventyt, Spinozam nec sanum, nec morti proximum, umquam fuisse passum, ut vel ipsi amici de futura vita quidquam commemorarent, ne lætitiæ, gaudiumque præsens interturbarent; verius ne intestinam laniam exasperarent.

IX. Ex hucusque disputatis tria colliguntur Atheorum genera. Unum est mentis, seu intelligentiæ, quod Deum negat. Aliud est volun-

tantatis, quod Deum esse nollet. Tertium memoriæ appellari potest; eorumque proprium est qui Dei numquam recordantur, ac in illius continua oblivione dies ducunt suos, vivuntque ac si Deus non esset. Huic triplici impietatis generi tres respondent Atheorum species. Primi Athei veri nuncupantur, qui tum mente, tum voluntate Deum pernegant. Secundi Deistæ vocitantur, qui naturali rationis lumine coacti Deum unum confitentur, sed nullam in eo providentiam, iustitiamque venerantur. Eum intra se sistere, quæ vero extra illum sunt, nullo modo curare, effutiunt. Tertii vocantur neutrales, seu indifferentes, qui nec credunt, nec impugnant Religionis mysteria; sed loco problematum eadem habent. Primi obsecrati, secundi dementes, tertii tum dementiæ, tum cæcitatibus quidquam participant. Non vacat nunc rationes afferre adversus hæc duo postrema impiorum genera. Alibi hoc fiet. Quamquam, semel admissò uno Deo, necessario consequitur eundem optimum, æquum, providumque esse: & cum dominus, & gubernator sit totius universi, fieri nequit quin istius curam habeat, illudque regat, atque eidem propiciat.

CAPUT X.

Quædam Paganorum obiectiones solvuntur.

I. UNUM Deum agnovisse Paganos probatum est. Hæc eorum cognitio tot fuit tenebris circumseptæ, ut reipsa creaturis, seu simulacris Divinitatem tribuerent, thufque adolerent. Porro ut suum excusarent Polytheismum, opponebant, Christianos ipsos plures colere deos. Siquidem in Bibliis nostris habentur hæc: *Non est similis tui in diis, Domine. Ego dixi, Dii estis.* Verum hunc textum optime explicat Catechismus Romanus, inquis Part. I. de primo art. symb. num. 8. *Neque vero nos moveat quod interdum sacra Littera Dei nomen creatis etiam naturis imponunt. Nam quod Prophetas, & Iudices deos appellarunt, non gentium more factum est, quæ sibi plures deos frulte, & impie finxerunt; sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem.*

II. Opponunt secundo Pagani, Christianos adorare Trinitatem, Patrem nempe generantem Filium, huncque una cum Patre producentem Spiritum sanctum. Respondent Patres, potissimum S. Cyrillus *Lib. IV. & Lib. VIII. contra Iulianum*, Christianos unum solumque adorare Deum in tribus personis distinctis, quæ sunt eiusdem omnino naturæ,

& essentiæ. Quare licet personæ distinctæ invicem sint, cum natura una omnino semper & eadem remaneat, unus quoque Deus perseverat.

III. Etiam nos, inquit tertio loco Pagani, unum Deum colimus qui ceteris omnibus aliis diis, utpote inferioribus, præset, tamquam suis ministris. Idque ceteros inter exaggerat Maximus Madaurensis *epist. xli. r. nunc xvi. ad S. Augustinum*, cuius verba supra dedimus. Verum habet. Deum unum cognoverunt Pagani, idcirco magis impii, quod ut Deum non glorificaverunt; sed, inquit D. Paulus ad Rom. 1. vers. 25. *commutaverunt veritatem Dei in mendacium; & coluerunt, & servierunt creatura potius quam Creatori.* Hos siquidem deos inferiores progenitos a supremo Deo asserbant, & suapte natura mortales, immortalesque effici virtute supremi Dei. Homines ipsos Senatus Romanus in deorum censum perscribebat, & non raro hominum nequissimos. Nec est quod opponant Pontificem quoque Romanum sanctos viros colendos populo sistere: quoniam aliud est diis, aliud est sanctis aliquem accensere. Dum Pontifex aliquem mortalem declarant sanctum, non Deum, aut Divinitate donatum decernit; sed Dei servum, fidelemque divinæ legis observatorem, atque adeo Dei amicum. Quid plura? Diis suis scelestiora crimina adscribebant, videlicet furta, adulteria, stupra, raptus. Et quamquam Iulianus D. Cyrillo responderet, hæc proba diis tributa commenta esse poetarum, ut colligitur ex *Lib. II. contr. Iulian.* nihilominus D. Athanasius *oratione contr. gent. num. 16.* datam responsum sic refellit: *Si quæ Poeta narrant, commentitia & falsa sunt, falsa quoque erunt Iovis, Saturni, Iunonis, Martis, aliorumque nomina &c. Lege eum ibi, ubi plurima habet. Lege quoque Lactantium Lib. I. Inst. cap. xvi. Si enim dii matrimonio iuncti filios procreant: vel ergo iis nascuntur quotidie filii novi, cum non vincantur ab hominibus fecunditate; & sic innumerabilem deorum plena sunt omnia, nullo scilicet moriente. Cur ergo tam pauci coluntur?* Lege ibi plura.

IV. Opponunt iterum, eodem modo Pagani colere deos inferiores, quo Christiani catholici colunt Angelos, Martyres, Sanctosque suos: non tamquam summum Deum, sed tamquam Dei amicos, & servos. Nonne quedammodum Pagani a Cerere fruges, a Baccho vinum, a Segetia segetes, a Marte fortitudinem, a Iove Statore victoriam, de quo vide Augustinum *Lib. IV. de Civ. Dei cap. 1.*; ita

& Christiani a D. Lucia oculorum valetudinem, a D. Vincentio Ferrerio donum contritionis, a D. Apollonia a dentium dolore indemnitate sperant? Cur ergo damnantur Pagani?

V. Huic difficultati, quam Maximus Madarenfis Ethnicus simul & Afer opponebat Augustino *epist. xlii.* scripta ab eodem Maximo, responder ipsemet Augustinus *epist. xlii.* nunc xvii. *Scias a Christianis catholicis, quorum in vestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari, quod sit factum, & conditum a Deo: sed unum ipsum Deum, qui fecit, & condidit omnia. Differunt ista latius &c.* Pluribus in locis latius de hoc disputat. *Lib. XX. cont. Faustum cap. xx.* hæc habet: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quavis in memoriis Martyrum constituamus altaria.* Vide S. Cyrillum *Lib. VI. cont. Iulianum.* Discrimen ergo maximum deos inter Paganorum, & Sanctos Christianorum est. Pagani diis suis, quantumvis supremo Deo subiectis, divinitatem tribuebant, illisque sacra faciebant; nos vero nulli Sanctorum divinitatis quidquam tribuimus, hostias minime litamus, nec templa consecramus; sed uni Deo hæc omnia exhibemus in Martyrum memoriam, atque sub Sanctorum auspiciis. Et quamquam nos Christiani patrocinia Sanctorum apud Deum imploremus pro errorum diversitate, modo hunc, modo illum invocantes; non ideo tamen credimus unum præsidere huic rei, alterum alteri; sed id agimus, quia scimus Deum servis suis singulis sua varia dispensare dona, prout vult: ut inquit Augustinus *epist. cxxxvii.* nunc lxxviii. *Non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dilucidationem spirituum; ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit qui d'vidit propria, prout vult.* Sileo plura alia discrimina, videlicet quod Pagani deos suos flagitiosos constituiebant, adulterum Iovem, stupratorem Herculem, Venerem impudicam: qua de re vide S. Cyrillum *Lib. VI. contra Iulianum.*

VI. Tandem nemo non videt, quantum idola & simulacra Ethnicorum discrepent ab imaginibus Christianorum. Pagani idola sua ut numina colebant, iisdem sacra faciebant, erantque imagines bestiarum, ac hominum scelestorum. Contra Christiani imagines San-

ctorum nec colunt ut numina, sed tamquam signa eadem venerantur quæ representant merita, & morum sanctitatem fervorum Dei; nec illis quidquam Divinitatis inesse credunt, aut illis hostias litant.

VII. Ultimo loco obiiciunt Pagani, se a diis suis plura beneficia consecutos esse, illorumque simulacra locuta fuisse, atque futura prædixisse. Ad simulacra quod attinet, negamus futura revelasse, aut voces humanis similes edidisse; sed aut sacerdotum non raro intra simulacra loquentium fraudibus, aut vi daemonum, aut ex vehementi adstantium imaginatione contigisse. Plutarchus, & Livius docent. Addimus non raro daemones in præiatis simulacris locutos fuisse: qua de re lege Latantium *Lib. II. Instit. cap. xvii.* Porphyrium *Lib. de Daemon.* Nec omittendus est D. Thomas, qui 2. 2. *quæst. cxxxii. art. 6. ad 1.* docet, divina dispensatione quandoque permitti ut daemones, falsique prophetæ vera prædicant, ut patet de Baalam; nunquam vero in falsæ, sed in veræ Religionis confirmationem. Beneficia quæ se assecutos Pagani asserunt, non a flagitiosis suis diis, sed a vero unico sanctissimo Deo eadem acceperunt; quippe qui Solem suum super bonos, maloque oriri facit.

VIII. Portenta quæ a suis patrata iactant; ut Apollonium Tyaneum loquentem coram Domitiano evanuisse, templum ianuis clausis ingressum, puellamque defunctam revocasse ad vitam, Philostrato teste; Vespasianum cæco-visum restituisse, referente Tacito, & Suetonio; Claudiam Vestalem cingulo navem traxisse, et aliamque Vestalem aquam cribro hausisse, & gestasse: mera præstigia daemonum fuere, ut docet de duabus Vestalibus scribens Lactantius *Lib. II. Instit. cap. xvii.* Apollonium Tyaneum fuisse insignem magum, omnibus compertum est. De cæco sanato a Vespasiano Tacitus ipse scribit *Hist. Lib. IV. cap. lxxxii.* illius cæcitatem non fuisse tantam ut artem naturalem excederet.

IX. Nec majoris auctoritatis est illud quod de Hadriano narrant. Inquiunt Hadrianum cæcam mulierem videntem effecisse, & Pannonium natum cæcum visione solo conatu donasse, ut narrat Spartianus, qui tamen subdit: *Quavis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemorat, per incantationem, & magica remedia.* Optime hac de re scribit Salmastus *Hist. Aug. in Spartianum.* *Omnia quæ hic Spartianus narrat vere facta, et Marius Maximus simulata, & ficta esse commemorabat, & ad hoc tantum excogitata ab Antiocho Pio.*

Pio, ut Hadrianus in spem recuperandæ salutis induceretur, qui ideo se occidere tentabat, quod eam recuperare posse desperaret. Hoc ut prohiberet Antoninus, & Hadrianum bono animo esse iuberet, quasi brevi convalesciturum, hac illum arte & simulatione aggressus est. Induxit mulierem quamdam quæ diceret somno se monitam, ut insinuaret Hadriano ne se occideret, quod esset bene valiturus, quod cum non fecisset, esse cæcaturam &c. . . Hæc sunt quæ per simulationem facta commemorabat Marius Maximus.

X. Obiiciunt Epicurei: Atomorum conjunctiones, & meonesque infinitæ sunt. Infinitum natura sua omnes motus, nexus, & partium posituras comprehendit. Si possibilis aliqua partium dispositio foret quæ non esset in hoc infinito sinu comprehensa, iam infinitum non esset infinitum; illud enim cui addi, vel detrahi aliquid potest, infinitum non est. Porro istius universi dispositio, partiumque mirifica distributio, & connexio, dubio procul inter possibles conjunctiones continetur. Ergo infinitæ atomorum positiones, & fortuiti motus, hanc quam nunc videmus, comprehendunt rerum posituram. Exemplo res clarior evadet. Fac esse infinitas litterarum alphabeti posituras successivo fortuito motu nexus: omnes positiones possibles in hoc infinito concludunt. Ilias Homeri non aliud est quam litterarum diversa positio. Ergo Ilias Homeri concluditur in hac infinita positionum collectione.

XI. Hoc est Epicureorum argumentum, quod exaggerant recentes Athei. Nihil tamen absurdum, nihil magis commentitium. Infinitum successionem non excipit, neque divisionem: infinitum successivum, & dividuum chimæra est manifesta. Quod enim successivum, & dividuum est, additionem, aut diminutionem admittit: idcirco infinitum non est. Numero quippe motuum, quem Epicurei infinitum supponunt, semper addi, aut detrahi unitas potest. Ergo infinitas hæc chimærica est. Accedit quamlibet unitatem esse finitam; at finitum additum finito numquam efficit infinitum. Itaque si reapse infinitæ essent atomorum positiones, in hac infinita morum collectione contineretur dubio procul etiam præsens rerum positura. Verum quia chimæricum prorsus est hoc positionum atomorum infinitum, ideo argumentum Epicureorum futile est. Nec est quod opponas, Deum ab æterno potuisse creare mundum: quoniam admissio ente necessario perfectissimo, non apparet, ut multi contendunt, repugnantia cur non

potuerit Deus ab æterno mundum creare: quoniam tum iam est ens necessarium, cetera omnia movens, & a quo cetera omnia diriguntur. At, excluso in Epicureorum sententia ente necessario perfectissimo, repugnantia infinitarum collectionum, & positionum atomorum evidens est. Dicant nobis Epicurei, num fuerit aliquando in universo orbe aliquis homo, aliqua natio, quæ asseruerit, aliquid templum, palatium, civitatem, horologium, aut minimum opus artis prodixisse ex hac varia atomorum positura, omni industria humana sublata. Sed quid in nugacissimo, stultissimoque explodendo cavillo amplius irimoramur?

CAPUT XI.

Consectaria, in quibus Dei notiones, & quæ viam ad illius cognitionem sternunt, indicantur.

I. **C**onsectarium primum. Hactenus Deum esse, pro modulo nostro ostensum est, non tam rationum momentis, quam insito illo instinctu quem universis indidit Deus, ne quisquam ad ignorantiam prætextum confugeret. Hanc vel essetatarum gentium mentibus impressam Dei intelligentiam a mundi creatione, flagitiis, & criminibus animo evellere tentarunt impii; sed frustra. Nulla quippe ab initio mundi regio, nulla natio, nulla urbs, nulla domus, quæ religione caruerit. Ipsa idolatria validissimum est documentum cuiusque cordis visceribus supremi Numinis notitiam aliquam inhærere. Quid, quæso, est quod homines non modo aliis creaturis sese submiserint, sed bruta animalia, serpentes, crocodilos, lignum, lapidem, colere maluerint quam cuiusque numinis cognitionem respuere? Quid quod hanc vehementissimam de Numine impressionem, insitumque instinctum nulla unquam pravitas, nulla impietas obliterare potuit? Quid igitur nonnulli ardeliones blaterant paucorum veritatis, & calliditate inventam religionem esse, ut hac vafri arte credulum populum in officio continerent? Plura utique commenti de Deo sunt quæ Deo haudquam congruunt; at numquam eo pervenire valuerunt ut e mentibus aut suis, aut aliorum Dei prænotionem delerent. Velint enim, nolint, quod ignorare avent, sentiscere coguntur, intusque deferant necesse est suæ damnationis iudicem. Quin quo audaciores impii sunt in Dei contemptum, eo vel ad folii cadentis strepitum timidores existunt, crudeliorque viscerum perturbatione torquentur. Unde hæc, nisi ex divina Maiestatis ultione, quæ

illorum conscientias vehementius percutit, lacera-
tæque, quo magis eam refugere conantur? Recipere se in remotiores latebras student, ut divinæ præsentia se subducant; sed ubique se irretitos sentiunt. Soporis calicem ad momentum bibunt, epotantque usque ad fæces, ne lumen Divinitatis videant, & ut interdum lucem illam extinctam sentiant; subinde tamen illucescit, novisque radiis illos percellit, & novo veluti impetu cor, animumque irruens aggreditur. Si qua illis a conscientia lucta, & tetra anxietate remissio inest, similis quodammodo somno est phreneticorum, & ebriolorum, qui ne dormientes quidem placide quiescunt; sed horrificis spectris, dirisque simulacris continenter vexantur. Quid hinc consequitur? Illud sane quod alias dictum est, impios videlicet ipsos argumento esse, insculptum mentibus hominum fuisse Divinitatis sensum, ingenitamque omnibus insidere, & quasi in ipsis medullis infixam hanc persuasionem, Deum scilicet esse. Iactent; ostententque impii in suarum voluptatum cæno animi tranquillitatem, mentisque serenitatem: quoniam sibi, & aliis mentiri, testis est vermis ille ferus, cauteriis omnibus acrior, qui sine intermissione vellicat, rodit, mordet: cuius aculeum retundere numquam possunt, quamquam nervos omnes eo intendant, ut Dei notitiam excutiant.

II. *Confectarium secundum.* Deum existere fateantur omnes impii, & pii, scelesti, & probi necessum est; adeo ut superfluum sit de hoc amplius disputare. At, inquis, quænam istius Dei, quem omnes confitemur, & colimus, notio? Sicuti immensitatem, infinitamque maiestatem Dei mens nostra comprehendere nequit; ita plenam exactamque ideam, & notionem promere nequit. Quas Dei notiones lumine tum naturæ, tum fidei Sapientiores excogitarunt, prodam. *Platoni* Genitor universitatis, summum bonum, supremus Auctor Deus est. *Aristoteles* Ens entium, & Deum vocat. *Seneca* summam, & rerum omnium pulcherrimam naturam. *Cicero* præstantissimam mentem. *Trismegisti* Deus est circulus cuius centrum ubique, cuius circumferentia nusquam. *Augustino* Deus est sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine indigentia creator, sine situ præfens, sine habitu omnia continens, sine loco ubique totus, sine tempore sempiternus, sine sui mutatione mutabilia omnia efficiens. *Sancto Thomæ Aquinatis* Deus est actus purus, ens universaliter perfectum, prima omnium causa, & totius perfectionis plenitudo. *Lactantio* aterna

mens ex omni parte perfectæ, & consummatæ virtutis. *Cassiodoro* virtus incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, virtus inexplicabilis. *Ecclesiæ Catholicæ* Rex tremendæ maiestatis, solus Sanctus, solus Dominus, solus Altissimus. *Scriptura sacra* est qui est: *Ego sum qui sum*: Alpha, & Omega, Deus Sabaoth, Dominus exercituum, Deus deorum Dominus, Dominus dominantium, Dominator Dominus, magnus Dominus, & laudabilis nimis, Deus excelsus, Rex Regum, Rex magnus super omnem terram, cuius magnitudinis non est finis; Dominus virtutum, magnificus, terribilis in consiliis; quis ut Deus? cæli, & terræ creator, qui sua omnipotentia omnia sustinet, sapientia dirigit, & providentia gubernat.

III. *Confectarium tertium.* Deum boni, malique agnoscunt. Malis cognitio Dei supplicium est, bonis solatium. Impiorum catus, quibus vellent Numinis notitiam abolere, Deus nobis revelavit, ut hinc disceremus malitiam omnem fugere, & ab iniquitate abstinere: ut colligeremus vanam esse mentis persuasionem, nisi mundus a vitis animus sit, omnique superbia vacuus. Summa ergo demissione mundi librum, in quo Numinis depicta maiestas est, legito; divi Pauli Epistolas, ceterasque divinas Scripturas frequenter revolvito. Noli altius quam par est sapere; sed sobria, & humili contemplatione divina meditare arcana. Hæc via est quæ ad Dei cognitionem, vitamque ducit æternam.

IV. *Confectarium quartum.* Ut quis Atheismus devitet, non sat est Deum fateri; sed verus Deus confitendus est. Nam Benedictus Spinoza Deum fatetur, & propugnat, sed quem sibi ille effinxit. Hanc Dei notionem nobis ille perhibet. Deus unica substantia est infinitis attributis compacta, quorum quodlibet ideam æternitatis, & infiniti includit: *Ethic. I. prop. xi.* seu aliis verbis: Totum universam una substantia est, variis modis definita. Natura totum est; omnes creaturæ sunt partes huius totius; homo Dei pars est. Deus ergo, juxta Spinozam, est natura, seu hoc universum, cuius præcipuæ partes sunt cogitatio, & extensio. Creaturæ ceteræ modi horum attributorum, cogitationis nempe, & extensionis, sunt. Quam sit commentitius Deus iste a Spinoza confectus, nemo non videt. Materialis est Deus iste, mutationi & vicissitudinibus obnoxius. Fons quippe mutationum materia est. Anima hominis, Spinoza iudice, modus est substantiæ infinitæ, seu Dei. Non ergo homo, sed Deus cogi-

tæ

tat in homine. Ergo contrariæ, & ineptissimæ, pravæque hominum cogitationes Deo attribuentæ sunt. Plures sunt qui Spinozæ systema penitus labefactarunt, cum ex Protestantibus, quos inter Franciscus Budæus Lutheranus, tum ex Catholicis, quorum præcipui sunt Daniel Huetius, & Michael Vassor. Sed mihi sat est pauca hæc delibasse.

PROLEGOMENON II.

I N Q U O

Errores adversus Decalogum recensentur. Eiusdem generalis quædam notitia præmittitur.

IN superiori Prolegomeno Decalogi explicuimus præfationem. In eadem Deus se ipsum existere declarat: *Ego sum Dominus*. Data quoque occasione, deorum pluralitatem, quæ ipso primo præcepto vetatur, explosimus. Nunc propius ad rem qua de agimus, accedentes, quædam ipsius Decalogi generales prænotiones delibandas duximus: & primum omnium errores indicantur adversus ipsum Decalogum; deinceps eiusdem notionem, partitionem, obligationemque brevi calamo edisseram.

C A P U T I.

Lutherus negat Decalogum pertinere ad Christianos. Iansenius negat omnia Dei præcepta esse possibilea, gratiamque qua possibilea fiunt.

I. **D**ecalogum ad solos Iudæos pertinere Lutherus contendit: quippe in sermone de Moyse hæc scribit. *Decem præcepta ad nos non pertinent, sed ad solos Iudæos.... ex textu clare habemus quod etiam decem præcepta ad nos non pertinent. Non enim nos, sed solos Iudæos ex Ægypto eduxit Dominus.* Luthero accedit Philippus Melancthon. Hinc colliges haud esse mirum quod tantam gentium multitudinem in suam pertraxerit sectam Lutherus. Sublata enim lege, liberius homines carni, & appetitionibus indulgent: idcirco facillime impostori, recentique Epicuro auscultabant, eiusdemque nova, atque impia dogmata ambabus ulnis suscipiebant.

II. Haud opus est multis, quibus dira hæc hæresis exterminetur. Evangelium ipsum eam apertissime explodit. Nonne Christus inquit *Matth. v. Non veni solvere legem, sed adimplere?* Quæ verba edisserens Tertullianus *Lib. IV. cont. Marcion.* hæc docet. *Reciditne Christus præcepta non occidendi, non adulterandi, non falsum testandi, diligendi patrem, & matrem? Ante & illa servavit, & quæ deerant, adiecit. Salvum est & hoc in E-*

vangelio. Non veni dissolvere legem, & Prophetas, sed potius adimplere. Præterea Christus *Ioan. xv.* Apostolos suos alloquens, dixit: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in eius dilectione.* Tandem adolescenti roganti quid agendum ut vitam æternam assequeretur, respondit Christus ipse *Matth. xix. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: & interroganti, quæ essent mandata servanda: Dicit illi, Quæ? respondit Iesus: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Hæc sunt ipsa Decalogi mandata. Quo ergo ausu evulgare Lutherus potuit in publicum, nullum mandatum imposuisse Christum, Christianosque ab observantia solvuisse Decalogi? Si liberi a Decalogo Christiani forent, nemo ad illum servandum teneretur: non Turcæ, non Saraceni, non Indi, non aliæ nationes: quoniam per Lutherum solis Iudæis legem hanc imposuit, quia solos Iudæos ab Ægyptiaca captivitate solvit. Denique nec ipsos Iudæos obligaret amplius Decalogus: quoniam post mortem Redemptoris nostri lex Mosæica caremonialis, seu quæ solos afficiebat Iudæos, cessavit. Quæ omnia erronea sunt. Mandata siquidem Decalogi sunt ipsius naturalis iuris principia in tabulis humanorum cordium scripta. Iisdem omnes homines subiecti semper fuere, si sabbatum, prout caremoniale est, excipias. Verum ne in re aperta immoremur, satis sit adit-

adiicere quæ Concilium Tridentinum decrevit adversus hanc monstrofam Lutheri hæresim sess. vi. cap. xi. can. 19. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.* Canon vero sequens hæc continet: *Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesie, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vite æternæ sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.*

III. Quæ obiicit Lutherus, futilia sunt. Siquidem scitum illud Pauli ad Galatas III. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus: & iterum cap. v. In libertatem vocati estis, fratres: de sola libertate loquitur a servitute peccati, de qua Ioann. VIII. Qui facit peccatum, servus est peccati.* Hanc interpretationem exhibet D. Thomas in Commentariis ad caput III. ad Galat. lect. 5. *De maledicto legis, id est de culpa, & pœna: quod fufius explicat in Commentariis ad cap. IV. Idem significat alter textus qui de libertate a culpa, & pœna, & a timore loquitur, ut ex ipsis verbis colligitur quæ statim subiicit Apostolus: Tantum ne libertatem in occasione detis carnis; sed per caritatem spiritus servite invicem: ubi Angelicus hæc habet: Galata autem iam liberi erant a lege; sed ne credant eis licere peccata committere, quæ lex prohibebat; ideo Apostolus subdit abusus libertatis, dicens: Tantum ne &c.* Eadem prorsus dixerat Hieronymus ibi. Altera etiam interpretatio, quæ communis est, divi Pauli menti proxime accedit. In tota namque illa Epistola Paulus eo tendit ut ostendat Galatas post mortem Christi a cæremoniis, & iudiciis veteris legis liberos esse; cuius contrarium existimabant Galatæ, decepti a Pseudo-apostolis, qui cocebant legem Mosaicam simul cum Evangelio servandam esse. Si plura cupis, consulte Alphonsum a Castro verb. *Præceptum.*

IV. Altera hæresis est Melanchthonis Lutheri discipuli, qui Libro de loc. com. Theolog. titulo de discrimine præceptorum, & consiliorum hæc scribit: *Quidam finxerunt in Evangelio consilia esse de non vendicando, de paupertate, de virginitate: & quidem putant in Evangelio doceri hoc sine, quod hæc opera magis mereantur reconciliationem, aut salutem, quam alia opera. Deinde fingunt hæc opera perfectionem esse. Sed hæc sunt plena erro-*

rum & superstitionum. Una est lex Dei, quæ nihil nisi præcepta continet. Antea cum suo magistro Luthero nullum in Evangelio, præter fidem, dari præceptum docuit. Nunc factus & ipse magister septentrionalis, exclusis consiliis, omnia esse præcepta quæ Deus in Evangelio suggerit, evincere studet. Hic singularis hæreticorum character est, errores erroribus addere, & perpetrata flagitia novis cumulare criminibus. In Philippum Melancthonem optime quadrat illud Horatii:

Dum vitant stulti vitium, in contraria currunt.

Calvinus parum a præfata distat sententia, quin plura, & peiora eructat. Admittit legem, sed eam observatu impossibilem prædicat Lib. II. Instit. cap. VII. num. 5. ubi hæc habet. *Quod autem impossibile legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum, simul & confirmandum; solet enim vulgo absurdissima sententia videri, ut Hieronymus non dubitavit anathema illi denuntiare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror. Nos quid verum sit inquiramus. Nihil moratur modestissimus Calvinus quid Chrysostomo, quid Augustino, quid Patribus, quid Ecclesie visum fuerit, & etiamnum videatur. Ipse tribunal erigit, iudexque sedere contendit. Non modo vulgo, sed etiam omnibus ratione præditis stulta, & monstrofa visa semper fuit opinio isthæc, quæ blasphemam Deum obligare fideles suos ad eam servandam legem quæ servari nullo modo potest. Iniustum, crudelisque Deum constituit, dum eum punire Christianos efficit Calvinus ob illius legis violationem, cuius observatio suapte natura impossibilis est. Mitto alia putida mendacia quibus Calvinus Catholicis impropertat, illos inter consilia recensere præcepta quæ dilectionem iubent inimicorum, verantque vindictam. An impudentior calumnia excogitari possit, non video. Plures alios errores prætereo, ut brevitati studeam.*

V. Iansenius virus calvinisticum epotavit. Impossibilia esse aliqua Dei præcepta, & gratiam qua possibilia fiant, deesse docuit. Libertatem, & facultatem servandi præcepta in Aqumio extinctam, non læsam, cum Calvino existimavit. Hæc est prima ex quinque propositionibus quas in Iansenio damnavit Ecclesia. Hæresis hæc adeo fatua est, & impia, ut superfluum sit eam longius refellere. Insus enim Deus est qui ad impossibilia neminem cogit.

CAPUT II.

Notio Decalogi, ejusque distributio.

I. **V**era Decalogi notio quæ communiter traditur, hæc est: *Decalogus lex naturalis est, & divina, in decem præcepta tributa, digitoque Dei in tabulis inscripta, & per manus Moysis Iudæorum populo data.* Quam finitionem dat, edisseritque D. Thomas I. 2. quæst. c. art. 3. *Lex naturalis nuncupatur Decalogus, quod omnia præcepta iuris naturæ ad illum aut tamquam principia, aut tamquam confectaria reducuntur, ut docet Augustinus quæst. cxi. Exod. Cum tam multa locutus sit Deus, dua tantum tabula dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur tabula testimonii, futura in arca. Nimirum omnia cetera quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter querantur, & bene intelligantur; quomodo hæc rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei, & proximi, in quibus tota lex pendet, & Propheta.*

II. Divina lex vocatur, quod (inquit Angelicus) *præcepta Decalogi per seipsum Deus dicitur populo proposuisse; alia vero præcepta proposuit populo per Moysen.*

III. Primus qui unico simplici nomine hæc decem præcepta Decalogum appellavit, fuit Clemens Alexandrinus Lib. 6. Stromat. cui sequentes tum Græci, tum Latini Patres accessere.

IV. Decalogus ergo iste in decem secatur præcepta, & in duas tabulas, quarum una Deum, altera proximum spectat. Omnibus probatur; sed partitio non omnibus eadem est. Judæi, Josephus præcipue, & Philo, quibus adhærent Origenes Lib. de Decal. Atanasius in synop. & alii nonnulli, præcepta quæ ad primam tabulam pertinent, ad quatuor extendunt. Nam primum in duo fecant; quorum unum est, *Non habebis deos alienos in conspectu meo;* alterum *Non facies tibi sculptile.*

Verum sine præceptorum numerus augeatur, duo ultima, videlicet *Non concupisces uxorem proximi tui, & Non desiderabis rem proximi tui,* in unam contrahunt. Hanc opinionem acriter defendit Carinus Lib. II. Institut. cap. VIII. §. 12. eo animo, pravaque intentione, ut vitam sibi ad sacras posternendas imagines sternat. Communior sententia est illa quæ tria duntaxat primæ, septem secundæ tabulæ præcepta tribuit. Hanc expresse docet Augustinus quæst. lxxi. in Exod. *Queritur, decem præcepta legis quemadmodum dividenda sint:*

*utrum quatuor sint usque ad præceptum de sabato, quæ ad ipsum Deum pertinent; sex autem reliqua, quorum primum est, Honora patrem, & matrem, quæ ad hominem pertinent: an potius illa tria sint, & ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor esse, Iseparant quod dictum est, Non erunt tibi dii alii præter me; ut aliud præceptum sit, Non facies tibi idolum &c. ubi fragmenta colenda prohibentur. Unum autem volunt esse, Non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui, & omnia usque in finem. Qui vero illa tria esse dicunt, & ista septem, unum volunt esse quicquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur; hæc autem extrema in duo dividunt, ut aliud sit, Non concupisces uxorem proximi tui, aliud, Non concupisces domum proximi tui. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt: quoniam hoc Scriptura testatur. Hac relata partitione subdit Augustinus: *Mihi autem videtur congruentius accipi tria illa, & ista septem: quia & Trinitatem videntur illa quæ ad Deum pertinent, insinuare diligentius intuentibus; & revera quod dictum est, Non erunt tibi dii alii præter me, hoc ipso perfectius explicatur, cum prohibentur colenda fragmenta. Concupiscentia porro uxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ tantum in peccando differunt, ut illi quod dictum est, Non concupisces domum proximi tui, adiuncta sint & alia, dicente Scriptura: Neque agrum eius, neque servum eius, neque ancillam eius, neque bovem eius, neque subiugale eius, neque omne pecus eius, neque quæcumque proximi tui sunt. Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ a concupiscentia cuiuslibet rei alienæ, quando utrumque sic caput: Non concupisces uxorem proximi tui: Non concupisces domum proximi tui: Et huic caput cetera adiungere; non autem cum dixisset, Non concupisces uxorem proximi tui. V. Sententiam Augustini adprobat Angelicus I. 2. quæst. c. art. 4. & 5. ubi fufse rem hanc explicat, concluditque: *Unde etiam Augustinus ponit duo præcepta de non concupiscendo rem alienam, & uxorem alienam; & sic ponit tria præcepta in ordine ad Deum, septem in ordine ad proximum: & hoc melius est.***

CAPUT III.

Quomodo principia generalia iuris naturalis, ut Bonum est faciendum, malumque declinandum &c. Item præcepta dilectionis Dei, & proximi, fidei, spei, & caritatis, aliæque iuris naturalis mandata in Decalogo continentur.

I. Acillimæ solutionis sunt quæ proponimus. Iuris naturalis præcepta in tres classes secantur. In prima collocantur ea quæ sunt per se nota, & vocantur prima principia, ut bonum est faciendum, malum vitandum. Ad secundam classem revocantur ea quæ proxime prima consequuntur: quorum alia solo naturali lumine cognoscuntur, ut Pater honorandus est; alia vero ratione naturali luce divina perlusa cognoscuntur, ut Non facies tibi sculptile. Postrema denique in classe ea reponuntur quæ, ut ex primis principis proficisci offendantur, sapientum consideratione opus est, ut est illud Levit. XIX. Honora personam senis, & cetera plurima. Primæ classis mandata iuris naturæ ad Decalogum pertinent ceu illius principia, postremæ vero classis tamquam eiusdem conclusiones.

II. Hæc omnia docet Angelicus I. 2. q. c. art. 3. Illa ergo præcepta ad Decalogum pertinent quorum notitiam homo habet per seipsum a Deo. Huiusmodi vero sunt illa quæ statim ex principis communibus primis cognosci possunt modica consideratione, & iterum illa quæ statim ex fide divinitus infusa innotescunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum: illa scilicet quæ sunt prima, & communia, quorum oportet aliquam editionem esse, nisi quod sunt scripta in ratione naturali, quasi per se nota; sicut quod homo nulli debeat malum facere, & alia huiusmodi: & iterum illa quæ per diligentem inquisitionem sapientum inveniuntur rationi convenire: hæc enim proveniunt a Deo ad populum mediante disciplina sapientum. Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, sed diversimode. Nam illa quæ sunt prima, & communia, continentur in eis sicut principia in conclusionibus proximis; illa vero quæ per sapientes cognoscuntur, continentur in eis e converso sicut conclusiones in principis.

III. Ad dilectionem Dei, & proximi quod attinet, respondet D. Thomas ibidem ad primum argumentum, quo obiicitur, mandata ista, Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum, non pertinere ad Decalogum, his verbis: Dicendum, quod illa

duo præcepta sunt prima & communia præcepta legis naturæ, quæ sunt per se nota rationi humana vel per naturam, vel per fidem: & ideo omnia præcepta Decalogi ad illa duo referuntur, sicut conclusiones ad principia communia.

IV. Præcepta itidem fidei, & spei Decalogum præcedunt. Prius namque sint subditi oportet qui legem suscipiant, quam lex promulgetur. Subiiciuntur autem Deo homines, illum credendo, ab eodemque præmia sperando. Præclare hoc explicat Angelicus 2. 2. quæst. XVI. art. 1. Lex non imponitur ab aliquo domino nisi suis subditis: & ideo præcepta legis præsupponunt subiectionem cuiuslibet recipientis legem ad eum qui dat legem. Prima autem subiectio hominis ad Deum est per fidem, secundum illud Hebr. XI. Accedentem ad Deum oportet credere quia est: & ideo fides præsupponitur ad legis præcepta. Quod idem de spe dicendum sit, patet per se.

V. Ut rem totam breviter perstringamus, iuvat isthuc transcribere quæ docet D. Thomas I. 2. q. c. art. II. ubi declarat, quomodo omnia præcepta moralia revocentur ad Decalogum. Cuius namque mandato adscribitur ea quæ ad illud revocari possunt. Porro istorum cognitio non parum ad discernendas, percipiendæque peccatorum species conducit. Audiamus Angelicum. Alia præcepta moralia superaddita Decalogo reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cuiusdam additionis ad ipsa. Nam in primo præcepto Decalogi prohibetur cultus alienorum deorum, cui superadduntur alia præcepta prohibitoria eorum quæ ordinantur in cultum idolorum; sicut habetur Deut. XVIII. Non inveniatur in te qui lustrat filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem: nec sit maleficus, atque incantator, nec pythones consulat, neque divinos, & quærat a mortuis veritatem. Secundum autem præceptum prohibet periurium; superadditur autem ei prohibitio blasphemie Levit. XIV. & prohibitio falsæ doctrine Deut. XIII. Tertio vero præcepto superadduntur omnia caeremonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honoratione senum, secundum illud Levit. XIX. Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam maioribus, vel ad beneficia exhibenda vel æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidii, additur prohibitio odii, & cuiuslibet violationis contra proximum, sicut illud Levit. XIX. Non stabis contra sanguinem proximi

tui: & etiam prohibitio odii fratris, secundum illud Levit. XIX. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterii, superadditur præceptum de prohibitione meretricii, secundum illud Deut. XXIV. Non erit meretrix de filiabus Israel, neque fornicator de filiis Israel: & iterum prohibitio vitii contra naturam, secundum illud Levit. XVIII. Cum masculino non commisceberis, cum omni pecore non coibis. Septimo autem præcepto de prohibitione furti adiungitur præceptum de prohibitione usuræ, secundum illud Deut. XXIII. Non feneraberis fratri tuo ad usuram; & prohibitio fraudis, secundum illud Deut. XXV. Non habebis in saculo diversa pondera: & universaliter omnia quæ ad prohibitionem calumnie, & rapinæ pertinent. Octavo vero præcepto, quod est de prohibitione falsi testimonii, additur prohibitio falsi iudicii, secundum illud Exod. XXIII. Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a veritate devies: & prohibitio mendacii, sicut ibi subditur, Mendacium fugies: & prohibitio detractionis, secundum illud Levit. XIX. Non eris criminator, & susurro in populis. Aliis autem duobus præceptis nulla alia adiunguntur: quia per ea universaliter omnia mala concupiscentia prohibetur.

VI. Primo mandato Decalogi prohibetur ne divinus honos falsis tribuatur diis, nec creaturæ alicui, sive astris, sive elementis, aut animalibus, sive hominibus, sive Angelis, & ut paucis omnia comprehendam, quidquid superstitionem facit, vetatur. Non habebis deos alienos coram me. Hæc est prima mandati particula. Falso tamen hinc colligunt Lutherani, & Calvinistæ, sanctorum sive Angelorum, sive hominum post mortem divina fruentium præsentia, æternaque felicitate donatorum, cultum præcepto isto vetari. Quam consecutionem oppugnat Grotius ipse inter Protestantes egregius auctor in Commentariis ad cap. XX. Exod. De animalibus (inquit) multo magis dicendum, quod destitulis diximus, cum ad preces surda sint, neque libertate eligendi sint prædita, falso is deorum imponi nomen. Non potest idem dici de Angelis, qui & intelligere preces possunt, & beneficia ex animi quadam liberalitate prestare. Hos ergo qui honore prosequitur aliquo, qui etiam aliquid eorum beneficio se sperat posse consequi, non peccat in hanc legem; sed is demum qui eis ea tribuit quæ summo Deo sunt propria. Exempla rem illustrabunt. Non peccarunt qui Angelos, quoties ipsis conspicui apparuere, venerati sunt procumbendo, ut Iosue

v. 14. quippe cum & Prophetis idem honos exhibitus sit sine peccato, ut ei qui putabatur Samuel, I. Samuelis XXVIII. 15. Elia II. Reg. cap. XIII. Danieli II. 46. Qui munus, & libamina vetat, reverentia signum non vetat, ut ibi notatum a Iosepho Iacchiade. Nam quod in Apocalypsi Angelus eum honorem a se amaret, non inde venit quod in eo esset quid illiciti, sed Apostolum sibi æquat Angelus, quod ambo Christi, iam Angelorum capitis, ministri essent; & apostolica legatio ad hominum salutem comparata nulla parte angelica esset inferior. Non solent autem pares inter se ista submissionis signa usurpare. Est autem hæc illius loci explicatio non nova, sed ab Ambrosio, & Gregorio magno tradita. Origenes VIII. adversus Celsum concedit reverentiam & venerationem honorari posse Angelos, si modo repurgetur eius vocis significatio. Neque peccatum putem, si quis Angeli sibi apparentis commendationem apud Deum imploret, quo Maimonides trahit ea quæ apud Iobum leguntur XXXII. 23. quicum consentit quod Philo sæpe Angelos Mediatores vocat.

VII. Altera particula quæ succedit, Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem &c. idola, factorumque deorum imagines spectat, ut liquido colligitur ex Levit. XIX. 4. Sapient. XIV. I. ad Corinth. VIII. 4. 5. 6. Constat autem Deum de quibusvis imaginibus non loqui, ex Cherubinis alas humano vultu effigies habentibus in Templi penetrali locatis. Vetat denique imagines ethnico consecratis ritu, in quibus vim aliquam divinam includi autumabant, ut Tertullianus Lib. de idololatr. Cyprianus Lib. de idol. vanit. & alii Patres docent. Ab his porro simulacris tantum distant Catholicorum imagines, quantum lux a tenebris. Nullam istis inesse divinam virtutem credimus, nullam in eisdem spem collocamus, nullum eis divinum tribuimus honorem soli Dei debitum.

VIII. Sequitur: Non adorabis ea, neque coles, divinum scilicet honorem eisdem offerendo. D. Thomas I. 2. q. c. art. 7. ad 2. docet nihil ex hoc primo præcepto elici posse adversus Catholicorum imagines. Quippe, dato etiam quod Hebræis quodcumque imaginum, simulacrorumque genus veritum fuerit, præceptum istud non morale tantum, sed caeremoniale etiam fuit. Caeremoniale, inquam, quatenus usum quarumque imaginum vetat; morale vero, prout idola, & idololatriam vetat. Illa præcepta quæ sunt pure moralia, habent manifestam rationem, unde non oportuit quod in eis aliqua ratio adderetur. Sed

quibusdam præceptis additur ceremoniale determinativum præcepti moralis communis, sicut in primo præcepto: Non facies sculpsile: & in tertio præcepto determinatur dies Sabbati. Et ideo utrobique oportuit rationem assignari. Hæc D. Thomæ interpretatio aridet vel ipsi Grotio, qui eam suo calculo probat in comment. ad cap. xx. Exod. *Ut ad Christianos veniam, illi nec aliis Hebræorum legibus indeterminate se obligatos credidere, nec illa de non habendis formis sculpsilibus animantium. Nam & imperatorum, & virorum eruditum tales imagines passim extiterunt. Incisus vero, aut pictus figuris, ut quæ nec Hebræis sine discrimine interdixta erant, usi sunt etiam liberius, ut nos docet memorata a Tertulliano figura Pastoris in calice. Immo nec Christi quidem figura abstinent, postquam Imperatores Christiani fuerunt. Christus purpureum gemmati textus in auro Signabat labarum: clypeorum insignia Christianus.*

Plurima alia ibidem Grotius persequitur in favorem sacrarum Catholicorum imaginum, quæ legenda, & commeditanda a Protestantibus essent.

IX. Ad primum Decalogi præceptum revocatur etiam mandatum cultum prohibens Molochi. Levit. xviii. 21. *De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec polles nomen Dei tui.* Non convenit inter eruditos quisnam e falsis diis fuerit Moloch. Nam alii Saturnum, alii Mercurium, nonnulli Luciferum fuisse contendunt. Sed de hoc nihil ad nos investigare spectat. Eodem primo præcepto vetatur lustratio piaculari flamma facta, qua veteres Ethnici filios per ignem traducentes Moloch litabant. Deut. xviii. 10. *Nec inveniat in te qui lustrat filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem.* Hinc ortum duxit illa Christianorum quorundam superstitio, qui in noviluniis ingentes rogos accendentes per mediam tranfilire flammam solebant. Hanc superstitionem damnavit Trullana Synodus can. xlv.

X. Lex quæ tonsionem capitis in orbem, carnisque incisionem, & stigmata prohibet, sub primo Decalogi mandato continetur. Levit. xix. *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam: & super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Penes Ethnicos mos obtinebat capillitium in orbem tondendi, in occipito cincinno relicto, & Soli, aut Saturno consecrato; quam tonsuræ formam, falsis diis consecratam, prohibuisse Deum Judæis, Interpretes non pauci docent.

Sed addunt communius alii, extraordinariam tonsuram, in defunctorum exequiis ritu supersticioso fieri solitam, hac lege prohiberi. Consequenter enim Pagani capillos scindere, & in mortuorum busta, loculos, aut sepulcra, vel cadavera iniicere, ut deos manes propitiarent. Carnis etiam incisionem super mortuis factam, quæ in more erat apud Ethnicos, qui unguibus quoque genas laniabant; item stigmata quibus Ethnici falsis numinibus sese devovebant, eorumque nomen, seu notam hieroglyphicam ignitis acubus, vel typis, & characteribus candentibus volæ, fronti, alterive corporis membro inurebant; idque potissimum in amicorum, parentumque defunctorum officium præstabant, ut sincerum, ferventemque erga eosdem amorem testarentur, atque ut inferos deos, manesque placarent; atque his similia hoc ipso mandato vetita esse non dubitamus. Denique hoc primo præcepto divinationes, auguria, incantationes, somniorum observationes, maleficia pythorum, & divinorum consultationes, necromantia, omneque superstitionum genus prohibetur.

XI. Quæ hucusque narravimus, fere omnia negantia sunt, seu prohibentia. Illud quod præcipit Deus, cultus est suæ maiestati debitus, estque religionis actus, de quo infra. Amorem, qui actus caritatis est, non præcipi hoc mandato, dictum est supra: quoniam principium universale est, ex quo Decalogus ipse, seu proximum confectarium, proficiscitur. Quod tamen intelligendum venit non absolute, sed juxta præcisam loquendi formam. Ceterum reipsa vix coli Deus potest sine amore. Hinc Christus Dominus Dei dilectionem maximum mandatum appellat Matth. xxii. nam Phariseorum doctori interroganti: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* ait illi Iesus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum: quod repetit Luc. x. & Marc. xii.* Est ergo primum, maximumque mandatum, idest primum, firmissimumque universæ legis principium, & finis. *Plenitudo legis dilectio.* Quapropter nimium aberrant qui solis externis actibus primum Decalogi præceptum impleri existimant. Sed de hoc pro dignitate suo loco.

C A P U T I V.

Primum Decalogi præceptum duplex, adfirmans, & negans. Momenta quæ ad colendum Deum inducere debent, recensentur. Cur impii neque confiteantur Deum, neque amare conentur, rursus indicatur.

I. **U**T iam indicavimus, duo potissimum in primo Decalogi mandato continentur: quorum unum prohibet ea quæ capite superiore descripsi, appellaturque, secundum hanc considerationem, præceptum negans; alterum cultum divinum præcipit, vocaturque mandatum adfirmans. Sensus ergo illorum verborum, *Non habebis deos alienos coram me,* est: *Me verum Deum coles, cultumque mihi debitum diis alienis ne exhibeas: nec facies tibi sculpsile &c.* Quam interpretationem tradit Catechismus Tridentinus in prim. præcept. Decal. n. 3. *Nam quod dicitur, Non habebis deos alienos coram me, eam habet sententiam contumtam: Me verum Deum coles: alienis diis cultum non adhibebis.* Hinc Christus Dominus istorum verborum sensum exponit Matth. iv. ubi diabolus adorari volentem repellens, ait: *Vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

II. Momenta quæ humanas excitant mentes, cordaque alliciunt ad Deum colendum, eiusque servandam legem, indicat, exponitque Catechismus Tridentinus III. *Part. in Decal. c. 1. n. 3. 4. 5. & seqq.* Quin Deus ipse legem suam rogando, rationes servandæ legis præmittit. Quo enim, quæso, pertinent verba illa Exod. xx. *Ego sum Dominus Deus tuus?* & illa Malach. i. *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Plurimum ergo iuvabit ad cultum divinum in mentibus nostris excitandum cogitatio illa quæ Deum legis auctorem refert, de cuius potestate haud dubitare valemus. Quid iuvaret unum Deum cum Epicuro fateri, qui abiecto mundi regimine, otio oblectaretur, & quicum nihil nobis esset negotii? Ne ergo, ut Scholasticorum non pauci speculationum metaphysicarum nimium avidi, ludamus in eo designando in quo Dei essentia sit, videlicet in actuali, an radicali intelligere, an in essentialitate &c. qualis sit Dei nostri dignitas, maiestas, bonitas, & sapientia ostendendum nobis est. Deum ergo & ut factorem nostrum, qui sua nos potentia e nihilo in lucem eduxit, fulcitque, providentia regit, omnique benedictionum genere prosequitur, & ut re-

demptorem animarum nostrarum, quas proprio sanguine vinculis captivitatis exemit, commeditari debemus. Hæc duplex Dei notitia non est facile dictum quam sit efficax ad amoris divini ignem accendendum. Prima namque nobis repræsentat non solum quod Deus, sicut hunc mundum semel condidit, sic immensa potentia sustineat, sapientia moderetur, bonitate conservet, humanum genus præsertim iustitia, iudicioque regat, misericordia toleret, præsidio tueatur; sed etiam quod nusquam vel sapientiæ, vel iustitiæ, vel potentia, vel rectitudinis, vel sinceræ veritatis aliquid reperiat quod ab ipso non fluat, & cuius ipse non sit causa. Hæc sane cogitatio subire mentem tuam haud potest, quin simul extemplo cogites te ipsius figmentum, eiusdemque imperio iure creationis addictum, atque mancipatum esse; vitam tuam illi deberi, & omnia quæ agis, ad ipsum referenda esse. Hinc ergo consequitur, vitam tuam prave corrumpi, nisi ad illius obsequium tota componatur: quoniam recta vivendi lex, eius esse debet voluntas. Agnosce ergo Deum tuum bonorum omnium fontem esse, in illius fide, ac fiducia recumbe, illius gloriam promovere satagito, eiusdemque mandatis obtempera. Si malorum, ac miseriarum cumulo premaris, scito in illius clementia paratum remedium esse: quoniam non Dominus tantum, sed Pater tuus est. Recogita iustum esse iudicem, ad scelerum vindicanda armatum: cuius tribunal semper tibi ante oculos proponere debes, ut illius metu a perpetrandis flagitiis appetitiones tuas cohibere valeas. Perpende, non minus ad illius gloriam attinere, impios scelestosque severis punire suppliciis, quam iustis æternæ vitæ mercedem retribuere. Quamquam tamen consentaneum sit a divini iudicii sensu initium repetere salutis tuæ, teque vindictæ formidine a peccando coercere; sistendum tamen ibi non est, sed ultra progrediendum, Deumque loco patris amare, revereri, observare, & colere, etiamsi nulli essent inferi, solamque illius horrere offensionem. Quam celestis amoris flammam validius excitabit cogitatio Dei in facie Christi sui. Siquidem Deus ipse, ut Iudæum populum in sui obsequium alliceret, illius auribus insonuit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egypti.* Quæ verba licet Hebræis Egyptiorum dominatu liberatis convenire videantur; tamen, inquit Catechismus Tridentinus, si interiorum salutis universæ rationem spectemus, multo magis ad

ad Christianos homines pertinent, qui non ab Ægyptiaca servitute, sed e peccati regione, & tenebrarum potestate a Deo erepti, atque in regnum Filii dilectionis suae translati sunt. Cujus beneficii magnitudinem intuens Hieremias prædixit illud: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti; sed vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris ad quas eieci eos; & reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum.* *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* cap. xvi. Pater enim indulgentissimus per Filium suum filios qui erant dispersi, congregavit in unum, ut iam non servi peccato, sed iustitiæ serviamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris: Luc. iv. Nullus esset dicendi finis, si beneficia illa immensa quæ sua nobis vita, & morte pro salute nostra operita contulit Servator divinus, enarrare vellem. Istorum descriptionem gravem, piæque legere quisque potest in citato Catechismo. In præsens sufficiat aliqua dumtaxat delibasse, & quamdam Religionis nostræ germanam formam delineasse.

III. Illud nunc revocandum in memoriam est, cur tam pauci sint qui Deum vereantur, colant, amentque. Omnium mentibus inditam Dei notitiam supra ostensum est. Siquidem, ne quis ad ignorantiam prætextum confugeret, quamdam sui ipsius intelligentiam Deus ipse indidit universis, cuius memoriam continenter renovat quotidiana beneficiorum collatione. Dum hominibus innatam Dei notitiam asserimus, sensus non est quod omnes re ipsa notitia hac ornati sint; sed quod proxima facultate & vi fruuntur qua possint, nisi propria malitia obsit, Deum cognoscere. Idololatria ipsa amplissimum documentum est, ut alias animadvertimus, Divinitatis sensum omnibus cordibus inscriptum esse. Quippe cum lignum, lapidem, & rapam colere malint homines quam ut putetur nullum illos habere Deum, constat vehementissimam istam esse de Numine impressionem, quæ adeo ex hominis mente oblitterari nequeat, ut facilius sit naturæ affectum frangi.

IV. Quæ cum ita se habeant, cur huic innatæ de Deo cognitioni amor, cultus, & observantia erga Deum in tam paucis respondeat? Non aliunde nisi ex flagitiorum, criminumque teterrima caligine, quæ istius notitiæ lucem undique versum tenebris ob-

ducit. Ex quo, quam sit potens iniquitatis impetus, quam tragica calamitas quam in animas invehit peccatum, colligere quisque potest. Si enim vel ipsam de supremo Numine insitam notitiam evellere conatur; quoniam abripiet cetera naturæ, & gratiæ dona? Ut tamen proprio damnentur testimonio, irritus est iniquitatis conatus in obliteranda ab humanis mentibus Dei cognitione. Reperiuntur utique etiam hac nostra tempestate qui blaterant, paucorum vafritiæ, & calliditate excogitatam Religionem esse, ut hac arte simplicem populum in officio continerent Principes; cum tamen ipsi, qui aliis auctores erant Dei colendi, nihil minus crederent quam aliquem esse Deum. Quod verum futi homines fuerint qui plura commenta sint in Religionis negotio, quis est qui ignoret? Quin hic est potissimus iniquitatis fructus, Deum corde negare illo ipso tempore quo mens confiteri astringitur. Quæ lucta eo evadit crudelior, quo malitia magis augetur. Quamvis vero cum intimo impii luctentur sensu, innataque notitia, ut inde Deum excutere, caloque detrudere perentent; numquam tamen eo usque stupor invalescit quin ad suum illos Deus retrahat tribunal. Solaminis illis quidpiam foret, si peccandi audacia, & consuetudine obdurati, se ipsos ita stupefacere possent, ut omnem Dei memoriam a se repellere valerent. Quapropter iusta Dei vindicta evenit ut aliqua supremi Numinis cognitione semper illustrentur, quo continenter supplicio torqueantur severiore.

C A P U T V.

Præceptorum Decalogi obligatio gravis est. Dispensationi obnoxia minime sunt præcepta isthæc.

I. **P**Ræcepta Decalogi, quæ & iuris naturalis sunt, quoniam hominum mores formant, & divini, quod Deus illa præcipiat, suapte natura gravem præferunt obligationem. Defectus usus rationis, ut in fatuis, imperfecta deliberatio, ut accidit cum quis subita commotione percitus proximum percutit, materiæque parvitas, ut furtum unius oboli, levem efficeret transgressionem quandoque potest. His sublatis circumstantiis, transgressio cuiusque Decalogi præcepti, mortalis est. Quælibet namque Decalogi violatio a Deo hominem transgressorem abstrahit, avertitque. Inter Theologos omnes hac de re convenit: quocirca plura verba faciendæ minime sunt.

II.

II. De eorundem præceptorum dispensatione dissident Theologi. Ochamus II. *Sent. dist. xix.* contendit non modo omnia Decalogi præcepta dispensari, seu relaxari a Deo posse; verum etiam posse Deum iisdem opposita præcipere, si velit, ut odium sui ipsius, mendacium, idololatriam, idque genus similia. Quod ut evincat, textum promit D. Lucae i. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hæc opinio erronea est. Textus evangelicus hunc prodit sensum; nempe Deum ea omnia efficere posse quæ ut fiant, minime repugnat. Ea vero fieri repugnant quæ suapte natura mala sunt. Ex Ochami sententia, Deum peccare quoque posse infertur: quod aures horrent. Altera sententia defendit, in præceptis primæ tabulæ Deum dispensare non posse; secundæ vero tabulæ mandata divinæ dispensationi obnoxia esse. Hæc opinio Scoto in III. *Sent. dist. xvii.* eiusque discipulis adjudicatur.

III. Tertia sententia docet, nullum Decalogi præceptum nec a Deo, nec ab homine dispensari proprie posse. Hæc sententia vera est, atque inter Theologos communis. Eam docet D. Thomas i. 2. *quest. c. art. 8.* Richardus in III. *dist. xxxvii. art. 4.* Abulensis in cap. xx. *Exod. quest. xxxvii.* Caietanus i. 2. *quest. c. art. 8.* Conradus, & Medina *ibid.* Sotus *Lib. II. de iust. & iur. qu. III. art. 8.* Montelinus *disput. xxvi. de legib. Azorius Tom. I. Lib. VI. cap. i. quest. III. Valentia disput. VII. q. iv. punct. 6.* Becanus *tract. III. cap. III. quest. iv.* Vafbecanus *disp. clxxxix. Salas ad quest. xciv. tract. xiv. disput. v. sect. 9.* Granados *controv. VII. de legib. tract. II.* Tannerus *disp. v. quest. i. sub. 4.* Silvius i. 2. *quest. c. art. 8.* Salamancaenses *tract. XXI. cap. i. punct. II. num. 17.* Altsidorensis, Bonaventura, Maior, Navarrus, Sanchez, Covarruvias, Barbosa, Comitulus *de contract. P. I. cap. xvi.* ubi Tulliano eloquio more suo D. Thomæ sententiam propugnat.

IV. Si varius dispensationis significatus exponatur, fortasse dissidium omne tollitur. Scotus cum suis de dispensatione in ampla significatione accepta loquitur. D. Thomas, ceterique Theologi, dum indispensabilia enuntiant Decalogi mandata, dispensationem iuxta veram eiusdem notionem, propriumque significatum considerant. Dispensatio fufius latiusque considerata quamlibet interpretationem, declarationem, vel abrogationem legis, sin omnino, saltem ex parte, prodit. Hoc pacto dispensare idem est ac declarare quod

Conc. Theol. Tom. I.

aliquis lege in hoc aut illo casu non teneatur; aut quod aliquis actus qui absolute illicitus est, propter materiæ mutationem licitus sit. Dispensatio presse accepta, ac iuxta suum proprium significatum est, cum superior a lege, suam vim retinente, aliquem eximit, ceteris omnibus legis vinculo obstrictis. His positis, D. Thomæ sententia rationibus evincitur.

V. Decalogi præcepta ea iubent quæ suapte natura bona, eaque vetant quæ ex se mala sunt. Quæ porro eiusmodi sunt, nulla valent, etiam divina, potestate per dispensationem relaxari. Nec enim Deus ipse efficere valet ut quæ natura sua bona sunt, mala evadant, aut e contrario. Quam rationem lubet alio pacto proponere, ac ipsis fere D. Thomæ verbis explicare. Quippe legislator in lege condenda bonum commune intendit; ac mutuam subditos inter iustitiam, & tranquillitatem. Tria prima Decalogi mandata ipsum Deum spectant; secundæ vero tabulæ septem præcepta ordinem iustitiæ inter homines servandæ præscribunt. Tam ergo primæ quam secundæ tabulæ mandata intentionem continent legislatoris, bonum commune primum, deinde inter homines æquitatem spectantis. Præcepta autem quæ legislatoris intentionem in se continent, dispensationem nullam excipiunt. Hinc est quod plurimæ leges dispensationi subiaccant, quia quandoque accidit quod, si in hoc aut illo casu servarentur, legislatoris intentio frustraretur, seu legis observantia esset contra legislatoris mentem. Si ergo Decalogi præcepta semper intentionem Dei præferunt, numquam dispensationi obnoxia sunt. Verba transcribamus ipsius Angelici i. 2. *quest. c. art. 8. in cor. Tunc in præceptis debet fieri dispensatio, quando occurrit aliquis particularis casus in quo, si verbum legis observaretur, contrariaretur intentioni legislatoris. Intentio autem legislatoris cuiuslibet ordinatur primo quidem, & principaliter ad bonum commune; secundo autem ad ordinem iustitiæ, & virtutis, secundum quem bonum commune conservatur, & ad ipsum pervenitur. Si qua ergo præcepta dentur quæ contineant ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem iustitiæ, & virtutis, huiusmodi præcepta continent intentionem legislatoris; & ideo indispensabilia sunt: puta, si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus destrueret Rempublicam, neque proderet civitatem hostibus, sive quod nullus faceret aliquid iniuste, vel male; huiusmodi præcepta essent*

essent indispensabilia: sed si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinantur aliqui speciales modi; in talibus præceptis dispensatio posset fieri, in quantum per omissionem huiusmodi præceptorum in aliquibus casibus non fieret præiudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris, puta, si ad conservationem Reipublicæ statueretur in aliqua civitate, quod de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam civitatis obesse, posset cum aliquibus dispensari propter aliquam maiorem utilitatem. Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei. Nam præcepta primæ tabule, quæ ordinantur ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune, & finale, quod Deus est. Præcepta autem secundæ tabule continent ordinem iustitiæ inter omnes observandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum. Secundum hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta Decalogi. Et ideo præcepta Decalogi sunt indispensabilia. Hanc eandem rationem fufius exponit aliis quidem verbis in III. Sent. dist. xxxvii. q. i. art. 4. Hanc doctrinam hausit Angelicus tum ex ipso Christo dicente Matth. xix. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: tum ex D. Paulo, qui epist. ad Rom. cap. xiii. hæc docet: Qui diligit proximum legem implevit: Nam non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Iuxta D. Paulum caritatis lex secundæ tabulæ præcepta arcto complectitur vinculo. Atqui caritatis lex nullam patitur relaxationem, aut mutationem. Ergo neque Decalogi mandata. Huiusce rationis laqueo irretitus Scotus æstuat magnopere, inquit Paulus Comitolus, ut se expediat; sed parum, mea quidem sententia, aut admodum nihil proficit.

VI. Ut paucis omnia comprehendam, præ oculis habenda semper est distinctio præceptorum quæ legislatoris intentionem immediate, & suapte natura expriment, continentque, ab illis mandatis quæ tamquam media, & instrumenta apta ad legem servandam præscribuntur. Exemplum quod D. Thomas subiicit, peroptime rem declarat. Si quis, inquit ille, præcipit ut nemo Republicam destruat, ut nemo quidquam iniuste operetur, immutabilia sunt omnino eiusmodi præcepta: quia ipsam legislatoris præferunt intentionem, & bonum commune directe spectant. Istius porro generis sunt Decalogi præ-

cepta. Mandata vero quæ media præscribent quibus commune civitatis bonum factum tectum custodiretur, dispensationi, & mutationi forent obnoxia; ut si Rector civitatis juberet ut cives omnes alternatim excubias agerent, plures eximere superior posset, quod bono communi expediat quorumdam civium conservatio. Hæc omnia perspicua sunt, idcirco longiora esse non debent.

VII. Adversus expositam doctrinam plura obiiciunt Scotus, & Durandus ex sacra Scriptura arcessita: nempe quod Abrahamo innocenti filii necem Deus imperavit: quod divino imperio Ægyptiorum gazam asportaverunt Iudæi: quod illius iussu Oseas ex adultera muliere filios procreavit: quod Samson seipsum eisdem quibus obrivit hostes, rutenis oppressit: quod prisci Patriarchæ non una contenti uxore, plures duxerunt, easque in eodem contubernio, atque convictu retinuerunt: quod lex de rebus una possidendis, utendisque, ante primorum parentum crimen data, perpetuo flagitio abrogata sit: quod denique sacramento Romanus Pontifex exfolvit. Hæc ferme argumenta obiiciunt illi qui iuris naturalis vim immutabilem convellere satagunt.

VIII. Ut nullo negotio præfata argumenta diluamus, duplex distinguenda in Deo potestas est: una effectoris, & summi rerum omnium Domini; altera iudicis, & legislatoris. Hac posteriore utens facultate non laxavit unquam, nec laxare valet aliquod ex Decalogi mandatis. Aliena enim, invito domino innocente, furripere ita iniquum intrinsicus est, ut nullius legislatoris auctoritate, aut iudicis sententia iustum fieri possit. Si priorem potestatem exercere Deus velit, quæ largitus hominibus est, sive vitam, sive uxorem, sive regna, sive opes, bonaque omnia, vel ab iis auferre, vel ab uno in alium transferre potest æquissime; multoque æquius ac istius quam quisque propriam, qua non eget, vestem, aut pecuniam alteri donare valet. Nec in hoc quidquam dispensationis elucet, inquit Sotus loc. cit. cuius est doctrina isthæc. Cum enim rem tuam alteri tradis, non dispensas in furto: quia qui accipit a domino sponte libereque rem suam donante, haudquaquam furatur; ut si pater vestem parvuli filii, inquit laudatus Sotus, eo invito traderet amico, non dispensat in furto, licet invitus filius expolietur, quia pater verus dominus est; quemadmodum in furto minime dispensaret Prelatus meus, si me infocio, aut invito, supellestem qua utor, al-

te-

teri traderet. Hac doctrina posita, quam ex D. Thoma hausit illustravit Dominicus Sotus, corrunt omnia argumenta.

IX. Et ut a primi solutione exordiamur, cum Deus Abrahami iussu filii immolationem, neququam homicidii legem relaxavit; sed tamquam dominus vitæ Isaac illum immolandum patri tradidit: sicut quilibet dominus pecudem suam, cui voluerit, mactandam tradere valet; & si homo dominus esset vitæ suæ, sicut propriæ pecuniæ, alteri, ut se occideret, facultatem tribuere posset. Non quælibet ergo hominis occisio homicidium lege prohibitum dicitur: quin lex ipsa naturalis hominem flagitiosum occidi iubet: quapropter cum iudex reum carnifici perimendum tradit, minime in homicidio dispensat; sed potestate utitur sibi a Deo collata super hominem bono communi Reipublicæ infestum. Ex quo enim crimen commisit morte dignum, ius in vitam amisit suam.

X. Facilior est secundi argumenti solutio. Nam Deus, nedum ut supremus Dominus, sed etiam ut iudex, Ægypticorum vasa Hebræis tradit. Nullam siquidem laborum quos Ægyptiis Hebræi impenderant, mercedem receperant; idcirco Deus legitima potestate iudicis usus, debitum stipendium Iudæis persolvit, quemadmodum propter execranda Chananeorum scelera illorum terras suo populo tradidit. Nec iudex in furto dispensare dicitur, dum criminofum bonis omnibus privat.

XI. Cum vero facultatem Deus Oseæ fecit ut meretrice etiam invitata uteretur, non iudicis, sed supremi Domini potestatem exercuit: ideoque ipse sicut mulierem mactandam, ita quoque utendam homini tradere iure potuit. Nec copula illa fornicaria fuit: nam vel Deus animos utrorumque ita conciliavit ut mutuo consensu matrimonium inirent ambo; aut ipse consensum supplevit. Lubet hæc tria argumenta verbis Angelici dispellere 1. 2. quæst. c. a. 8. ad 3. Occisio hominis prohibetur in Decalogo, secundum quod habet rationem indebiti: sic enim præceptum continet ipsam rationem iustitiæ. Lex autem humana hoc concedere non potest, quod licite homo indebite occidatur; sed malefactores occidi, vel hostes Reipublicæ, hoc non est indebitum. Unde hoc non contrariatur præcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium quod præcepto Decalogi prohibetur, ut Aug. dicit Lib. I. de lib. arb. cap. iv. Et similiter si auferatur alicui quod suum erat, si debitum est quod suum amittat, hoc non est furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibetur.

Et ideo quando filii Israel præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum: quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter & Abraham, cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium: quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est dominus vitæ, & mortis. Ipse enim est qui poenam mortis infligit omnibus hominibus iniustis, & iniustis pro peccato primi parentis: cuius sententiæ si homo sit executor auctoritate divina, non erit homicida, sicut nec ipse Deus. Et similiter Oseæ accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mæchatus, nec fornicatus: quia accessit ad eam quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii. Sic igitur præcepta ipsa Decalogi quantum ad rationem iustitiæ quam continent, immutabilia sunt; sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (ut scilicet hoc, vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non) hoc quidem est mutabile; quandoque sola auctoritate divina, in his scilicet quæ a solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in aliis huiusmodi: quandoque etiam auctoritate humana, sicut in his quæ sunt commissa hominum iurisdictioni: quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia. Adeo perspicua sunt Angelici verba ut nulla egeant explicatione: illorum enim summa hæc est. Decalogi mandata ea iubent quæ natura sua bona, honesta, iusta, ac necessaria sunt; contra ea vetant quæ ex se flagitiosa sunt, atque prorsus vitanda. Quamdiu rei iustæ, aut vitæ vim naturamque retinent suam, ad Decalogum spectant; si qua adiunctione tales esse desierint, extra Decalogum esse censendum est. Idcirco consistit Angelici doctrina, quod iusta Decalogi relaxari dispensatione nequeunt. Sed quandoque Dei aut effectoris summi, aut iudicis potestate fit ut circumstantia aliqua adiecta, non contineantur in Decalogo quæ alioquin absolute spectata ad illud pertinebant.

XII. Quod ad Samsonem attinet, duplex circumfertur responsio, & utraque optima. Prima est Augustini asserentis, Samsonem celesti illustratione perfusus mortem sibi conscivisse, ut hostes suos puniret. Altera subdit, absque ulla revelatione potuisse Samsonem, ceu virum fortem, extremo se obicere periculo, ut inimicos Dei perimeret. Potuit siquidem non inanem concipere spem evadendi mortem, Dei maxime auxilio implorato, qui pristinas sibi restitueret

vires. Id etiam asseritur de Eleazaro, qui tamquam strenuus miles elephantem impetivit propria vita posthabita, ut dicit Sotus.

XIII. Plura hic dicenda forent de uxorum pluralitate, nisi in tractatu cum de lege naturali, tum de matrimonio latius controversia hæc discutienda esset. Nunc obiter admonemus, iuris naturalis mandata talia esse prima, & universalia, ut sunt hæc: bonum amandum, malum fugiendum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: alia quæ ex his proximè profiunt, ut sunt Decalogi mandata. Hæc sive primi, sive secundi generis mandata indispensabilia prorsus sunt: quia vetant ea quæ genere suo mala sunt, iubentque res suapte natura honestas, ac necessarias. Postrema sunt quædam iuris mandata quæ versantur circa materiam quæ alicuius circumstantiæ adiunctione variationem, ac limitationem excipit: potissimum quod finis harum rerum, non earumdem natura, mensura sit malitiæ, aut bonitatis. Quia tamen finis intimus est, nulla humana, sed dumtaxat divina potestate mutari queunt. Inter hæc triplicis generis naturalia præcepta hic est ordo, ut postrema secundis, secunda primis cedant. Nec uxorum pluralitas, nec maritalis coniunctio in primo consanguinitatis gradu sunt contra ius primum, aut secundarium: quippe absolute, & intrinsecus mala non sunt; quia tamen finem a natura spectatum impediunt, illique officiant, spectant ad ius naturale. Quapropter solus naturæ conditor potest eadem honestare: quoniam ipse solus, ut universi generis humani legislator, & conditor, & deprehendit quando finis occurrat nobilior, magisque divinum cultum, communeque bo-

num promovens, cuius intuitu possit declarare, naturalem legem tertii generis in hoc aut illo casu non obligare. Idcirco uxorum multitudo antiquis patribus concessa fuit, quia religiøsæ sobolis propagatio ad excitandum in terris, conservandum, amplificandumque divinum cultum plurimum conducere Deus cognovit. Prohibitio conubii inter fratres, non præfert aliquam iniustitiam, iniuriamve quam coniugum alter pateretur; sed naturalem tantum indecentiam, ac sceditatem. Nihil ergo vetat quin Deus, causa data, valeat in hoc dispensare: mihi que satis probabile est quod si universum humanum genus superstes in patre & filia remaneret, possent, divino accedente consensu, matrimonio iungi.

XIV. Ad duo postrema argumenta obvia solutio est. Nam, ut dictum est, naturalium legum tripartita est ratio: quædam præcipiunt quæ necessario suscipienda sunt; quædam vetant quæ fugienda sunt necessario; nonnullæ autem aliqua prohibent ob finem gravissimum, quem inspicunt; aut nec iubent, nec vetant; sed utendi, vel non utendi eiusmodi legibus hominibus concessa potestas est. Istius generis est ius sociale res a Deo conditas communiter possidendi. Nihil ergo contra naturæ ius moliti sunt homines, cum res communes dividerunt; sive eorumdem hominum consensione, sive Adami imperio, sive quorumcumque suasu, atque inductu facta divisio sit. Quod de iuramenti dispensatione subditur, in tractatu de iuramento latius diluetur. Verum plura de his omnibus dicentur cum de lege naturali sermo recurret. Pauca hæc nunc delibasse satis sit.

LIBER PRIMUS IN DECALOGUM.

DISSERTATIO PRIMA. DE FIDE.

UT communi Theologorum viæ insistam, antequam singula Decalogi præcepta ediffero, trium theologiarum virtutum præceptiones exhibeam oportet. Istarum namque cognitio viam ad pleniorum Decalogi intelligentiam comparandam sternit, quippe virtutes istæ fundamentum, & finis Decalogi. Fides basis est universæ religionis. *Fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis*, inquit Synodus Trident. sess. XVIII. cap. VIII. Caritas autem totius legis finis est, ut ex Apostolo do-

docet Augustinus in Enchirid. cap. cxxi. *Omnia igitur præcepta divina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apostolus I. Timoth. 2. Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Sub initium autem præfati Libri rogatus Augustinus, quoniam modo colendum Deus sit, respondet, *fide, spe, caritate colendum Deum.* Cum itaque primum Decalogi mandatum Dei veri cultum præcipiat, iure ab iis virtutibus orsa nostra ducimus quibus potissimum Deus colitur.

CAPUT I.

Recensentur propositiones damnata ab Ecclesia in materia fidei quæ mores regit.

I. **E**Rrores nonnullos qui fidei divinæ recte officiant, in Prolegomenis recensuimus; iterumque non paucos alios in hoc eodem Libro confutabimus. In præsentia propositiones isthuc transcribam quæ ab Ecclesia proscriptæ sunt. Sequentes ergo propositiones Summus Pontifex Innocentius XI. damnavit in fidei materia.

II. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabilis.* Enstructum *Probabilismi*. Hanc proscriptam opinionem docet expresse Thomas Sanchez *Lib. II. Sum. cap. 1. n. 6.* extra articulum mortis, quo in casu probabilioris sententiam amplecti quisque tenetur; inquit ille. Ergo ne altera Theologia est pro morte obeunda, altera pro vita ducenda? *Probabilismus* vitæ cursui inservit? *Probabiliorismus* extremam luctum regit? Plures quoque Protestantæ docere ferunt, in vita Lutheri religionem, in morte catholicam optimam esse. Præfatum opinionem proscriptam absolute defendit Ioannes Sanchez *disp. XIX. num. 9.* Pater Viva in commentariis ad hanc *proposit. num. 4.* eidem favere opinioni D. Thomam scribit; sed falsè æque, ac iniuriöse, ut suo loco palam fiet. Ex proscripta thesi optime, ac solido ratiocinio colligitur proscriptio opinionis minus probabilis in conspectu probabilioris in quacumque materia necessaria ad salutem. Cur licitum erit opinionem minus probabilem sequi in contractu, pacto, fœdereve, de cuius iustitia disputatur; secus in materia fidei? Quia, respondet P. Viva, *numquam licet sequi opinionem minus probabilem, quando datur lex, consuetudo, conventio de sequenda probabiliori; aut quando periculum gravis damni ad id obliget.* Egregie vero. Nullum ne gravis damni periculum urget in legum controversiis dirimendis? Error culpabilis in istis non detrudit in infernum, quemadmodum error infidelitatis? Cur error hic culpabilis erit, innocens vero

in alia materia? An periculum gravis damni imminet, si erres in fidei negotio; nullum vero periculum iacturæ instat, si iura violes, iustitiamque corumpas? Præ oculis habenda est doctrina vel ipsius P. Viva iniquitatis ad prop. I. Alexand. VII. n. 6. *Ubi damnatur aliqua propositio, attendenda est ratio damnationis: quæ, si æque militet pro propositione affini, hæc pariter implicite declaratur falsa, & omnino improbabilis.* Sed hæc cursim.

II. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Hanc sententiam docet Thomas Tamburinus *Lib. II. in Dec. cap. 1. n. 9. & 10. pag. 37. col. 2.* Fallitas istius sententiæ ex se patet. Si enim fide potissimum Deus colitur, illius arcanis, & mysteriis mentem captivando, quis asserere iure ausit nullum urgere fidei præceptum, quo Deus colatur?

III. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Hanc quoque opinionem docet Tamburinus *loc. cit. num. 8.* ubi ait: *Si sermo est de actu fidei necessario necessitate salutis; & hunc quidem semel in vita elicere satis esse, modo vidimus: num. 3.* Porro num. 3. citat pro hac sententia Thomam Sanchez, & Aragonium. Quasi tamen nimium rigida foret opinio isthæc, subdit: *Benignius loquitur Castropalaus Tom. I. tract. IV. disp. 1. par. II. num. 5. & 7.* Viden quo recidat non paucorum Probabilistarum benignitas? Fides divina æternæ salutis initium est: & tantæ virtutis actum semel elicere sat erit?

IV. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.* Hanc propositionem in nullo Casuistarum inveni. Pater Viva ex Sandæo illam decerptam asserit *nu. 3.* ex quibusdam thesibus Antverpiæ propugnatis an. 1674. præside P. Arnaldo Marchant Minorita. Adeo falsa est, ut illam vel ipsi benigniores Probabilistæ reiiciant.

V. *Voluntas non potest facere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

VI. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habet supernaturalem. Hæc duæ propositiones adeo falsæ, impudentesque apparent, ut induci quis vix possit quo credat Theologum quemquam reperitum fuisse qui easdem docuerit; eas tamen propugnatas fuisse Antverpiæ testatur Sandæus apud Vivam in *com. har. prop. num. 1.* Assensus fidei nititur firmitati divinæ revelationis, idcirco infallibilis est. Rationes quæ in fidei confirmationem adducuntur, haud evincunt evidenter obiectum creditum existere; neque satis sunt ad eliciendum infallibilem assensum. Ergo voluntas alio principio uti debet, ut assensus fidei firmus evadat. Hinc neque prudenter reiicere valet assensum fidei supernaturalem.

VII. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabilis revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. Plures Neotericos pro hac sententia pugnantem indicat P. Viva. Prioris partis defensores inducit Ripaldam, qui *disp. vi. sect. 6. n. 76.* defendit solum probabilitatem revelationis ad credendum aliquid fide supernaturali satis esse; negat tamen sociari hanc fidem posse cum formidine, sit ne locutus Deus, an non. Magna probabilitatis extensio, quæ per omnia vagatur. Merito damnata est propositio descripta, quoniam fidei assensus nititur firma certitudine divinæ revelationis.

VIII. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ, non autem explicita remuneratoris. Hæc propositio expresse adversatur oraculo D. Pauli ad Hebr. xi. *Crederet enim oportet accedentem ad Deum; quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

IX. Fides late dicta ex testimonio creaturæ, similive motivo ad iustificationem sufficit. Propositionem hanc adiudicant nonnulli P. Ripaldæ; sed ab hac nota illum asserit P. Viva. Verum ne sit, an falsum, non interest modo discutere. Falsitas propositionis manifesta est. Siquidem fides ad iustificationem necessaria divino nititur testimonio.

X. Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi. Istius proscriptæ thesisi auctor fertur esse Marchantius. Aliqui tamen benigna interpretatione ab hac nota eum liberant: Non valde ab eadem, saltem ad primam quod attinet partem, distare, ut ego quidem arbitror, videntur Castropalaus Tom. I. *Tract. iv. disp.*

1. punct. 11. num. 5. & 6. Emanuel Sa, Tamburinus *Lib. II. in Decalog. cap. 1. n. 4.* ubi laudat Turrianum, Vasquez, Sa, Co-ninch. Hi namque docent nunc dari posse ignorantiam invincibilem Trinitatis, & Incarnationis: ex quo sequitur capacem absolutionis esse qui præfata ignorat mysteria. Subdo tamen descriptam thesim ob id potissimum damnatam esse quod asserit absolutionis capacem hominem esse, etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, eiusmodi mysteria ignoret. Sed infra hæc omnia declaranda erunt.

XI. Sufficit illa mysteria semel credidisse. Hanc expresse docet Thomas Tamburinus *Lib. II. in Decal. cap. 1. num. 3.* Plura dicenda occurrent suo loco de hac propositione. Indicavi damnatarum thesim auctores non alio fine nisi ut illorum operum lectores admonerem. Tamburini opus manibus omnium teritur; & alioquin damnatæ theses haud sunt, sicuti in quibusdam aliis, notatæ. Quapropter facilis deceptio est.

XII. Duas alias propositiones proscriptas in hac materia Clerus Gallicanus an. 1730. Prima hæc est: *Religio christiana est evidenter credibilis; nam evidens est prudentem esse quisquis eam amplectatur: non evidenter vera; nam aut obscure docet, aut quæ docet, obscura sunt. Immo qui aiunt, Religionem christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse. 1. Quod existat nunc in terris aliqua vera Religio. Unde enim habes non omnem carnem corrupisse viam suam? 2. Quod omnium quæ in terra sunt, verisimillima sit christiana. An enim omnes terras peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? 3. Quod ab Apostolis, & demonibus manifesta fuerit Divinitas Christi: id enim si doces, docere te oportet, Christum manifeste Deum esse. 4. Quod afflante Deo fusa sint Prophetarum oracula: quid enim mihi opponas, vel si negem illa fuisse vera vaticinia, vel affirmem coniecturas? 5. Quod vera fuerint quæ a Christo edita fuisse commemorantur miracula: quamquam negare hæc nemo prudenter potest.*

Censura quam Clerus Gallicanus tulit in propositionem præfata hæc est. *Doctrina hac propositione contenta, impia est, blasphemata, erronea, & inimicis christiana religionis favet.*

XIII. Altera hæc est. *Evidens non est evidentiæ morali proprie dicta, & physica religionem christianam veram esse.*

Censura. *Hæc propositio, doctrinam super-*

riori propositioni consentaneam continens, temeraria est, & in errorem inducens.

XIV. Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est predicatus, peccatum est. Damnata fuit a Pio V. & Gregorio XIII.

XV. Nihil credendum est quod excedat nostri intellectus virtutem. Concilium Rhemen-se hanc Petri Abaelardi propositionem damnavit anno 1148.

XVI. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiam si videantur credere, non est fides divina, sed humana. Similis est 51. Paschali Quesnelli.

CAPUT II.

Propositiones quorundam Casuistarum quæ nimium laxæ videntur.

I. PRæter theses ab Ecclesia damnatas in quorundam Auctorum libris, quæ, ut ego quidem arbitror, nimium ab evangelica morum disciplina declinant. Et quamvis censura ecclesiastica iniusta ipsis non sit, non ideo tamen securæ sunt conscientiarum regulæ. Ut igitur Lector eadem facilius evitet, tamquam naufragii scopulos, quasdam isthuc transcribam earum quæ, mea quidem sententia, inter laxas perscribi debent.

II. „ Et quidem in praxi existimo numquam, aut rarissime denegandam absolutionem ob doctrinæ christianæ ignorantiam: quia quædam ignorantia non habent commode doctorem, & Confessor potest illos instruere, nec ipsi maiorem addiscendi capacitatem habent. “ Thomas Sanchez *Lib. II. Sum. cap. III. num. 21.* Hæc propositio parum distare videtur ab hac proscripta: *Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia mysteriorum fidei.* Adiciit ibidem. „ Immo (ut n. 23. dicemus) hæc perfecta instructio non est necessaria ad eos absolvendos. “ Numero autem 23. hæc subdit. *Immo in rigore, & si penitens bona valetudine utatur, non tenetur Confessor eum instruere, procurando ut nunc addiscat &c.* Quam sit falsa & laxa hæc doctrina, iudicent sapientes. Neque enim ego censorem ago, sed Theologum monitorem.

III. „ Dum infidelis sibi persuasum habet, suam sectam esse probabilem, quamvis contraria sit probabilior, teneretur utique in articulo mortis constitutus veram fidem, quam probabiliorē iudicat, amplecti, ut pote qui in eo articulo est con-

stitutus in quo de extrema salute agitur, ac proinde partem quam tutiorem, & probabiliorē iudicat, amplecti tenetur; at extra eum articulum non tenetur: quod adhuc prudenter exiisimetur, se posse in sua secta perseverare, tempusque rei melius examinandæ superfit. Adde, mysteria fidei tam sublimia esse, ac christianos mores adeo carnis & sanguinis legibus repugnare, ut non quavis maior probabilitas sufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem. “ Thomas Sanchez *Lib. II. Decal. cap. 1. n. 6.* Moya *Part. II. ad tract. vi. appen. disp. v. quæst. 2.* Hæc doctrina Pyrrhonismum invehit in Religionis negotium. Vide *infra cap. x. num. 10.*

IV. „ Eo assensu semel habito, præceptum hoc affirmativum fidei per se directe amplius non obligat . . . quia ex una parte nullum potest assignari tempus certum & determinatum neque Christi, neque Ecclesiæ lege, quo per se directe obligaret præceptum fidei, quo ad actum internum . . . ideo Christus Dominus prudenter creditur non voluisse imponere præceptum per se distinctum fidei. “ Patritius Sporer *tract. II. in Decal. cap. II. sec. 3. §. 3.* Vide *infra cap. x. n. 17.*

V. „ Puto per se, & directe numquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicite ex vi necessitatis præcepti fidei. “ Tamburinus *Lib. II. in Decalog. cap. 1. §. 1. num. 9.*

VI. „ An obliget per se præceptum fidei ad actu credendum semel in singulis annis? . . . Probabilius certe respondeo, non obligare; quia non est unde talis obligatio colligatur. “ Leander a SS. Sacramento *tract. II. de fide disput. II. quæst. xxxvii.*

VII. „ Probabilius respondeo, hoc divinum præceptum nullo modo obligare per se aut ex vi ipsius præcepti ad eliciendos actus fidei in articulo mortis: quia nec ratio, nec textus aliquis cogit ad oppositum asserendum. “ Idem Leander *tract. II. in Decal. cap. II. sec. 2. §. 3. n. 19.* & alii.

VIII. „ Immo existimo satis probabile, ex magna causa, v. g. ad evitandam mortem, victoriam ab hostibus reportandam, posse Christianos uti veste instituta ad profitendam falsam sectam, v. g. veste sacerdotali Tatarorum, vexillo ubi depictus sit Mahometus. “ Antonius a Spiritu Sancto *tract. I. disp. 1. sec. 6. n. 26. pag. 4.* Vide *infra cap. XIII. n. 15.*

IX. „ Rustici, alique homines simplicio-

res in Germania, qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi a suis parochis. Ratio est, quia non sunt hæretici formales, habentque fidem catholicam in baptismo acceptam, quæ non perditur, nisi errando pertinaciter. "Busembau apud La Croix Lib. II. cap. iv. dub. 3. num. 5. Vide infra disp. II. cap. XIII. num. 16.

X. „Etiam facta promulgatione Evangelii non est necessaria necessitate mediæ notitia explicita Trinitatis, aut mysterii Incarnationis, sed solum præcepti, atque adeo contingere alicui potest salus, quin explicitè cognoscat Filium Dei incarnatum fuisse, & pro nobis passum. "Castropalaus Tom. I. tract. iv. disp. I. punct. 9. num. 7.

XI. „Dubius in fide dubio voluntario, sed mere suspensivo, hæreticus non est. "Torrecilla Tom. I. Sum. tract. III. disp. I. cap. I. sec. 10. num. 144.

XII. „Ut quis tamquam hæreticus habeatur in foro interno, opus est ut cognoscat, & advertat in opinione sua procedere contra quod definitum est ab Ecclesia, ejus auctoritatem contemnens. "Torrecilla Tom. I. Sum. tract. III. disp. I. cap. I.

C A P U T III.

Multiplex fidei acceptio: eiusdem vera notio, divisio, atque obiectum, conditionesque illud comitantes.

I. **P**lurimæ sunt fidei acceptiones, quarum aliquas hic indicabimus. I. Fides veracitatem, seu sinceritatem prodit. II. Pro fidelitate, seu promissione usurpatur, iuxta illud I. ad Timoth. v. *Primam fidem irritam fecerunt*; idest, sponsonem Deo datam violaverunt. III. Pro conscientia, seu persuasione sumitur: quo in sensu aliquis bonæ, aut malæ fidei possessor appellatur. Hinc ad Rom. xiv. dicitur: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quidquid enim quod conscientia, seu ratione non distante sit, peccatum est. IV. Fides rem ipsa credendam, seu obiectum fidei significat. Quapropter in Symbolo quod Athanasii dicitur, eiusmodi habentur: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Fides hoc loco doctrinam, articuloque credendos præfert. V. Fides accipitur pro assensu quem ob alicuius testimonii auctoritatem præstamus. Si testimonium humanum est, fides itidem humana

dicitur; & hæc fides fallibilis est, quia nititur testimonio fallaci. Si testimonium divinum sit, divina fides nuncupatur; estque firma, & infallibilis. VI. Aliquando fides pro fiducia usurpatur: *Postulet in fide nihil hæsitans.* Iacob. I. & Evangelista Matthæus cap. xxi. *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis.* Non negaverim tamen eiusmodi textus etiam pro fide proprie considerata usurpari posse.

II. De fide theologica, a spe aliisque virtutibus distincta, nobis in præsentia sermo est. Huius fidei hanc tradit notionem D. Paulus ad Hebr. xi. *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Hanc D. Pauli definitionem sic explicat Angelicus 2. 2. quæst. iv. art. I. *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus.* Alias ibi definitiones prodit: nempe Augustini dicentis: *Fides est virtus qua creduntur quæ non videntur.* tract. xl. in Ioan. & Damasceni iniquentis Lib. IV. cap. xii. *Fides est non inquisitivus consensus.* Communis, quæ nunc obtinet, definitio hæc est: *Fides est habitus infusus, quo firmiter assentimur veritatibus a Deo revelatis, & ab Ecclesia propositis.* Fides itaque theologica uni auctoritati divinæ veritatis revelantis innititur. Hæc autem divina revelatio per Ecclesiæ propositionem nobis constat.

Quæ porro Deus revelavit ut credantur, in divina Scriptura continentur, aut traditione apostolico-divina absque verbo scripto.

III. Partitur hæc fides in *actualem*, & *habitualem*. *Actualis* est assensus supernaturalis firmus, & certus, omnem excludens dubitationem, datus rebus a Deo revelatis proprie Dei revelantis auctoritatem. *Habitualis* est virtus infusa quæ nos permanentiter habiles reddit ad eliciendos actus fidei cum auxilio gratiæ actualis. Item partitur in *formatam*, & *informem*, seu *vivam*, & *mortuam*. *Fides formata*, & *viva* illa est quæ gratia habituali, & caritate alitur, & fovetur, quæque per dilectionem operatur, fructusque edit vita æterna dignos. *Informis* est quæ gratia habituali, & caritate, destituitur. Illa in iustis, hæc in peccatoribus reperitur. Tandem alia est *fides explicita*, alia est *implicita*. Illa dicitur *explicita*, qua creditur articulus expresse a Deo revelatus; ea vero appellatur *implicita*, qua assentimur alicui articulo revelato, non sub propriis terminis, sed in altero articulo. Credis explicitè mysterium resurrectionis, & in eo implicitè iustorum vitam æternam resurrectionem. Ita commu-

ni-

niter Theologi. Utrumque tamen articulum fide explicita nos credimus. Hæc proinde divisio obiectiva potissimum est, quatenus unum obiectum implicite revelatum est in alio expresse revelato; & dum credo unum explicitè, aliud simul implicite credo. Ceterum hoc idem implicite revelatum explicito assensu credere possum.

IV. Obiectum fidei illud dicitur quod menti credendum proponitur. Duplex est *materiale*, & *formale*. Obiectum *materiale* appellari etiam solet obiectum *formale quod*, quatenus distinguitur ab obiecto *formali quo*. Illud est res omnis quæ creditur; hoc vero est ratio formalis *sub qua* creditur. Obiectum *materiale*, seu *formale qua* fidei primum est Deus; cetera omnia revelata, sunt obiecta *secundaria*. De hoc infra cap. VII. Obiectum *formale quo*, seu ratio cur credimus, est prima veritas obscure revelans. Ratio cur solus Deus sit obiectum *formale quod*, seu *materiale primum*, perspicua est: quoniam fides per se primo Deum attingit, illiusque notitiam inquirit; cetera vero omnia attingit, quatenus Deum respiciunt aut tamquam principium a quo proficiuntur, aut tamquam finem ad quem redeunt. Audiamus Angelicum 2. 2. quæst. I. art. I. *Si consideremus materialiter ea quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia, secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scilicet per aliquos Divinitatis effectus homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem. Et ideo ex hac parte etiam obiectum fidei est quodammodo veritas prima, in quantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum.* Altera porro pars, nempe quod sola prima veritas obscure revelans sit obiectum *formale quo*, seu ratio sub qua, fidei theologice, æque clara est, & evidens. Assensus namque fidei certus firmusque est: certo ergo, atque firmo testimonio innitatur oportet. Solum autem testimonium divinum, seu divina veritas nec fallere, nec falli potest. Ergo fides theologica soli divinæ veritati revelanti assentitur, quemadmodum solum Deum primo & per se credit. Hinc collige quam merito proscriptæ sint ab Innocentio XI. propositiones 19. & 20. quas cap. I. num. 5. & 7. descripsi.

V. Inter conditiones quæ fidei obiectum comitantur, potissima, & absolute necessaria est catholice Ecclesiæ propositio. Ecclesia namque organum est, & instrumentum quo Deus hominibus suam patefacit voluntatem, suaque referat arcana. *Innititur*

enim fides nostra (inquit Angelicus I. Part. quæst. I. art. 8. ad 2.) *revelationi Apostolicæ, & Prophetis factæ, qui canonicos Libros scripserunt; non autem revelationi, si qua fuit facta aliis Doctoribus.* Revelationes igitur divinæ privatis fidelibus factæ minime pertinent ad obiectum fidei theologice. Porro, ut nobis constet quæ Deus omnibus credenda revelavit, catholice Ecclesiæ voce opus est. In divinam ergo revelationem, tamquam in suam verum ac unicum principium, seu rationem formalem, fides resolvitur; in auctoritatem vero Ecclesiæ, tamquam in conditionem sine qua nobis constare certo non potest aliquem articulum esse a Deo revelatum. Verum hoc de argumentato haud expedit nunc longiorem habere sermonem. Secunda conditio est certitudo adeo firma, ut quamcumque dubitationem formidinemque excludat. Tertia est obscuritas: visio enim, & claritas fidem non patiuntur.

VI. Triplicem fidei actum, iuxta triplicem ordinem quo fides theologica Deum spectat, distinguit D. Thomas 2. 2. quæst. II. art. 2. nempe *credere Deo*, *credere Deum*, *credere in Deum*. Vel enim respicimus Deum tamquam obiectum *formale quo*, seu *cui* innititur fides, & cuius ratione credimus ea quæ credenda sunt; & hoc modo *credimus Deo*. Vel inspicimus Deum tamquam obiectum *materiale quod* creditur; & tunc *credimus Deum*. Vel tandem aspiciamus Deum, quatenus intellectus a voluntate motus in ipsum ceu in ultimum finem tendit; & hac via *credimus in Deum*. Hunc actum credendi in Deum elicere quoque peccatores, quamvis imperfecte, certum est. Omnes namque fideles, sive iusti, sive impii recitant Symbolum *Credo in Deum*.

C A P U T IV.

Fides ad salutem necessaria, non est peculiaris certa que fiducia, qua quis credat sibi esse remissa peccata, vel se ad æternam beatitudinem esse prædestinatum.

I. **D**elibatis fidei notionibus, & quo in sensu fides theologica accipienda sit, ob oculos posito, præcipuus nunc Lutheranorum, atque Calvinistarum error ad examen revocandus est. Hanc quippe methodum nobis præstitimus, Catholicos scilicet non modo in morum regulis instruere, verum etiam adversus hæreticorum crassas aberrationes brevi quadam velitatione, veluti per transennam, occasione data munire. Porro

Porro capitalis Protestantium error, atque omnium hæresum veluti scaturigo, in hoc situs est, quod doceant, fidem christianam nihil aliud esse quam fiduciam certam, firmamque, qua Christiani credunt sibi remissa esse peccata. In hac fiducia totam iustificationem collocant. Animos, inquit, summat peccator, quantumlibet sceleribus, & flagitiis gravissimis inquinatus: confidat, certoque credat virtute meritorum Christi sibi condonata esse crimina; & continuo sicut nix dealbata est anima illius. Quid ad peccatorum horrorem tollendum validius, quid ad impellendos homines in delictorum perpetrationem efficacius, quid ad divinæ iustitiæ timorem excutiendum fortius excogitare demonumquam potuit? Et reapse, hoc posito principio, poenitentiae virtutem, ieiunia, opera laboriosa de medio sustulerunt Protestantes, totamque iustificationis nostræ œconomiam fusdeque perturbarunt.

II. Calvinus Lib. III. *Instit.* cap. XI. quæstionem hanc precipuum esse sustinenda Religionis cardinem scribit. Plures textus adducit sacros, ut suam firmet hæresim. Deinde num. 19. loc. cit. sic effatur. *Iam perspicit lector, quanta equitate doctrinam nostram hodie sophista cavillentur, quum dicimus hominem sola fide iustificari. Fide iustificari hominem, quia toties in Scriptura recurrit, negare non audent; sed quum nusquam exprimitur sola, hanc adiectionem fieri non sustinent.... Hic ingeniosum subterfugium habet: quod tametsi non excogitarunt ipsi, sed ab Origene, & quibusdam veterum sumpservunt, ineptissimum tamen est. Opera legis ceremonialia excludi garrunt, non moralia. Sic proficiunt assidue rixando, ut ne prima quidem dialectica elementa teneant. Audistim superciliosi hominis iactantiam, & impudentem veterum Doctorum contemptionem; Originem, ceterosque veteres Catholicorum sententiam docere, ipsa cogente veritate, fateatur. Sed antiquam doctrinam, qua Patres, & Catholici asserunt, opera ceremonialia legis excludi a iustificatione impii, secus opera vi gratiæ divinæ parta, ceu ineptissimum perfugium reiicit. Contendit quippe solam fidem ex impio iustum efficere, universo Scripturarum, & veterum Patrum choro reclamante. Quid quod ipse numero sequenti, velit, nolit, sibi minime constans, concedit non quamcumque fidem, sed solam fidem quæ per dilectionem operatur, iustificationem efficere? En eiusdem verba loc. cit. num. 20. *Ac frustra etiam frivolam subtilitatem ca-**

ptant, iustificari nos sola fide qua per dilectionem operatur, ut nitatur caritate iustitia. Fatemur quidem cum Paulo non aliam fidem iustificare quam illam caritate efficacem; sed ab illa caritatis efficacia iustificandi vim non sumit. Hoc probandum Calvino incubuisset. Si cum Paulo confitetur solam fidem quæ caritate operatur, peccata delere; cur cum eodem Apostolo caritati primas in hoc negotio partes non tribuit? Negare ne ausit Calvinus, D. Paulum ubique caritatem supra ceteras omnes virtutes, & speciatim supra fidem, spemque extollere? An non clamat Paulus, nihil sibi prodesse neque fidem, neque mysteriorum scientiam, neque corporis incendium, neque pauperum solamen, si caritate non ardeat? Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.... Nunc autem manent fides, spes, caritas tria hæc; maior autem horum est caritas. I. Cor. cap. XIII. Si conceptis verbis Paulus testatur, se nihil esse, sibi nihil prodesse fidem, etiam adeo viva, & firma esset, ut montes alio transferret; si caritate caret: qua fronte, quo ausu effutit Calvinus fidem a caritate vim, & efficacitatem non sumere? Non vacat nunc innumeris Scripturarum textus afferre ad retundendam Calvinii effrontem audaciam. Alibi hoc præstabimus, ubi nempe de iustificatione sermo recurrit. In præfens paucis rem omnem perstringam.

III. Fides ergo theologica est assensus omnibus a Deo revelatis præstitis ob auctoritatem divini testimonii. Fiducia de singulari Dei misericordia qua sibi quisque promissiones divinas de peccatorum remissione applicat, si timorem divinæ iustitiæ comitem habeat, actus spei est, ad iustificationem utique necessarius, minime vero iustificationem efficiens. Quin si timorem, dubitationemque excludat omnem, ut hæretici contendunt, non spei, sed præsumptionis actus est. Quapropter sanctum Dei verbum non modo non præcipit fiduciam, qua quis credat, & firmissime confidat, sibi esse remissa peccata, sed e contrario potius admonet semper timendum, verendumque de æterna salute. Audi sanctissimum Iobum, quem intus conscientia iudex nullius, vel levioris, culpæ redarguebat, cuncta sua opera verentem:

Et-

*Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignoravit anima mea... verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti: cap. IX. Vem habet, reponet Calvinus, quod Iob non Dei misericordiam quæ fiduciam excitat, sed sua opera quæ timorem merito incutere debent, spectabat. Ita ne vero? Audi ergo Ecclesiasticum ita cavillum tuum repellentem cap. V. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum; & ne dicas: Misericordia Domini magna est, & multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Vetat ergo Spiritus sanctus ne vitam transigamus sine metu de eo peccato quod condonatum nobis a divina misericordia confidimus. Adducant Calviniani, & Lutherani aliquem textum qui fiduciam remissi peccati absque ullo timore præcipiat. Nos interim alium inter sexcentos efferimus, qui timorem, pavoremque commendat: ita namque loc. cit. cap. IX. *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum reservantur incerta.* Adeo hæc perspicua sunt, ut nulla valeant cavillatione eludi. Plurima alia ex Scripturis, innumera ex Patribus afferre possem in medium; sed præstituta brevitatis non finit. Promam duntaxat quæ de hac re Synodus Tridentina definiit *sess. VI. cap. IX.* sequentibus canonibus.*

Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse qua iustificamur; anathema sit.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse ut credat certo, & absque ulla hæsitacione propriæ infirmitatis, & indispositionis peccata sibi esse remissa; anathema sit.

Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac iustificari ex eo quod se absolvi, ac iustificari certo credat; aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici; anathema sit.

Si quis dixerit, hominem venatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certe esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

IV. Obiciunt plures ex sacra Scriptura te xtus Calvinistæ, & Lutherani. D. Paulus

ad Rom. VIII. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus.... certus sum quia neque mors, neque vita &c. neque creatura aliqua poterit nos separare a caritate Dei.* Hinc colligere licet viris iustis moralem, seu probabilem quamdam certitudinem propriæ æternæ salutis. At certitudo isthæc nequaquam ad fidei theologice firmitatem pertingit, sed formidini, & hæsitacioni immixta est. Spiritus sanctus testimonium iustis reddit quod filii Dei sint, quando intus conscientia sensus nihil illis adversus legem exprobrat, nihil regerit; immo tunc interiore affectu fiduciam in Deum excitat, iuxta illud I. Ioannis III. *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Iusti, qui divino fervent amore, qui rerum divinarum meditatione lætantur, qui Dei cultum atque honorem pro virili parte promovent, qui animi tranquillitate inter miseræ huius vitæ fluctus perfruuntur, qui non modo a peccatis abstinent, omnemque, quantumlibet levem, offensam cave peius, & angue odio habent; sed in via Domini quotidie proficiunt, atque reluctante carne, & reclamantibus sensibus ad virtutis fastigium conscendere adnituntur: iusti, inquam, huiusmodi internam quamdam peculiarem fiduciam experiuntur salutis, & cælesti dulcedine, & suavissima quadam teneritudine tanguntur, ipsi Spiritus sancti inhabitantis opera, ut nemo inficiatur. Sed subdit Apostolus I. ad Cor. IV. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Siquidem remanet semper verendi fundamentum, sint ne eiusmodi affectiones, desideria, conatus, Spiritus sancti motiones, an sensuum nostrorum illusiones. Simiam sæpe agit amor nostri, & divini amoris non raro effingit prærogativas. Sæpe nobis ipsi illudimus, & mala bona dicimus. Plures ergo similes textus verbi Dei hac ratione interpretandi sunt, quod scilicet iusti viri probabilissimam certitudinem habere suæ æternæ salutis valent; secus firmam, quæ dubitationem, timoremque excludat. Sic ratio, sic Patrum, & Conciliorum auctoritas intelligere, quos opponere solent Calvinistæ, textus nos edocent. Pudeat ergo Novatores istos adversus universam antiquitatem classicam canere.

CAPUT V.

Qua fide theologica credenda ab Ecclesia proponuntur, evidenter credibilia sunt.

I. **U**T exposita propositio clarius percipiatur, distinguamus oportet id quod est evidenter verum, ab eo quod est evidenter credibile. Veritas aut seipsa, aut per sua prædicata essentialia & intrinseca intellectui se prodat necessum est, ut evidenter sciatur. Illud vero credibile dicitur quod prudentem fidei assensum sibi meretur. Si argumenta quæ evincunt rem dignam esse ut credatur, urgentia sunt, & maxima; res illa dicitur evidenter credibilis. Cum evidentiâ veritatis numquam reperitur falsitas; secus cum evidentiâ credibilitatis. Plures enim testes possunt quidpiam efficere evidenter credibile quod falsum simul esse quit: quoniam testes vel falli, aut fallere valent. Hoc accidit in humanis, minime in divinis, in quibus testimonium Dei errori subesse nequit, neque deceptioni.

II. Probatur propositio exposita. Illud est evidenter credibile quod luculentissimis pluribusque argumentis ostenditur dignum esse ut fidei assensus eidem adhibeatur. Eiusmodi sunt veritates fidei catholicæ. Ergo sunt evidenter credibiles. Minor propositio ostendenda est. *Testimonia tua* (inquit regius Vates Psal. xcii.) *credibilia sunt nimis.* Sed melius evinci propositio nequit quam argumenta recensendo quæ credibilitatem articulorum fidei præferunt.

III. Primum est Prophetarum vaticinia, quibus Religio christiana, eiusque institutor Christus Dominus prænuntiatus fuit. Legantur prophetiæ Iacob, Danielis, & Isaïæ, in quibus talem quisque inveniet Servatorem nostrum *Jesus Christum*, qualem nobis repræsentant Evangelistæ.

IV. Secundum est eiusdem fidei propagatio per universum orbem: quæ sane propagatio, si serio expendatur, vi efficacissima mentem impellit ad assentiendum huic Religioni. Hæc namque mysteria proponit humanæ rationi impervia, quæ mentem non afficiunt, sed potius animum obruant, terrentque. Eiusmodi tamen arcana, non armorum strepitu, non divitiarum copia, non eloquentiæ lenociniis, non voluptatum illecebris, sed a duodecim piscatoribus rudibus, imperitis, sola paupertate, humilitate, rerum omnium penuria instructis, prædicata sunt. Quam rationem exponit Paulus Apo-

stolus I. Cor. i. *Videte, fratres, vocationem vestram, quod non multi potentes secundum carnem, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* Accedit quod Religio christiana tam sublimis, tam carni & sanguini infesta, annuntiata sit auditoribus ab eadem summopere aversis; nempe Iudæis obduratis, Ethnicis idolorum cultui addictis; & quod omnium maximum est, propagatio facta fuit, Regibus, Imperatoribus, supremisque mundi Rectoribus obstitentibus; quique, ut prædicationem impedirent, nullum non moverunt lapidem, nullumque cruciatum, nullum tormentum otiosum reliquere. Sed omnia irrito conatu ceciderunt: & idololatria, quæ post diluvium universum mundum, parvo angulo excepto, invaserat, quæ ubique vexillum erexerat, Principum, & Regum, ac nationum cultu, & obsequio præfulgens, unius crucis, quæ paulo ante ludibrio habebatur, virtute pulsa, ac tenebrarum obscuritate sepulta fuit: & crucem ipsam venerari, Hominemque Deum Christum, ut legislatorem, generisque humani servatorem, colere coeperunt, non modo rudes, pauperes, ignobiles, sed viri sapientes, præstantissimi Philosophi, præclarissimæ femine, urbium Magistratus, provinciarum Præfecti, Tribuni, Duces, Principes, ac tandem Reges, & Imperatores. Nonne ergo a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Psal. cxvii.

V. Tertium credibilitatis indicium est Religionis christianæ sanctitas, quæ dogmatum veritate, & legum iustitia constat. Dogmata quæ credenda Religio hæc proponit, alia ratione investigari queunt, alia rationis obtutum superant. Quæ ratione attinguntur, adeo mentibus nostris præiudiciorum vacuis consentanea sunt, ut a nemine respui possint. Omnia siquidem quæ Deo adscribit, nempe unitatem, sapientiam, immensitatem, iustitiam, bonitatem, misericordiam, ceteraque perfectiones, rationi consentanea sunt, & Divinitatem produunt. Quenam Religio unquam tam alte de Deo sensit ac christiana? Quenam Numini tam excelsa, tam sublimia attributa adscripsit? Omnia tam Philosophorum, tum Poetarum gentilium elogia, quæ suis panxere idolis, nugæ sunt, & geræ, si cum iis conferantur quæ Prophetas nostri uni vero Deo cecinerunt. Quæ porro

rationem excedunt, rationi congruunt. Quid namque rationi conformius quam ea de Deo credenda proponere quæ humana comprehendere mens nequit? Solus Deus seipsum plene cognoscere valet, quia solus est infinita præditus mente, & intelligentia. An ne infinitus foret, & immensus, si finitum ingenium hominis, angustaque mens sua vi, & cognitione illum æquaret? Latent ergo in Deo arcana, perfectiones, & mysteria, quæ solo lumine divinitus infuso attingi queunt; quæque vel ob hoc sibi adsciscunt obsequium nostrum quod mentis nostræ limites infinite excedant: nihil tamen præferunt quod rationi nostræ repugnet.

VI. Quam autem honestæ, sanctæ, piæque sint leges quæ, ut mores actionesque informant, præscribuntur a christiana Religione, multis explicare non est opus. Quæ institutio purior, sanctiorque ea quæ in primis Deum super omnia diligere, & proximum eodem ac nosmetipsos amore prosequi iubet? Quæ omnem dolum, fraudemque in verbis, factisque, quæ mendacia, furta, adulteria, fornicationes, impudicitias, iniurias, cuiusque inhonestatis imaginem execratur: quæ non modo peccata, vitia, criminaque omnia externa, sed etiam cogitationes pravas, omnesque internas animi machinationes minus rectas vetat, & detestatur: quæ cordis, animique puritatem, carnis, & rebellium appetitionum macerationem præscribit: quæ denique iubet bonum pro malo rependere, nedum offensibus parcere, pro persequentibus orare, pietatis & misericordiæ officia erga omnes, cum amicis, tum inimicis, exercere, omniaque & animi, & corporis actiones ad Dei gloriam referre. Si Religio isthæc ubique honestatem, pietatem, æquitatem, ac sanctitatem redolet; sancta, & honesta in seipsa sit necessum est. Si honesta, & sancta, ergo a Deo est: & si a Deo est, digna ergo ut credatur.

VII. Quartum credibilitatis argumentum est immensa prodigiorum multitudo. Miraculis namque concepta, & parta est christiana Religio. Quis enumerare sufficiat miracula quæ Christus patravit? Cæcis visum, surdis auditum, infirmis sanitatem, mortuis vitam restituit. Horum miraculorum testes oculati extiterunt Apostoli. Quid enim illos tam arcto vinculo devinxisset homini mortuo, ut mortem pro illius fide oppeterent? Quid ab eo aut sperare hoc in mundo, aut timere poterant? Erat ne quidquam terrenæ felicitatis quod eos in illius obsequium inducere posset?

Deum ergo illum habebant, a quo æternam in cælis beatitudinem sperabant. Quid quod eiusmodi miracula omnibus prædicabant? Falsa hæc si fuissent, falsitatis, & imposturæ relictæ illico fuissent. Accedit quod Magistri miracula prædicantes, & doctrinam, innumeris miraculis confirmabant, ut testatur Marcus cap. ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quid multa? Ipsi miracula ista quodammodo videmus. Nam præter alia plura mundi conversionem spectamus. Omnium autem prodigiorum maximum foret, si absque miraculis orbis terrarum Christo cruci affixo fidem adhibuisset. Hoc argumentum fuse pertractat Augustinus *Lib. XXII. de Civ. Dei cap. v.* ubi sic concludit: *Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur resurrectionem, atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt; hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod ea terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* Capite vero VIII. eiusdem Libri Iulius hoc de argumento loquitur. *Quisquis* (inquit) *adhuc prodigia, ut credat, inquit; magnum est ipse prodigium, quod, mundo credente, non credit.* Plurima ibidem miracula recenset, quorum ipse se oculatum testem tum Mediolani, tum Carthagine fuisse fatetur.

VIII. Quintum credibilitatis argumentum est testium dignitas omni exceptione maior. Quod ut a suo principio repetam, observandum est, unicam semper fuisse Dei Ecclesiam & Religionem; quamvis varios status, modosque subierit. Antiqua Iudæorum tropis, figurisque plena novum Christianorum portendebat fœdus, cælestemque Messiam innumeris symbolis præferebat. Porro iudaicæ Religionis primus testis simul, & scriptor sit Moyse. Hic scriptis consignavit Religionis divinæ veritatem. Epochas, momentaque adeo suspicua ponit, ut cuiusque deceptionis suspicionem excludat. Quæ priores epochæ, mundi creatio, & aquarum diluvium, tam propinquæ sunt, ut, longæva hominum ætate spectata, una alteram tangeret, earumque memoria tempore quo Moyse scribebat, recens esset. Siquidem *Sem*, si retro tempora spectemus, agnovit Lamec, qui Adam fuit allocutus. Si posteriores respiciamus ætates, idem *Sem* vidit Abraham. Hic vidit Iacob, qui Moyse amicos cognovit. Patriarcharum vitæ, tot annorum plenæ, eorumque genealogiæ erant annales, seu historiæ cuiusque imposturæ expertes. Si quid narrasset Moyse minus verum, extemplo falsitatis reus revincere potuisset.

potuisset. Nam quatuor aut quinque hominum, qui se mutuo agnoverunt, ætate tota concludebatur historia. Nullam ergo patitur Moysis narratio exceptionem. Quin ex ipsa historia validissima eruntur argumenta quæ eandem fide dignam, veramque produunt. Primo gentis suæ, suæque familiæ, ac tribus delicta, & flagitia, non secus ac virtutes, patefacit. Deinde innumera, ac stupenda quæ narrat miracula in legis suæ confirmationem, nulli sunt obnoxia cavillo. Nam quod nube in montem translatus fuerit; quod illic quadraginta diebus moratus sit; quod eius facies in legis promulgatione solaribus veluti radiis splenderit; quod emicuerint fulgura, & tonitrua, fragoresque aures percusserint populi; quod horrendo Core, Dathan, & Abiron, impiæque factionis exitio, illius auctoritas vindicata fuerit; quod lapis bis percussus aquas emisit; quod manna de cælo ad illius precationem depluerit: sunt hæc, & alia plura, quæ omittuntur, momenta, quæ Dei Prophetam Moysen evincunt. Nam hæc prodigia ipsis rerum gestarum oculatis testibus Moyses narravit, atque pro concione publicavit. Populus toties ingratitude, rebellionis, aliorumque scelerum reus convictus, improperasset suo legislatori, si quid vel minimum falsitatis ille enuntiasset. Neque artibus magicis tribui hæc portenta queunt; quis enim suspicari magum ausit Moysen, qui tantopere ab hac superstitione abhorruit, ut lapidibus obrui præceperit qui magos, ariolosque consulisset? Quid, si eventa recenserem quæ prædixit, quæque prophetiæ responderunt, & quæ demones ipsos latebant?

IX. Ceteri Prophetæ sunt quoque testes divinæ, veræque Religionis, eorumque prædictiones eventis comprobatae divinitus revelatam ostendunt Religionem. Isaias urbis excidium, populique exilium, ac eiusdem libertatem Cyri opera asserendam vaticinatus est. Jeremias itidem populi captivitatem, eiusdemque liberationem prædixit. Quid de Ezechiele, Daniele, aliisque vaticinibus dicam? Quid de sacris voluminibus in quibus mysteria, & Religionis sanctiones continentur, dicendum? Hæc sane sacra volumina tum Moysis, tum aliorum vatum, cælesti magis providentia, quam hominum industria conservata sunt. Quis insigne Dei opus non agnoscat, quod sacra illa volumina non modo antiquissimorum temporum iniurias superaverint, sed Antiochi, aliorumque tyrannorum sevitiâ evaserint, & ad nos usque facta testis pervenerint?

X. Porro si novum testamentum specte-

mus, nova, & luculentissima credibilitatis argumenta occurrunt. Quis inficias ire ausit, Apostolos Spiritu divino edoctos fuisse, qui paulo ante in ipsa plebe contemptibiles, repente de cælestibus mysteriis supra humanum caput differere aggressi sunt? Divinam historiam humili, abiectoque sermone tres Evangelistæ recitant: sed sententias adeo sublimes, & tam alta arcana edisserunt, ut divinitus eos locutos fuisse quisque agnoscere valeat. Ioannes vero e sublimi tonans tanta sermonis maiestate utitur ut quorumlibet sapientum contumaciam, superbiamque confundat, deprimatque. Et quod supra modum satis superque eorum doctrinam attollit, illud est quod homines idiotæ isti fuere, qui nihil in hominum schola didicerant. Quid quod Paulus ex servo, & sanguinario hoste in novum hominem conversus, subita, & insperata mutatione doctrinam quam prius oppugnaverat, palam asseruit?

XI. Apostolorum, aliorumque Discipulorum Christi atrocissima martyria fidei christiana credibilitatem splendidiorem efficiunt. Quid Apostolos impulit ut pro Religione semel suscepta mortem oppeterent? An ne terrenæ cuiusdam felicitatis spes? An ne aliqua falsa credulitas? At ipsi testes oculati extiterunt eorum mirabilium quæ narrabant: ipsi longo tempore Christi conversatione, colloquiis, consuetudine usi sunt: ipsi prodigia quæ de Magistro suo prædicabant, oculis propriis conspexere. An ne tot labores, persecutiones, verbera, dirissimaque tormenta sponte subiissent, ut hominem crucifixum defenderent, eiusque doctrinam propugnarent, nisi cælesti virtute adiuti fuissent, nisi futuræ, beatæque vitæ firma spes animos eisdem adiecisset, nisi miracula spectassent quæ omnem creatam virtutem superant? Quis ergo doctrinam tantorum testium sanguine obliatam, atque testificatam non amplectetur? Quid, si multitudo addatur martyrum qui ex omni statu, sexu, ætate, & conditione a primis usque Ecclesiæ catholicæ temporibus sævissima supplicia, mortemque acerbissimam invicta constantia, & alacritate pertulerunt; qui caritate eximia suos complexi sunt tyrannos, & carnifices?

XII. Auctoritatem horum testium firmat insignium Doctorum sententia. Siquidem ea fuit divinæ providentiæ ratio in promulgatione christianæ legis, ut primum piscatores rudes, hominesque terrena destitutos sapientia delegerit ad fidem amplificandam; deinde temporis decursu homines acciverit præstantissimo ingenio præditos, ac omni doctrinarum gene-

re

re eruditos. Hi toti fuere in meditandis Scripturis, mysteriisque Religionis. In id conatus suos, omnemque industriam conulerunt, ut ostenderent divinam esse Religionem tanta argumentorum multitudine fultam. Eiusmodi fuere: inter plures Origenes, Iustinus, Athenagoras, Irenæus, Cyprianus, Basilius, Athanasius, Gregorius, Naziazenus, Nyssenus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, ac alii plurimi cuiusque ætatis, ac temporis.

XIII. Plurima alia credibilitatis indicia nunc prætereo, quæ fusore calamo ab Auctoribus describuntur: Ex iis paucis dumtaxat quæ indicata sunt, colligere evidentem nostræ Religionis credibilitatem licet. Nam prædictiones futurorum eventuum, & miracula quæ omnes naturæ superant vires, quæque ad confirmandam christianam Religionem Deus operatus est, illam evidenter credibilem efficiunt. Eventuum qui vaticiniis Prophetarum responderunt, universus orbis testis fuit, ut iam indicatum est. Miraculorum Christi testes oculati fuerunt Apostoli. Miraculorum quæ Apostoli patrarunt, testes fuerunt eorumdem discipuli. Prodigiorum vero quæ a discipulis facta sunt, testes extiterunt focii Christiani; ita ut perpetua fuerint miracula, & perpetui testes omni exceptione maiores. Opus haud est ut fusius rem hanc explicem. Quisque legis christianæ puritatem, sanctitatem, honestatemque fusius exponere valet, quemadmodum & singula credibilitatis argumenta; ut inde, quam sit fide digna Religio nostra, magis magisque ostendat.

XIV. Plura adversus sententiam nostram obii ci solent, quæ paucis expediam. I. Religio christiana non pauca credenda præcipit quæ rationi repugnant. II. Mahumetismus brevi propagatus est tempore, quemadmodum Lutheranismus, & Calvinismus, ut plures alias sectas sileam. III. Pagani, & hæretici suos habent martyres, prophetas, & miracula.

XV. Ad primum ex iis quæ diximus, responsum patet. Plura proponit christiana Religio quæ caput humanæ mentis superant, nihil porro quod humanæ rationi repugnet: quin ratio ipsa, dum immensitatem, infinitatemque Dei ostendit, plura in Deo esse docet quæ comprehendi nequeunt. Divina Religionis mysteria, Dei que arcana superioris ordinis sunt, quod & naturalis ratio docet: nequit ergo eadem mensura nostra metiri, suaque intelligentia circumscribere, & æquare. Si humanæ mentis vis in iis ipsis deficit quæ sub aspectu cadunt; quid mirum, si circa divina cæcutiat? Satis nobis sit nihil unquam ab in-

ferentissimis Religionis nostræ hostibus Porphyrio, Celso, Iuliano Apostata, aliisque eiusdem furoris opponi potuisse quod non fuerit solidis responsis confutatum, atque convulsus: idque ex sapientissimis Patrum, Theologorumque Apologiis constat. Secundi argumenti facilior solutio est. Mahumetismus humana arte, & industria partus, auctusque est: quippe vi, armis, spe prædæ, regnorum cupidine confinia amplificavit. Religio isthæc carnalibus appetitionibus tota est consentanea. Contra fides catholica nullo naturali præsidio, nullaque humana cultura nixa, immo frementibus, atque omni conatu reluctantibus mundi Rectoribus propagata est. Lutheranismus, & Calvinismus ad Mahumetismum accedunt. Sacerdotibus uxores concedunt; virginitatem, atque castitatem improbant, Sanctimoniales, religiososque viros a votis solvunt; bona Deo, & Ecclesiæ consecrata furripiunt, & laicis Principibus donant; ieiunia, & quidquid severitatis præscribit in cohibendis sensibus lex evangelica, reiiciunt; regnum spirituale cum temporali confundunt; summumque Pontificatum, non secus ac Pagani, Regibus adiudicant. Quid ergo mirum, si Religio isthæc armis, & fraudibus munita, brevi magnam septentrionis partem invaserit? Martyres quos Sectæ iactant, vesana superbia, ac contumax arrogantia, non veritatis, ac Religionis divinæ amor peperit: idque ex istorum martyrum vita, gestisque clare colligitur. Miracula porro quæ tum Pagani, tum hæretici obiciunt, præstigia mera sunt. Fabulam omnino redolet quod scribit Svetonius de Vespasiano Cæsare, eum nempe spūto cæcum illuminasse, debilemque cruce sanasse. Vaticinia Paganorum, demonum illusiones fuere. Quæ narrat Philostratus de Apollonio Thianæo, virtutem demonis minime superant, ut asserunt Chrysostomus, Augustinus, & Hieronymus, qui Apollonii portenta artis magicæ incantationes fuisse scribunt. Idem de Antichristi futuris prodigiis dicendum. Catholica Religionis miracula similia responsa non excipiunt. Hæc namque in demonum contumeliam patrata fuere, atque inter preces, & sacrificia vero Deo oblata. Plurima demonum superant potestatem, ut permanens mortuorum resuscitatio, futurorum liberorum, cordisque secretorum revelatio. Qui plura cupit, eos adeat auctores qui ex instituto hanc versarunt materiam.

C A-

CAPUT VI.

Inter Religiones quæ Christi Evangelium profitentur, sola Catholica, Romano Pontifici obediens, evidenter credibilis apparet.

I. Christianæ Religionis generatim acceptæ argumenta hæcenus dedimus, quæ eiusdem evidentem credibilitatem ostendunt. Quoniam vero plures reperiuntur sectæ quæ Christo, eiusque Evangelio adhærent, quæque a catholica Religione discrepant; investigare expedit, an sola catholica Ecclesia manifestis credibilitatis argumentis gaudeat. Neque investigatio isthæc ab instituto nostro aliena est. Quoniam eo spectant conatus nostri, qualescunque sint, ut animarum pastoribus subsidia paremus quibus gregem suum alere, & a lupis voracibus defendere queant. Porro ut tanto defungi munere valeant, haud sufficienti quorundam casuum resolutiones, nudaque articulorum fidei cognitio; sed parati sint, & expediti ad rationem fidei suæ exhibendam oportet, ut inquit S. Petrus Epist. I. cap. III. *Parati semper ad satisfactionem omnipotentis vos rationem de ea qua in vobis est spe.* Et D. Paulus Epist. ad Tit. cap. I. *Oportet enim ut Episcopus potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Quod monitum, sive mandatum inculcat ad Timoth. II. cap. IV. *Prædica verbum, instat opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Lege quam Episcopus præscribit Apostolus, omnes Ecclesiæ pastores, qui animarum curam gerunt, devinciri compertum est. Quilibet namque pastor, sive supremus, sive infimus, gregem suum defendere astringitur. Qua autem ratione defendet, si armis, subsidiisque ad id necessariis destitutus sit? Consentaneum ergo est ut eam animarum pastoribus doctrinam tradamus qua & alere, & ab hostium aggressibus gregem suum defendere valeant. Verum quid amplius verba damus? Res adeunda est.

II. Ut sententia quam proposui, perspicua fiat, catholice Ecclesiæ notionem promamus oportet. Hæc porro est cœtus, seu congregatio Christianorum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti, seu Christi vicario, & universalis Ecclesiæ moderatori, obedientiam profitentur. Signa nunc, seu notæ describendæ sunt quæ solam hanc catholicam Ecclesiam, seu Religionem quam hæc Ecclesia profitetur, veram esse Christi sponsam evidenter ostendunt.

III. Quatuor sunt notæ quibus Concilium Nicænum primum in suo symbolo Christi Ec-

clesiam insignit. Illam vocat *unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam.* Et ut a prima ordiamur, unitatem Ecclesiæ christianæ colligunt Patres ex Scripturis sacris. Ex Cant. VI. *Una est columba mea:* ex Ioan. VI. *Fiet unum ovile, & unus Pastor:* & I. Cor. X. *Unum corpus multi sumus:* & Ephes. IV. *Unum corpus, & unus spiritus: una fides, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Hæc autem unitas tum interna est, fidei scilicet, & caritatis, iuxta illud I. Cor. IV. *Habentes eundem spiritum fidei:* tum externa, & oculis exposita, quatenus omnia membra eandemque sacrorum dogmatum doctrinam unam profitentur, & prout sub uno visibili capite, & pastore, qui est Romanus Pontifex, colligata sunt. Plura enim corpora, nisi uni subdantur capiti, unum minime vocari possunt. Hinc est quod Petri Cathedra centrum unitatis appellatur a Patribus. *Unus eligitur* (inquit Hieronymus Lib. I. cont. Iovinian.) *ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio.* D. Cyprianus Lib. IV. epist. X. *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.*

IV. Sanctitatis prærogativam veræ Christi Ecclesiæ, omnes, ne hæreticis quidem exceptis, adiudicant. Porro quod sanctitatis splendore Romana fulgeat Ecclesia, ostenditur. Sanctitas quam Ecclesiæ tribuimus, a doctrinæ puritate potissimum petitur, & deinceps ab hominum castissimis moribus. Cœtus namque fidelium *gens sancta* nuncupatur I. Pet. II. Sensus tamen haud est quod omnia membra sancta sint, & a peccato immunia; sed quod professio fidei, & doctrina veræ Ecclesiæ eo spectet ut suos professores sanctos efficiat, aptaque sit ad hanc sanctitatem inducendam, plurimosque re sanctos efficiat; quamquam plures sint qui ab hac sanctitate deficiant, quia leges quas professio fidei præscribit, transgrediuntur. *Lex enim Domini immaculata convertens animas:* Psal. XVIII. Porro quod soli Romanæ Ecclesiæ hæc sanctitatis nota conveniat, res est manifesta. Hæc quippe Ecclesia universam Dei legem prædicat, servandamque inculcat: non modo evangelica mandata, sed consilia itidem exequenda proponit. Quid in suis Conciliis, quid in pontificiis Decretis ad formandos fidelium mores præscribit præter regulas illas quas vel ab Apostolis perenni traditione accepit, vel ab ipso verbo Dei scripto haurit? Eiusmodi Concilia, & Decreta, seu Canones pro morum integri-

tate custodienda editos legant nasuti hæreticorum censores, opponantque, si valeant, quidquam in iisdem haberi minus rectum; minisque sanctum. Pudere eos deberet quorundam Catholicorum depravatos obicere mores, eosque in Ecclesiâ dedecus regerere; ac si nullum esset Ecclesiâ triumphantem inter & militantem discrimen. Hæc agro comparatur, in quo paleæ permixtæ frumento sunt, & domo in qua aurea vasa ligneis, & fictilibus sunt interposita. Nonne Ecclesia remedia suis infirmis parat? Quo sacramentorum administratio pertinet, nisi ut poenitentium crimina deleat, sordesque abluat? Sinu ergo suo Ecclesia excipit peccatores, & iustos: hos ut membra viva & sancta, atque ut potissimum cœtus sui portionem; illos ut infirma membra, ignobilioremque partem. Illos cælesti pabulo reficit, ut adolescant, altiisque semper ascendant; istos secundo poenitentia baptismate a morte revocat, eorumque vulnera sanat, validaque remedia iisdem præscribit, quibus a futuris sibi cavere morbis, altiorisque Sanctorum semitas calcare valeant. A sua nativitate ad hæc usque tempora Romana Ecclesia innumeros peperit filios cuiusque sexus, status, ætatis, conditionisque, qui mirabili sanctitate effulserunt. Sanctorum virorum multitudinem primis Ecclesiæ sæculis vel ipsi hæretici concedunt. Eorum vero qui hæc nostra tristi, ac calamitosa tempestate vitam ducunt immaculatam, nos ipsi testes sumus. Fatemur utique magnum, maximumque scelestorum hominum numerum reperi in hac ipsa sancta Ecclesia. Quid hinc? Propterea ne sancta definit esse Ecclesia? Num istorum flagitia, sanctorum virorum merita, virtutes, gestaque divina de medio tollunt? Si iniquorum hominum crimina Religionis veritati, & sanctitati officerent, nulla unquam extitisset vera Religio: quoniam numquam post Adæ culpam defuerunt peccatores. Veritas itaque, & sanctitas Religionis a doctrinæ, & dogmatum quæ ipsa præscribit, sanctitate arcessitur. Ceterum si in vera Ecclesia scelesti homines reperiuntur, splendent quoque viri sanctitate præditi, quibus caret semper falsa Ecclesia.

V. Aliæ duæ notæ non minus evidenter Ecclesiæ Romanæ competunt. Nam quod Ecclesiæ Romana sit catholica, seu universalis, res est manifesta, si quid hæc vox *catholica* significet, clare explicetur. Igitur catholica Ecclesiæ ea dicitur quæ universas gentes sinu suo excipit. In hoc a Synagoga distinguitur, quæ solos Iudæos complectebatur, ut inquit David Psal. LXXVI. *Notus in Iudæa Deus,*

Gene. Theol. Tom. I.

in Israel magnum nomen eius. Loquens vero de futura Christi Ecclesia Psal. II. ait; *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre.* Quare licet una semper fuerit Dei Ecclesia, post incarnationem tamen divini Verbi novum veluti statum induit, atque confinia sua amplificavit. Quippe non modo nationibus omnibus sinum suum aperuit; sed re ipsa per universonem orbem diffusa est, iuxta illud Ps. XVIII. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Quamvis postea plurium populorum scelera divinam provocaverint iustitiam, ut lumen veræ fidei illis subduceret, quo alias illustraret nationes; non propterea definit esse catholica: quia non requiritur quod re ipsa Ecclesia dispersa semper sit in quamcumque orbis partem eodem tempore, ut catholica denominetur; sed satis est quod omnia tempora comprehendat, & quod temporis decursu per omnes terrarum orbis partes morali sensu diffusa fuerit, eoque incumbat ut fidem suam omnibus nationibus prædicare conetur.

VI. Quarta prærogativa, quod Ecclesia Romana sit apostolica, ostenditur successione summorum Pontificum a D. Petro ad hæc usque tempora. *Si enim ordo Episcoporum* (inquit Augustinus epist. olim clxiv.) *sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & vere salubriter ab ipso Petro numeramus?...* *Petro enim successit Linus, Lino Clemens &c.* Optatus Milevitanus Lib. II. cont. Parmen. *Vestris, inquit, Cathedrae originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Et horum prior Tertullianus Lib. de præscript. cap. XXXII. *Edant, inquit, hæretici originem Ecclesiarum suarum, evolvant ordines Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, auctorem habuerit, vel antecessorem.*

VII. Plures alios characteres lato calamo describunt Auctores, quibus Ecclesiæ Romanæ veritas palam sit: illius antiquitatem, visibilitatem, universalitatemque fusius exponunt. Nos quædam dumtaxat libamenta obiter perstringimus, omnesque Ecclesiæ notas ad duas reducimus, nempe ad catholicitatem, & unitatem. Si enim catholica est, apostolica sit oportet. Claudit quippe omnia tempora a suæ institutionis initio usque ad finem. Unitas porro dogmatum, & doctrinæ visibilis sit necessum est. Quomodo enim tot distitæ nationes in eandem consentire doctrinam, eadem profiteri dogmata valerent, nisi

D

extrin-

extrinsecus omnibus eadem dogmata proponerentur, unumque esset caput cui omnes obedirent, unusque index qui omnes dirimeret de eisdem dogmatibus controversias?

VIII. Quod recensitis notis ornata esse debeat vera Dei Ecclesia, nec ipsi hæretici diffidentur; sed has notas Ecclesie Romanæ competere pernegant. Nos vero, ut eandem nostræ soli Romanæ Ecclesie asseramus, quamcumque aliam Ecclesiam, seu sectam, destitutam illis esse, brevissime ostendimus. Et ut a prima Atheorum secta ordiamur, iam in prolegomenis ostensum est, non modo illam nullo pollere credibilitatis indicio, sed esse evidenter falsam. Idem de Polytheistis dicendum: plures enim deos repugnare lumini naturali, evictum ibidem est. Non minus evidenter falsa apparet Deistarum factio, quæ unum quidem Deum admittit, sed colendum esse statuit, prout rationis lumen præscribit, omnesque divinas respuit revelationes. Hoc autem ipsi rationi repugnat. Quandoquidem si unus est Deus istius universi creator, dominus, & gubernator; modus quo colendus sit, & orandus, non nisi ab eodem præscribi potest: quoniam in rebus divinis, cultusque supremo Numini offerendo cæcutiunt homines, ut paganorum, vel sapientum experientia patet. Si quisque princeps, & dominus regulas quibus a suis colatur subditis imponit, quidni Deus sui cultus, & venerationis mensuram, qualitatem, terminosque definit, ut confusio, contrarietatis, & superstitionis occasionem tollat? Quis negare ausit rationi consentaneum esse ut Deus ipse modum statuatur quo a creatura colatur?

IX. Mahumetismum nulla gaudere credibilitatis nota, compertum est. Plurima doctrinæ capita in Alcorano contenta honestati naturali adversantur. Nonne carnales voluptates, uxorum pluralitas, scædæ libidines, quas Mahumetis secta permittit, vel ab ipsis Ethnicis præscriptæ fuere? Nec in præsentia est ut flagitia, fraudes, dolos, armorumque crudelium sævitiam, quibus parta, amplificataque fuit religio isthæc, describam.

X. Iudaismi religionem post incarnati Verbi adventum falsam evincunt tum prophetiæ impletæ in Christo Virginis filio, tum prophetiæ eiusdem Christi de Iudæorum excidio, de gentium conversione, deque suæ Ecclesie institutione, atque propagatione: quorum omnium eventum universi orbis conspiciunt, ipsique Iudæi profugi, & per universam terram dispersi, calamitatibusque obruti, testes sunt divinæ erga semetipsos vindictæ, atque

hæreditatis cælestis olim sibi promissæ ad alienos devolutæ.

XI. Illud nunc superest ut hæreticorum, qui Christum, eiusque Evangelium, divinorumque Codices suscipiunt, sectas veræ Ecclesie characteribus destitutas ostendamus. Hoc porro ut evincam, de recentibus Lutheranorum, & Calvinistarum sectis sermonem instituiam: eadem quippe omnium hæresum ratio est. Antequam vero ultra progredior, lubet nonnulla ex ipso Calvino isthuc transcribere, quibus notas veræ Ecclesie confitetur. Esse unam, & catholicam, seu universalem fuisse probat, in eoque invehitur qui hanc unitatem discindunt. Inquit ergo Lib. IV. Institut. cap. 1. num. 2. *Nec vero satis est electorum turbam cogitatione animoque complecti, nisi talem Ecclesia unitatem cogitemus, in quam nos esse insitos, vere simus persuasi. . . . Ideo catholica dicitur, seu universalis, quia non duas, aut tres invenire liceat, quin discerpatur Christus quod fieri non potest. Quin sic electi Dei omnes in Christo sunt connexi, ut quemadmodum ab uno capite pendunt, ita in unum veluti corpus coalescant, ea inter se compage coherentes, qua eiusdem corporis membra; vere unum facti; qui una fide; spe, caritate, eodem Dei spiritu simul vivunt. Hanc unam universalem Ecclesiam visibilem esse scribit num. 4. Verum quia nunc de visibili Ecclesia differere propositum est, discamus vel matris elogio, quam utilis sit nobis eius cognitio, immo necessaria. . . . Extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus teste Isaia, & Ioele. Hanc externam visibilitatem in prædicatione Evangelii sitam subdit num. 5. Fidem Deus nobis inspirat; sed eam in Evangelii prædicatione (eodem Paulo teste) depromit, atque explicat. Hoc consilio olim sacros haberi conventus ad Sanctuarium, ut fidei consensum aleret doctrina per os Sacerdotis prolata. . . . Sicut autem veterem populum non ablegavit ad Angelos, sed Doctores excitavit a terra qui vere præstarent munus angelicum; ita & nos hodie humanitas vult docere. At sicut olim non contentus fuit sola lege, sed Sacerdotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus inquireret verum illius sensum; ita hodie non tantum vult nos esse lectioni attentos, sed magistros etiam præficit, quorum opera adjuvemur. Cuius rei duplex est utilitas: nam ab una parte optimo examine obedientiam nostram probat, ubi eius ministros non secus atque ipsum loquentes audimus; ex opposito etiam nostra infirmitati consulit, dum per interpretes humano more nos con-*

vult

vult alloqui, ut ad se alliciat, quam tonando ab se abigere. . . . Quibus autem videtur ex hominum qui vocati sunt ad docendum, contemptu exinaniri doctrinæ auctoritas, hi ingratiu-
dinem suam prædant: quia inter tot præclaras dotes, quibus ornavit Deus humanum genus, hæc prærogativa singularis est, quod dignatur ora, & linguas hominum sibi consecrare, ut in illis sua vox personet. Quare ne vicissim & nos obedienter amplecti pigeat salutis doctrinam eius mandato, & ore propositam: quia est externis mediis alligata non est Dei virtus, nos tamen ordinario docendi modo alligavit; quem dum reculant tenere fatanici homines, multis se exitibus laqueis involvunt. Multos impellit in Anabaptistas invehitur, & semetipsum, suosque gregales, velit nolit, vividis depingit coloribus) superbia, vel fastidium, vel emulatio, ut sibi persuadeant privatim legendo, & meditando, se posse satis proficere, atque ita contemnunt publicos cæcus, & prædicationem supervacuum ducant. Quoniam autem sacrum unitatis vinculum, quantum in se est, solvunt, vel abrumpunt; nemo iustam impij huius divortii pœnam effugit, quin se pestiferis erroribus, ac teterrimis deliriis fascinet. Quare ut vigeat apud nos pura fidei simplicitas, ne uti gravemur hoc pietatis exercitio, quod Deus nobis sua institutione monstravit esse necessarium, & tantopere commendat Deo: qui aures diceret claudendas esse, nemo unquam vel ex petulantissimis canibus inventus est. Sed omnibus sæculis difficile fuit certamen Prophetis, & piis Doctoribus contra impios, quorum pervicacia nunquam iugum hoc (heu quam apte hæc in te quadrant, Calvine!) subire potest, ut ore, & ministerio hominum doceatur.

XII. Persequitur num. 7. 8. & 9. visibilis, & universalis Ecclesie symbola, seu notas describere. Hinc nascitur (inquit) nobis, & emergit conspicua oculis nostris Ecclesie facies. Ubicumque enim Dei verbum sincere predicari, atque audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei Ecclesiam nullo modo ambigendum est, quando Dei promissio fallere non potest. Ubicumque duo, aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Sed, ut summam huius rei liquido teneamus, his veluti gradibus progrediendum est. Ecclesiam universalem esse collectam ex quibuscumque gentibus & multitudinem, qua intervallis locorum dista & dispersa, in unam tamen divina doctrina veritatem consentit, & eiusdem religionis vinculo colligata est. . . . Ita & Ecclesia universali sum servamus unitatem, quam disseccare semper stu-

duerunt diabolici spiritus, (Lutherus, & Calvinus) nec conventus legitimos qui pro locorum opportunitate distributi sunt, sua auctoritate fraudamus.

XIII. Descriptis fuso calamo veræ Christi Ecclesie symbolis, concludit num. 13. hanc Ecclesiam gremio suo excipere tum iustos, tum peccatores, atque in Catharos, Donatistas, & Anabaptistas declinat, quod solos Sanctos membra esse ecclesie doceant, & ab eadem peccatores reiiciant: quem errorem Evangelii textibus confutat. Fuerunt enim semper qui falsa absoluta sanctimonie persuasione imbuti, tamquam aeri quidam demones iam facti essent, omnium hominum consortium aspernarentur in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant Cathari, & (qui ad eorum vesaniam accedebant) Donatista. Tales hodie sunt ex Anabaptistis nonnulli qui supra alios volunt videri profecisse. Alii sunt qui inconsiderato magis iustitiae zelo quam insana illa superbia peccant. Dum enim apud eos quibus Evangelium annuntiat, eius doctrina non respondere vitæ fructum vident, nullam illic esse Ecclesiam statim iudicant. Iustissima quidem est offensio, & cui plus satis occasionis hoc miserrimo sæculo præbemus, nec excusare licet maledictam nostram ignaviam, quam Dominus impunitam non sinet, ut iam gravibus flagellis castigare incipit. Va ergo nobis: qui tam dissoluta flagitorum licentia committimus ut propter nos vulnerentur imbecilles conscientie. Sed in hoc vicissim peccant illi quos diximus, quod offensioni suæ modum statuere nesciunt. Nam ubi Dominus clementiam exigit, omissa illa, totos se immoderate securitati tradunt. Quia enim non putant esse Ecclesiam, ubi non est solida vitæ puritas, & integritas, scelerum odio a legitima Ecclesia discedunt, dum a factione improborum declinare se putant. Allegant Ecclesiam Christi sanctam esse. Verum ut simul intelligant esse ex bonis, & malis permixtam, illam ex ore Christi parabolam audiant in qua reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, neque seliguntur, donec in littore sint expositi. Audiant, agri esse similem, qui bona fruge constitus, zizanias inimici fraude inficitur; quibus non expurgatur, donec in aream advecta fuerit messis. Audiant denique, aream esse, in qua sic collectum est triticum, ut sub palea deliteat, donec vannus, & cribro repurgatum in horreum tandem reconditur. Quod si hoc malo ad diem usque iudicii laboraturam Ecclesiam pronuntiat Dominus, ut improborum permixtione oneretur, frustra nullo nivo inspersam fuerunt.

D 2

XIV.

XIV. Hæc paulo fufius exfcribere placuit, ut ex infenfiffimi hoftis confessione & Catholico-Romanæ Ecclefiæ splendor magis fulgeat, & Protestantium feftas non nisi a spiritu fatanico partas esse luculentius constet. Si, Calvinio fatente, symbolum potiffimum veræ Ecclefiæ est unitas fidei, seu doctrinæ credendæ; ostendant, si valent, Lutherani, & Calviniftæ fuorum dogmatum unitatem, exhibeant eandem articulorum summam. Nonne in ipsis punctis capitalibus mutuo diffident? Quid quod vel ipsi Lutherani in plures aduersas factiones, & Calviniftæ in plurimas mutuo pugnantibus sectas dividuntur? Prodigiousam Ecclesiarum Protestantium in fidei professione varietatem, viciffitudines, mutationemque, tanta euidencia evincit doctiffimus Iacobus Bossuerus, ut nihil unquam solidi reponere valuerint Protestantes. Lutherus ipse tempori indulfit, & quod uno die palam propugnabat, altero die pernegabat. Confessio Augustana infra vigintiseptem annorum intervallum duodecies mutata fuit. Sub initium, cum defectio omnem frontem non exuerat, multa concessit Papæ, quæ postmodum crescente iniquitate pro blasphemiis habuit. Zuinglius Calvinus Magister, Calvinus Magister Bezæ in dies fidem permutabant, ut testatur vel ipse Beza *epist. 1. ad Andream Teditium*, inquitens: *Palantes omni doctrinæ vento... modo ad hanc, modo ad illam partem deferri. Horum quæ sit hodie de Religione sententia, scire fortasse possis; sed quæ cras de eadem futura sit opinio, ne tu certo affirmare queas. A capite ad calcem si percurras, nihil propemodum reperias ab uno affirmari quod alter statim non impium esse clamaret. In quo tandem Religionis capite congruunt inter se Ecclesia quæ Romano Pontifici bellum indixerunt?* Similia scribit Lutherus *epist. ad Antverpienses*: *Tot inter nos Religionum sunt, quot homines; nec asinorum quifquam est tam hebes, & vecors, qui insaniam proprii capitis, & propriam opinionem pro instinctu Spiritus Sancti, & seipsum Prophetam haberi nolit. Habemus ergo fatentes aduersarios, nullam penes ipsos Religionis unitatem reperiri. Qua vero fronte conqueritur Lutherus neminem inter suos, vel hebetiffimum asinorum esse qui novam quamdam Religionem non procudat? Nonne conlectarium istud necessario suam consequitur doctrinam? Si ipse Ecclesiam in qua regeneratus, & adultus erat, audire detrectavit; illi ne ceteri assurgent? Si omnem infallibilem fidei regulam, cui fideles adherere debeant, ipse agnovit,*

& de medio sustulit, qui fieri potest ut inter eandem Religionis unitatem consentiant? Si spiritum privatum cuiusque hominis, seu supremum in terris tribunal ad dirimendas Religionis controversias constituit; quid mirum, si tot sint Religionum, quot Lutherani?

XV. Calvinus, ut ex iis quæ descripsi, patet, palam fatetur, Ecclesiam esse unam; universalem, visibilem, sanctam, quæ iustos, & peccatores complectitur. Negat postea eodem *Lib. IV. cap. 11.* præfata symbola Romanæ Ecclefiæ competere: quod quam falsum sit, iam declaratum est. Si Religionis unitas spectetur, designent, si tanti sunt, Protestantes, fidei dogma aliquod in quo differrent Catholici. Negent, si ausint, nos omnes habere unam fidem; unum caput Christum in cælis, eiusque Vicarium Romanum Pontificem in terris. Visibilem fatetur Calvinus Ecclesiam. At si membra visibilia sunt, ergo & caput, sub quo hæc membra congregantur. Catholicam esse Romanam Ecclesiam, seu universalem, & apostolicam, quæ ab Apostolis fundata in omnes gentes diffusa sit, soli Calvinistæ, & Lutherani, eorumque similes odio perciti, & cæcitate obducti negare possunt. Audiamus quid contra Episcoporum successionem, qua originem suam ab Apostolis ducere Romanam Ecclesiam omnifæculo demonstrarunt Patres, Calvinus reponat. Primo ut ludricum respuit argumentum istud. Inquit enim loc. cit. 2. *Sed quibus rationibus veram se Ecclesiam habere confirmant? Allegant ex vetustis annalibus quod olim in Italia, in Gallia, in Hispania fuerit. A sanctis illis viris qui sana doctrina fundarunt, excitaruntque Ecclesias, doctrinamque ipsam, & Ecclesia adificationem suo sanguine stabilierunt, se originem ducere... Commemorant quanti hanc successionem fecerunt Irenæus, Tertullianus, Origenes, Augustinus, & alii. Quam frivola sint ista, & plane ludicra. Quid agendum cum homine qui omnium antiquorum Patrum solidissimas argumentationes fuitiles vocat? Doceat nos novus hic Aristarchus, quomodo evincenda sit a Christo, & ab Apostolis origo nostra, nisi perenni Episcoporum qui Apostolorum sedes occuparunt, successione? Nonne hæc sola, & unica via quisque suæ familiæ antiquitatem evincit? Sed quid regerit Calvinus, ut inanem ostendat hanc argumentationem? Quid (subdit) si Græciam illis regeram? Quæro igitur iterum ab ipsis, cur apud Græcos perisse Ecclesiam dicant, apud quos nunquam interrupta fuit illa Episcoporum successio, unica eorum.*

cum opinione, Ecclesia custos, & conservatrix? Hæc quam cæcutit homo, alioquin peracutus, & eloquens, dum contra Romanam Ecclesiam rabiem, livoremque evomit! Illico ratione, honestate, & sinceritate destituitur, ut vel ex paucis recitatis liquet. Quis unquam asseruit Episcoporum successionem unicam, idest solam esse Ecclesiæ, notam? Unam dicimus esse ex notis: quæ si desit, desinit quoque Ecclesia: quia qui desit in uno, factus est omnium reus. Anne propterea, si sola adsit, veram constituet Ecclesiam? Hæc ne Calvinus dialectica? Præter successionem ab Apostolis unitas doctrinæ quam Christus, & Apostoli tradiderunt, necessaria est. Successionis prærogativam habent Græci; at quia unitate doctrinæ non gaudent, ideo periisse apud eos qui hæresi infecti sunt, Ecclesiam dicimus. Apud Calvinistam, Lutheranosque nulla est Ecclesia: quia nec successionem ab Apostolis, nec Apostolorum doctrinæ unitatem ipsi habent. Ex quibus constat, apertiffimum impostorem esse Calvinum, dum efficit, Catholicos asserere, successionem Episcoporum unicam esse veræ Ecclesiæ symbolum. Mendacii, & calumniæ Calvinum revincunt omnes Catholicorum libri: revincit ipsum Nicænum Symbolum, in quo quatuor recensentur Ecclesiæ dotes, ut dictum est. Ne multa: successionem Episcoporum ab Apostolis, & potiffimum a capite D. Petro necessariam dicimus; sed vanum esse fucum affirmamus & nos, si desint ceteræ dotes, nempe unitas doctrinæ, eiusdem sanctitas, & universalitas. Successio est necessaria, sed sola non sufficit.

XVI. Catholici vi istius successionis suam Religionis antiquitatem ab ipso Christo, & Apostolis repetunt: atque hoc argumento usi sunt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, ceterique Patres. Non modo antiquam, seu apostolicam, & catholicam evincimus esse Ecclesiam nostram; sed unitatis quoque privilegio gaudere ostendimus, cum una sit, semperque fuerit fides nostra, sanctaque Ecclesia. Designent, si valent, Protestantes aut tempus quo a veritate fidei desciverit Romana Ecclesia, aut auctorem istius Ecclesiæ præter Christum, & Apostolos. Nos fidei Lutheranae Lutherum, Calvinianæ Calvinum, Zuinglianæ Zuinglium parentes, & auctores prodimus, quos ipsi Protestantes ut suos colunt Patriarchas. Duobus abhinc sæculis (ab illis Catholici quærent) ubinam gentium erat Ecclesia Lutherana, & Calviniana ante Lutherum, & Calvinum? Nihil adhuc solidi responsi dederunt Protestantes: & cum in hoc

se urgeri sentiunt, non modo illis aqua hæret, sed ipsi in luto hærent omnes. Alii namque ad Waldenses, Albigenes, Wicleffitas, & Hussitas se recipiunt. Alii ad Ecclesiam confugiunt Romanam. Sed cum iterum ad incitas rediguntur, ut ostendam præfatas sectas ab Apostolis originem trahere & eandem omnino doctrinam cum Lutheranis, & Calvinianis professas fuisse, in omne se vertunt latus, & hiscendi deest potestas. Nam licet Lutherani, Calvinianique nonnulla ab hæreticis istis mutuati sint; plura tamen Waldenses, Wicleffitas, & Hussitas docuisse quæ Protestantium præcipuis dogmatibus adversantur, planum est, atque compertum. Si Ecclesiam Christi visibilem in Romana perseverasse aiunt ad Lutherum usque, & Calvinum; a vera ergo Ecclesia illi desciverunt; idcirco tamquam apostata, & hæretici habentur. Si ante Lutherum Romana Ecclesia a vera Christi fide defecit, epocham nobis designent istius defectiois. Quis historicorum illius apostasiam litteris prodidit? Blasphematur utique Calvinus una cum suis gregalibus, Romanam Ecclesiam verbum Dei corrupisse, superstitione, idololatria, mendaciis, & impietate mundum implevisse christianum. Ut rebellionis suæ fucum, & velamen obtenderet, id effutire debuit; at documenta quibus id evinceret, adferre in medium debuisset. Id namque non solum non accidisse, sed nec accidere potuisse, evincit alios inier perdoctus Papius, qui Ecclesiam eandem semper æ nunc fuisse perspicue demonstrat, nulla obstante personarum mutatione; quemadmodum fluvius semper idem est, quamvis aquæ continuo fluxu mutantur. Quam rem ut oculis conspicuam faciat, Ecclesiam in quatuor tribuit ætates personarum quibus constat. Nam adolescentes quindecim annorum dogmata fidei ab hominibus triginta annorum suscipiunt, isti a quinquagenariis, quinquagenarii a sexagenariis & supra, eadem acceperunt: & harum ætatum successione eadem omnino consistit Ecclesia, sicut idem semper flumen extat, licet aquæ continenter fluant. Modum nunc, rationemque designent Protestantes, qua a vera Christi fide recedere potuerit Romana Ecclesia, quam quinque primis sæculis tamquam legitimam Christi sponsam agnoscunt. Omnem cœterum simul defecisse nec ipsi dicere audent, sicut nec omnes fluminis aquæ exficari eodem tempore queunt. Quam ergo ætas defecit? Senilis, virilis, iuvenilis? Cedo: eisdem olim ac nunc ætatibus Ecclesia coalescit? Si nunc senes aliam

prædicarent fidem ab ea quam nobis iuvenibus ipsi tradiderunt; nonne omnes primæ, secundæ, & tertiæ ætatis fideles vocem exalterent? E contrario silerent forsitan fenestras, si iuvenes, virique novam inveherent fidem? Si nunc fieri nequit ut vel omnes simul deficiant fideles, vel una, altera tacente, ætas novam procudat Religionem, fateantur necesse est Protestantibus, Romanam Ecclesiam, quæ primis Redemptionis nostræ sæculis vera, vel per ipsos, itetit Dei Sponsa, numquam a vera fide descivisse, nec deficere potuisse, quin reclamarent plura eiusdem corporis membra. Nonne quoties alia exorta fuit hæresis, statim Catholici omnes, qua voce, quæ scripturibus, bellum hæresiarchis indixere? Nonne maiores nostri Romanæ Ecclesiæ filii litteris consignarunt, posteriorumque memoriam prodiderunt lapsus, errores, aberrationes eorum qui novas adversus catholicam fidem opiniones, erroneasque sententias commenti fuerunt? Nonne vel ipse Calvinus Ecclesiam comparat & Soli, cuius plures sunt radii, unicum vero lumen; & arbori, cuius multi sunt rami, sed robur unum tenaci radice fundatum; & fonti, de quo rivi plurimi defluunt, & quamquam aquarum copia super universam terræ faciem diffusa sit, unitas tamen manet in origine? Avelle radium Solis a corpore, divisionem unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte præcide rivum, præcisus arefcit. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem porrigitur; unum tamen lumen est quod quocumque diffunditur. Nihil elegantius dici potuit ad exprimendam individuum illam connexionem quam habent inter se omnia Christi membra. Ecclesia Romana, ipso Calvino teste, primis sæculis Sol fulgentissimus, fons limpidissimus, arbor virens, & fecunda fuit. Omnes ergo radii a corpore Solis avulsi in tenebras occidunt, omnes rivi ab hoc fonte seiuncti, omnesque rami ab arbore fracti arefcunt. Calvinistæ, & Lutherani ab hoc Sole, ab hoc fonte, ab hac arbore præcisi iacent. Ergo sarmenta sunt omni humore destituta, & ad combustionem parata. Prodant unionem suam cum hac planta, si valent. Si se præcisos fatentur a Romana Ecclesia, ostendant fontem, & plantam cui hæreant. An cum Christo icædus iactabunt? At quomodo Christo capiti iuncti erunt, si præcisi a suo corpore sunt? De latere Christi aquæ salientes in vitam æternam scaturierunt. Aquæ istæ numquam aruere, sed exundantis copię largitate universum or-

bem inundant. Ostendant nobis Calvinistæ, & Lutherani, qua vena, quo meatu ab hoc fonte ipsi dimanent.

XVII. Non me fugit, Calvinum verbum Dei scriptum, sacramentorumque administrationem obrudere, tamquam veræ Ecclesiæ Christi symbola. *Ubi cumque* (inquit loc. cit. num. 9.) *verbum Dei sincere prædicari, atque audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari videntur, illic aliquam esse Dei Ecclesiam, nullo modo ambigendum est.* Hoc verum habere nemo inficiatur. Sed videndum superest quænam sit ratio qua deprehendi possit, ubinam sincere Dei verbum prædicetur, & sacramenta administrantur. Hoc constat, reponit Calvinus, ex ipsa divini verbi natura. *Quod autem rogit* (inquit Lib. I. cap. VII. num. 2.) *unde persuadebimus a Deo fuisse (Scripturam) nisi ad Ecclesiæ decretum confugiamus: perinde est ac si quis roget, unde discemus, lucem discernere a tenebris, album a nigro, suave ab amaro. Non enim obscuriorem veritatis suæ sensum ultro Scripturæ præferri, quam coloris sui res albæ, ac nigre, saporis suaves, & amaræ. Non secus ergo divina, & profundissima Scripturarum mysteria sensa suâ præferunt mentibus ac res albæ, nigreque coloris sui sensibus imaginem præferunt? Non minus Dei verbum mentibus, quam meridianus Sol oculis affulget? Quis sibi in animum induxisset ut crederet tanta potuisse Calvinum, virum alioquin doctum, & eloquentem, insania abripi? Cedo, disputatum ne unquam fuit, utrum Sol meridianus sereno celo splendeat, vel lux sit caligo? Utrum amarum sit dulce, vel dulce amarum? E contrario nonne quæque ex tot Christianorum sectis a se stare sinceram divini verbi prædicationem, & sacramentorum ministerium contendit? Divinum verbum, germanamque Scripturæ intelligentiam sibi arrogant Sociniani, Anabaptistæ, Lutherani, Calvinistæ, & olim sibi adiudicabant Ariani, Nestoriani, Eutychiani, & quotquot fuere hæretici. Res hæc facti est. Unde ergo Calvinus argumenta perspicua arcesset, quibus palam faciat penes se tantum residere immaculatam Dei Scripturam, & veram sacramentorum administrationem? Qua via revincet Socinianos, Arianos, Anabaptistas, Lutheranos a vera Scripturarum intelligentia aberrare? An reponet, Scripturam seipsa suam ingerere humanis mentibus sensum? Sed quid est quod unum assequuntur sensum Sociniani, alium Anabaptistæ, alium Lutherani, alium Catholicæ? Numquam ab hoc expedire se la-*

queq.

queo potuere Sectarii qui palantes ab Ecclesia aberrant. Velit ergo, nolit Calvinus, ad iudicium Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, confugiat necesse est. Ad incitas redactus Calvinus, atque Augustini auctoritate pressus, sibi contradicens concedit, eos qui nondum spiritu Dei sunt illuminati, Ecclesiæ reverentia ad docilitatem induci, ut Christi fidem ex Evangelio discere sustineant; atque ita hoc modo Ecclesiæ auctoritatem isagogem esse qua ad fidem Evangelii præparamur. Verum Ecclesiæ iudicium non modo necessarium est ut ad Evangelii fidem præparemur, sed etiam ut divinæ legis genuinum sensum assequamur. At, ut Calvinus simplices decipiat, ipsique non omnino ignavis imponat, fallacissimis paralogismis ludit, splendideque mentitur. Blaterat enim Catholicos docere, infallibilitatem Scripturæ non a Deo, sed ab hominum iudicio pendere. *Invaluit autem apud plerisque perniciosissimus error* (inquit loc. cit. cap. VII.) *Scripturæ tantum inesse momenti, quantum illi Ecclesiæ suffragiis conceditur; ac si vero æterna inviolabilisque Dei veritas hominum arbitrio niteretur. Hunc errorem Catholicis affingit de more Calvinus, qui semper dum adversus Catholicos arguitur, causam suam putidissimis mendaciis, calumniis, disteriis tuetur, ut pro re nata palam in hoc Theologiæ cursu fiet. Designent Calviniani vel unum Catholicorum qui doceat, docueritve, Ecclesiæ iudicium certitudinem Scripturæ sanctæ conferre. Nos Catholicis confitemur, Scripturam sacram a Deo solo suam habere auctoritatem, veritatem, atque certitudinem. Fatemur, Scripturam tanta maiestate splendere, ut seipsa suæ divinæ originis characteres plures prodant, sibi que maximam credibilitatem adsciscat. Ceterum soli insani, omnique exuti ratione negare possunt, plurima contineri in hoc sacro codice arcana imbecilla nostræ menti impervia, plurimosque obscuros sensus. Quæ ergo instituenda via, ut verum sensum, genuinamque interpretationem assequamur? Consulendus ne spiritus privatus cuiusque fidelis? At Calvinus ipse tamquam fanaticos improbat qui isthuc se recipiunt: quoniam quisque istorum suum privatum spiritum alteri præferret, & Babylonicam induceret confusionem. Tot proinde Ecclesiæ forent, quot essent privati spiritus contrarii. Hunc privatum spiritum a Satan in vedum consecutæ sunt tot hæreses quæ mutuo pugnant, seseque interimunt. Assignent ergo Protestantes, si valent, iudicem qui obscura arcana divini verbi referet, ve-*

rumque sensum pandat? cui omnes adhæreant, ut dogmatum unitatem servent. Soli Catholici hunc iudicem habent, nempe Ecclesiam, quæ non certitudinem, non auctoritatem tribuit Dei verbo; sed nobis declarat, atque interpretatur, hoc esse verbum Dei, huncque sensum quem in sua Scriptura Deus intendit? quemadmodum interpretes legum sensum civilium legum exponunt, minime legibus vim, auctoritatemque donant; sed totam vim, omnemque habent a Principe qui leges ipsas rogavit. Eiusmodi autem interpretes non raro falluntur, quod ab humano Principe infallibilitatem recipere nequeant, cum sit ille error obnoxius. Contra vero, quoniam Deus veritas est, fallere ac falli nescius, Ecclesiæ suæ, ne erret, assistit, eique lumen infundit quo verum a falso secernat, legisque suæ dubios sensus interpretetur. Putida ergo est Calvinus impostura, dum scribit, nos Catholicos plus hominum decreto quam Dei verbo deferre. Quoniam nos dicimus & Scripturam, & Ecclesiam certitudinem, & auctoritatem habere a Deo, qui omnis veritatis fons est, & origo. Dum Ecclesiæ credimus, Deo credimus, qui numquam a veritate Ecclesiam suam defecturam adpromisit, neque adversus eam inferni portas prævalituras. Ut ergo illuc unde discessimus, revertamur, quomodo evincet Calvinistæ, penes se sincere verbum Dei prædicari, & sacramenta administrari; quæ iuxta Calvinum duo sunt Ecclesiæ symbola, duæque testera? Immo nos iure dicimus, Calvinistas verbum divinum adulterasse, sacramenta de medio sustulisse, Dei cultum sacrilega impietate profanasse. Eorum conventus, & coetus non Ecclesiæ formam præferunt, sed babylonicæ factionis simulacrum. In illis sepultus latet Christus, obrutum Evangelium, profligata pietas, corrupta sinceritas; abolitur Sanctorum honos, diruta altaria, sanctuarium dissipatum, dispersique lapides: doli, fraudes, circumventio, vafrities, periuria quoquo versum grassantur. Nullum ergo penes ipsos Ecclesiæ vestigium: non propagationis amplitudo, non doctrinæ unitas, non antiquitas apostolica, non denique sanctitas: quæ omnia fuso calamo demonstrarunt Catholicorum plures, qui ex instituto hoc de argumento scripserunt. Nos qui obiter tantum has controversias delibare decrevimus, hic sistimus gradum, ut ad ea explicanda pergamus quæ mores Catholicorum ad unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Religionem conformant.

CAPUT VII.

Pia voluntatis affectio fidem præcedere debet. Fidei ad salutem necessitas explicatur.

I. Quoniam actus fidei prudens sit oportet, argumenta credibilitatis quæ fide dignum ostendunt id quod credendum est, comperta habere debet ille qui fidei assensum elicere velit. At quia hæc credibilitatis argumenta extrinseca sunt, & non tollunt rei credendæ obscuritatem; idcirco intellectus assentiri fidei obiecto nequit, nisi interna voluntatis motione adiuvetur. Quippe obiectum obscurum haud valet intellectum movere, & ad actum producendum allicere, nisi aliquo lumine evidens fiat, aut cum evidenti principio connexionem habeat. Fidei autem obiectum nec evidens in se ipso est, nec alicui naturali principio nititur: flectere ergo intellectum nequit. Quapropter necessariam esse piam voluntatis propensionem seu pium voluntatis affectum, qui evidentiam obiecti suppleat, docent Theologi communiter. Innumera credibilitatis momenta quæ supra indicata sunt, viam ad fidem parant, altissimas mysteriorum difficultates lævigant, minuunt, atque efficiunt ut eiusmodi mysteria digna appareant ut quisque prudenter debeat illa credere: quæ omnia externa cum sint, indifferens, & suspensus adhuc intellectus manet. Pia autem voluntatis motio, quæ affectio quædam supernaturalis est, divina illustratione, & cælesti gratia excitata, intellectum inclinat, movetque ad fidei assensum. Hæc pia ad divina propensio, Dei æternæque beatitudinis amore fovetur, & alitur. Hæc est notio quam istius piæ affectionis tradit Angelicus quæst. XIV. de ver. art. 2. ad 10. *Pia affectio voluntatis, qua determinatur intellectus ad assentiendum his quæ sunt fidei, est quidam appetitus boni repromissi.* Plurimas difficultates hac de re Scholastici movent, quas præterire congruum est. Dicamus potius, quod huic divinæ inclinationi rerum terrenarum cupiditas adversetur. Quare licet peccata contra legem fidem non auferant, illi tamen insidias struunt, ruinamque parant: quoniam quo magis ardet amor carnalis, eo minus ardet desiderium bonorum celestium. Hinc flagitiis repetitis prævalet in voluntate peccatoris affectio ad voluptates, mundanamque felicitatem, & minuitur pius voluntatis affectus erga divina; quo vero decrevit pia affectio, eo magis extenuatur, atque obnubilatur fidei lumen. Ex

quibus colliges, quam languida sit in flagitiis, scelestisque Christianis Iesu Christi fides. Sed hæc nunc persequi haud expedit.

II. De fidei necessitate latius disputant Theologi. Duplicem distinguunt necessitatem: alteram vocant mediæ, seu finis cum quo connexionem habet; alteram præcepti. Id dicitur necessarium necessitate mediæ sine quo nullo in eventu finis obtineri valet, quocumque modo, sive innoxie, sive propria culpa illud omittatur. Id vero nuncupatur necessarium necessitate præcepti, quod ex sola voluntate superioris absolute pendet, & a cuius executione ignorantia inculpabilis, aut impotentia excusare quandoque potest. Quod est necessarium necessitate mediæ, est quoque necessarium necessitate præcepti; sed non e contrario. Necessitas præcepti adultos dumtaxat ligat, quia solum in actibus humanis locum obtinet: necessitas mediæ parvulos quoque adstringit, & eis in rebus reperitur quæ actus non sunt, ut liquet in baptisate, & habitu gratiæ sine quibus salus haberi nequit. Necessitas mediæ bifariam etiam considerari potest. Primum absolute, & in re, eo quod absolutam præfert cum sine coniunctionem. Eiusmodi est gratia habitualis, quæ posita elevatione creaturæ ad finem supernaturalem, suapte natura ad gloriæ consecutionem necessaria est. Secunda necessitas mediæ est ex Dei institutione, quæ dicitur necessitas secundum quid, & in voto: cuiusmodi est baptismus, qui licet absolute in re necessarius sit respectu parvulorum; contingere tamen potest quod adultus solo voto in actu caritatis contento illum suscipiendi, æternam gloriam assequatur.

III. In præsentia non de habituali, sed de actuali fide sermo est. Habitum quippe fidei necessarium ad salutem esse necessitate mediæ, neque in dubium revocatur: quia sine gratia salus æterna haberi nequit, quemadmodum gratia sine fide minime infunditur. Hæc fides actualis, de qua nobis nunc sermo est, alia est explicita, ut dictum est, alia implicita. Illa expresse articulos in seipsis credit, ut *Deum esse unum, & trinum: Christum esse Deum hominem de Virgine natum* &c. Hæc aliquos articulos quorum expressa notitia caret, in altero quem explicitè cognoscit, & in quo præfati continentur articuli, credit: ut qui credit expresse quidquid catholica Romana Ecclesia credendum proponit, implicitè credit omnia Religionis nostræ mysteria.

IV. Salus supernaturalis, ad quam fidem necessariam asserimus, duplex est: prima, & secunda, seu iustificationis, & glorificationis.

Illæ

Illæ est per quam homo ab infirmitate cuiusque culpæ, sive originalis, sive actualis, purgatur; altera vero illa per quam homo istius vitam æternam assequitur. Melchior Canus *Relect. de Sacram. part. 22. concl. 3.* contendit, ad iustificationem satis esse aliquo in eventu fidem implicitam Christi, secus ad salutem æternam: idque Cornelii, de quo in Actis Apostolorum, exemplo ostendit, subditque hanc esse D. Thomæ sententiam 2. 2. *quæst. x. art. 4. ad 3.* quin asserit nullum se legisse auctorem qui huic iuxta opinionem refragaretur. Non ita tamen huic adhæret opinioni, quod alteri meliori, si illi occurreret, subscribere recusaret. Certum nunc est, contrariam sententiam communiter penes Theologos obtinere; ita ut eadem fides ad iustificationem, quæ ad æternam salutem, requiratur. Auctoritas quam ex D. Thomæ Canus opponit, nullo modo ei favet. *De Cornelio* (inquit Angelicus) *sciendum est, quod infidelis non erat: alioquin eius operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate.* Ante Redemptoris adventum fides Christi implicita satis erat. Tempore Cornelii nondum promulgata ita erat lex evangelica, ut omnes ad expressum fidei assensum tenerentur. Exemplum ergo Cornelii minus aptum est ad inferendum, nunc quoque posse fideles absque explicita fide Christi iustos evadere. Hæc ergo mixta opinio, communis Theologorum sententia est, eandem ad iustificationem, & ad glorificationem fidem requiri. His positus.

V. Dico 1. *Omnibus adultis ratione præditis necessaria est necessitate mediæ fides interna, actualis, explicita, & supernaturalis, tum ad iustificationem, tum ad glorificationem.* Assertio ex Dei verbo constat. Habacuc II. vers. 4. *Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autem in fide sua vivet.* D. Paulus ad Galat. III. vers. II. *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide vivit:* & ad Rom. III. *Arbitramur hominem iustificari per fidem:* & ad Hebr. XI. *Henoch iustificatus est, ne videret mortem. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide impossibile est placere Deo.* Hinc patet falsam esse opinionem Andree Vega, qui *Lib. VI. in Trid. cap. x.* censet adultos in peccato mortali existentes, qui invincibili laborant ignorantia mysteriorum fidei, iustificari posse absque ullo fidei actu. Quod clarius evincitur ex Synodo Tridentina, quæ *sess. vi. cap.*

VIII. allegans sacra Scriptura verba, hæc discernit. *Cum vero Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem ea verba in eo sensu intelligenda sunt quem perpetuus Ecclesia sensus tenuit scilicet quia fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire.* Rationem paucis exponit D. Thomas 2. 2. *quæst. II. art. 3.* Homo elevatus est ad ordinem supernaturalem, & ad beatitudinem assequendam. Porro ad hunc ordinem pervenire minime potest, nisi a superiori, nempe a Deo, dirigatur & instruatur. Directori autem, & magistro fides adhibeatur necesse est. *Omnis autem talis addicens (inquit ille) oportet quod credat, ad hoc quod ad perfectam scientiam perveniat; sicut etiam Philosophus dicit quod oportet ad discendum credere. Unde ad hoc quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis, præxigitur quod credat Deo, tamquam discipulus magistro docenti.* Certum itaque est nos plura debere credere quæ captum superant intellectus nostri: quapropter proscripta est propositio Petri Abaelardi, qui docuit: *Nihil credendum est quod excedat nostrum intellectus virtutem.*

VI. Obiiciunt Vega, Estrix, & Ripalda, recensita testimonia explicari commode posse de fide aut in re, aut in voto; sicuti de baptisimo, & poenitentia dici solet. *R.* Fides in voto vere, & proprie fides non est; quemadmodum baptisimus, & poenitentia in voto sacramenta reapse non sunt. Eiusmodi sacramenta in voto sufficere aliquando, Patres & Concilia testantur. Nemo vero Patrum, nullumque Conciliorum idem asserit de fide. Discrimen etiam suapte natura patet fidem inter & sacramenta: quod istorum administratio extrinsecus pendet ab hominum, scilicet ministrorum, ope, & industria; illa intrinsecus residet in mente, a nullo hominum exteriori ministerio pendens, sed a solo Deo intus mentem illustrante, & voluntatem tangente. Ignorantia invincibilis Dei, quam obtrudit Vega, ut inane commentum reiicimus. Negamus scilicet, dari eiusmodi ignorantiam, ut suo loco probabimus. De infidelitate negativa infra sermo erit.

VII. Dico 2. *Adulti ratione utentes, & in infantia baptizati nequeunt sine fide actuali salutem æternam assequi.* Henricus a S. Ignario pro contraria sententia plures asserit Auctores, quos inter Suarez *disp. XII. sec. 2. num. 10.* Lugo *disp. XII. sec. 1. num. 3.* Sed

3. Sed hi duo Auctores absolute non asserunt adultum in infantia baptismate tantum posse sine fide actuali salvum fieri. Docent tantum, puerum habentem gratiam sanctificantem in baptismate susceptam posse salutem consequi, si statim postquam pervenit ad usum rationis, moriatur, priusquam de fide cogitet, vel occasio se illi offerat credendi, aut non credendi. Hoc namque in casu salvabitur, inquit Suarez, non ut adultus, sed ut infans. Quare contendit dumtaxat, quod fides non sit necessaria ad conservandam iustitiam pro brevi tempore in baptismate infusam; minime vero negat, sed affirmat expresse, ad salutem æternam necessariam esse fidem actualem. Hunc accidere casum posse vix concesserim. Nam postquam affulsit plenum rationis lumen, ad Deum se se convertere adultus tenetur, eumque fide, spe, & caritate colere. Et cum ipse Suarez asserat, hunc puerum salvum in hoc eventu fieri ut infantem, non ut adultum, fatetur neminem adultorum sine actuali fide beatitudinem obtinere.

VIII. Sententia nostra communis est inter Theologos, estque ex ipsa Scriptura deprompta. Nam Marc. ult. dicitur: *Euntes in mundum universum, predicare Evangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Plurimos Scripturæ sanctæ textus missos facio, quod obvii sunt, & non pauci supra indicati. Concilia quoque aperte hanc firmant sententiam. Tridentinum sess. VI. cap. VI. de iustificatis loquens ait: *Dum divina gratia adiuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata, & promissa sunt: & cap. VIII. subdit: Fides dicitur esse humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis.* Hoc idem docent communiter Patres. Aug. ser. XXXVIII. antiq. edit. *Sine fide, inquit, nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire: quia sine ipsa neque in hoc sæculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam.* Ratio denique suffragatur. Quippe nullus adultus ratione præditus salutem assequitur sine propria cooperatione. Adultis namque salus æterna confertur a supremo Iudice tamquam præmium, merces, & coronæ. Nemo autem præmium, & mercedem adipiscitur, nisi prius laboris pretium solvat. Porro principium cooperandi divinæ gratiæ pro æternæ salutis consecutione est fides, quæ dicitur

humanæ salutis initium. Demptra hac fide, deest principium quo adultus negotium agere suæ salutis valeat. Necessaria ergo fides est cuique adulto, ut movere se in Deum, illumque colere, adorare, amare, & ab eodem suam sperare æternam mercedem possit.

IX. Dico 3. *Fides necessaria tum ad iustificationem, tum ad æternam beatitudinem non est fides late dicta, sed theologica, & supernaturalis.* Ostensum est, omnibus ratione utentibus necessariam esse fidem actualem, quemadmodum parvulis necessaria est fides habitualis in baptismate infusa. Hæc autem fides actualis theologica sit oportet, & supernaturalis, divinæ revelationi innixa. Quare haud sufficit fides latius accepta, orta ex cognitione creaturarum, quæque Deum credit ut creatorem. Damnata siquidem est hæc propositio: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad iustificationem sufficit.* Hanc propositionem ascribunt nonnulli Ripaldæ; sed P. Viva hoc falsum esse contendit. Fides late dicta, iuxta Ripaldam, aliosque Theologos, est cognitio supernaturalis a Deo infusa iis qui ex cognitione creaturarum in Deum mentem attollunt. Certum est nunc fidem non sufficere, ut ex propositione damnata. Requiritur ergo fides strictè accepta, quæ assensus est supernaturalis ex divina revelatione procedens, Deumque ut remuneratorem, atque salvatorem spectans, ut infra magis patebit.

C A P U T VIII.

De obiecto materiali fidei, seu de articulis quorum fides necessaria est necessitate medii.

I. **O** Biectione formale fidei definivimus supra cap. III. num. 4. esse primam veritatem obscure revelantem. Indicatum quoque ibidem est obiectum materiale primarium fidei theologice esse ipsum Deum, cetera vero revelata obiectum secundarium. Quoniam vero sermo nunc est de mysteriis quorum fides necessaria est, explicare paulo fusius expedit obiectum materiale fidei, seu exponendæ sunt veritates quæ fide divina credendæ implicite, vel explicite sunt; quæque obiectum materiale fidei constituunt.

II. Itaque verbum Dei obscure revelatum, seu quidquid Deus viatoribus revelavit, est obiectum materiale fidei. Dividitur obiectum istud in primarium, & secundarium. Illud est Deus ipse, quod nuncupari & ab scholasticis solet obiectum attributive-

tionis: nam Deus est ad quem omnia alia revelata referuntur tamquam ad finem, ut inquit D. Thoinas 2. 2. quæst. I. art. I. *Si vero consideremus materialiter ea quibus assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum.* Hinc est quod Deus omnium primum sese hominibus credendum revelavit, cetera vero propter seipsum.

III. Hoc verbum, quod obiectum materiale fidei esse diximus, aliud est quod Deus per semetipsum immediate viatoribus revelavit; ut quando locutus est Angelis post eorum creationem, quibus revelavit quæ credere debebant; item Hieremiæ, Michæ, aliisque Prophetis, quibus aliquando per semetipsum locutus est. Aliud est verbum quod Deus non immediate per se, sed medio legato suo, manifestavit: sic Tobiæ, Zachariæ, B. Virgini, aliisque plurimis Prophetis, Patriarchis, sanctisque viris locutus est per Angelos suos; & sæpe per Patriarchas, & Prophetas in veteri testamento populo secreta sua referavit. Tandem, cum venit plenitudo temporis, locutus est nobis in Filio, qui Apostolis & Evangelistis, & per istos nobis omnibus, divina & inaudita arcana patefecit. Hôs varios modos, quibus Deus sua nobis mysteria manifestare dignatus est, indicant divini Scriptores. D. Paulus ad Hebr. cap. I. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio.* Et S. Ioannes cap. I. vers. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.... Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Item D. Paulus I. ad Thessalon. cap. II. vers. 13. *Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.*

IV. Celebris divisio divini verbi est in verbum scriptum, & non scriptum, seu traditum. Verbum scriptum in libris sacris, & canonicis continetur. Canonici libri recensentur a Tridentino sess. IV. & sunt sequentes. Veteris testamenti primo loco numerantur quinque Moysis legislatoris libros, nempe *Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium*: librum *Iosue, Iudicum, Ruth*: quatuor libros *Regum*: duos *Paralipomenon*: duos *Esdra*, primum, & secundum, qui dicitur *Nehemias*: *Tobias, Iudith, Esther, Iob,*

Psalterium Davidicum, centum quinquaginta psalmis comprehensum: *Proverbia Salomonis, Ecclesiastem, Canticum Cantorum*, librum *Sapientiæ, Ecclesiasticum*: quatuor Prophetas maiores *Isaiam, Ieremiam cum Baruch, Ezechielem, Danielem*: duodecim minores, nempe *Oseam, Ioseph, Amos, Abdiam, Ionam, Michæam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggeum, Zachariam, Malachiam*: duos *Machabæorum* libros, primum, & secundum. Testamenti autem novi quatuor *Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis*: *Actus Apostolorum* a Luca Evangelista litteris consignatos: quatuordecim *Pauli Apostoli Epistolas*, unam ad *Romanos*, duas ad *Corinthios*, unam ad *Galatas*, unam ad *Ephesios*, unam ad *Philippenses*, unam ad *Colossenses*, duas ad *Thessalonicenses*, duas ad *Timotheum*, unam ad *Timum*, unam ad *Philemonem*, unam ad *Hebræos*: *Apostoli Petri* duas *Epistolas*: *Ioannis Apostoli* tres: *Iacobi Apostoli* unam: *Iudæ Apostoli* unam: & *Ioannis Apocalypsim*.

V. Scriptores Ecclesiastici aliquando dubitarunt, num libri *Esther, Tobias, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, Machabæorum* primus, & secundus, epistola *Pauli ad Hebræos*, epistola *Iacobi*, secunda *Petri*, secunda & tertia *Ioannis*, epistola *Iudæ*, *Apocalypsis* *Ioannis* canonicis accensendi sint. De aliis libris recensitis nunquam dubitatum fuit; sed tamquam canonici habiti omni tempore fuerunt. Porro licet de his quos hoc numero indicavimus, dubitatum ab aliquibus fuerit, antequam eosdem in Canonem librorum sacrorum perscribi Ecclesia iussisset; nunc tamen haud licet de illis dubitare, sed omnes pro canonicis habendi sunt, ut præcipit Tridentinum sess. IV. *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris non susceperit; anathema sit.* Multæ hac de re quæstiones institui possent; sed non est instituti nostri easdem versare. Illud dumtaxat nostræ interest admonere, omnia in recensitis sacris codicibus contenta ad obiectum materiale fidei attinere, omniaque divina fide credenda esse explicite, vel implicite, ut infra declarabitur.

VI. Verbum Dei non scriptum, seu traditum, illud est quod litteris mandatum non est, sed a Deo revelatum Patribus, Prophetis, & Apostolis de ore in os ad nos pervenit, & hominum cordibus, quemadmodum ver-

verbum scriptum in papyro, custoditur. Hoc verbum traditum admittendum esse adeo evidens est, ut soli Lutherani, & Calvinistæ obcæcati negare illud audeant. Nam Ecclesia antiquior scriptura est. Fides ergo ab ique scriptura fuit. Nonne priorum sæculorum Patres ante Moysen veram colebant religionem, rerumque divinarum fidem habebant, divinaque mandata nullibi nisi in eorum cordibus scripta servabant, eademque parentes filiis communicabant? Circumcisionem a Deo acceptam Abraham posteris prodidit, quod sacramentum in animis impressum per multos annos in Ægypto servarunt Hebræi, ubi citra Dei legem scriptam, veram unius Dei fidem, & religionem tenuerunt. Christus legem suam scriptis minime prodidit. Apostoli prius viva voce Evangelium docuerunt, deinceps litteris mandarunt, ut testatur Lucas cap. 1. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi, affecto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile. Multa ad doctrinam christianam pertinent quæ nec nunc sunt litteris expressa, ut testantur Patres. Epiphanius hæresi lxi. Oportet autem & traditione uti: non enim omnia a divina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione per vocem SS. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apostolus: Sicut tradidi vobis: & alibi: Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis. Similia docet S. Ioannes Chrysostomus in II. ad Thessalonic. cap. 1. Hinc patet quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed etiam multa sine litteris: eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista: itaque traditionem quoque Ecclesie fide dignam putamus. Traditio est, nihil querat amplius. Quid si recensere singula fidei dogmata vellem quæ non scriptura aliqua, sed sola traditione credimus? Sed illud satis sit indicare, nos utramque testamentum novum, & vetus firmissime tenere, non scripturæ, sed solius traditionis auctoritate.*

VII. Traditiones apostolicæ diversæ sunt, ac duplicis veluti generis. Quædam temporariæ fuere, ut abstinere a sanguine, & suffocato; aliæ perpetuæ. Rursus aliæ sunt traditiones quas Apostoli a Christo acceperunt, ut matrimonium, confirmationem, extremam unctionem esse sacramenta quæ Christus ipse instituit: alias traditiones ipsi Apo-

stoli Spiritu sancto suggerente ad Ecclesie utilitatem ediderunt, tamquam pastores Ecclesiarum. Prioris generis traditiones, quæ Apostolico-divinæ nuncupari solent, nulli subiacent mutationi, nec potestati Ecclesie: in ea siquidem quæ divini iuris sunt, Ecclesia potestatem non habet: quapropter eiusmodi traditiones nulla consuetudine opposita antiquari valent. In illis vero traditionibus quas Apostoli considerunt, tamquam Ecclesiarum pastores, potest Summus Pontifex, potest Ecclesia dispensare; quin & contraria consuetudine eiusmodi aboleri valent.

VIII. Hinc colliges, verbum non scriptum, seu traditiones apostolicas quas Apostoli a Christo acceperunt, & perenni Ecclesie consensu ad nos pervenerunt, ad obiectum materiale fidei pertinere, nobisque divina fide credendas esse. Quid quod ipso verbo scripto id præcipitur? Inquit enim Paulus I. ad Thessalonicenses cap. 11. *State, & tenete traditiones, quas accepistis sive per epistolas, sive per sermonem. Idem tradunt œcumenica Concilia. Nam Synodus generalis septima act. vii. inquit: Fatemur nos ecclesiasticas traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes, retinere velle; quarum de numero est imaginum effigurationem. Catholicae igitur Ecclesie traditionem observantes designamus, sanctas imagines venerandas. Qui ergo ausi fuerint aliud sentire, aut more impiorum hæreticorum ecclesiasticas traditiones contemnere, si Episcopi fuerint deponuntur; si laici, communione privantur. Concilium Tridentinum sess. iv. hæc habet. Sacrosancta Tridentina Synodus prospiciens veritatem Evangelii salvatorem, & morum doctrinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus ipsius Christi, quæ ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus tradita ad nos usque pervenerunt, traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dilatatas, & continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia cum libris sacris suscipit, ac veneratur.... Si quis autem sciens, & prudens traditiones prædictas contempserit, anathema sit. Ex quibus colliges, non solum verbum scriptum, seu libros canonicos; verum etiam verbum traditum, seu traditiones quas Apostoli a Christo acceperunt, aut Spiritu sancto dictante invexerunt, nobisque tradiderunt, ad obiectum materiale fidei pertinere. Præter fidei obiectum vero sunt traditiones illæ*

illæ quas illi proprio arbitrio, tamquam Ecclesiarum suarum pastores, instituerunt, illorum temporum rationi, & genio congruas, quæque temporis cursu in desuetudinem abiere. Quapropter nunquam ad fidem pertinerunt.

IX. Postremo verbum divinum aliud est privatum, alicui nempe personæ singulari a Deo revelatum, & ab Ecclesia minime approbatum: hoc autem nullam habet publicam auctoritatem, neque ad fidem attinet. Aliud est verbum universo generi humano a Deo revelatum, & Ecclesie declaratione probatum, cuiusmodi est vetus, & novum testamentum, atque traditiones apostolico-divinæ: quæ omnia publica fruuntur auctoritate, atque obiectum materiale fidei ingrediuntur. Decisiones, seu declarationes Ecclesie non constituunt novos fidei articulos non revelatos a Deo. Hac quippe revelatione habetur, Ecclesiam columnam esse, firmamentum veritatis; veram Dei sponsam, divinæ voluntatis interpretem, portis inferni nunquam succubituram, atque usque ad sæculorum consummationem a veritate nunquam aberraturam. Credimus ergo fide divina, Ecclesiam catholicam in rebus fidei, morumque infallibilem: quoniam, ne erret in rebus ad æternam salutem necessariis, Deus semper illi præsto adest. Hæc itaque novas a Deo revelationes non accipit, ut olim Propheta: articulos fidei non auget, nec minuit; sed divini verbi reconditos sensus exponit: quæ sunt a Deo revelata, nobis proponit, & interpretatur: apostolicas traditiones custodit. Explicatis breviter iis quæ obiectum materiale fidei constituunt, seu quæ credere Catholici omnes tenentur saltem implicite; manifestandum nunc superest quæ singillatim, & expresse quisque credere tenetur necessitate medii.

X. Dico I. Quocumque tempore omnibus necessaria semper fuit fides explicita Dei auctoris supernaturalis, & remuneratoris, seu vite æternæ largitoris, necessitate medii, seu finis. Fidem infusam supernaturalem esse tum ex parte principii, nempe gratiæ intellectum illustrantis, & voluntatem adiuvantis, tum ex parte obiecti, nempe Dei auctoris donorum cælestium, iam supra demonstratum est. Hic solummodo clarius explicatur obiectum cuius explicita fides necessaria semper fuit. Hoc porro dicimus esse Deum auctorem gratiæ, & æternæ mercedis largitorem. Hæc conclusio est divi Pauli ad Hebræos xi. vers. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Et hac de re nullum esse debet amplius inter Theologos dissidium.

XI. Dico 2. Post lapsum humani generis in peccatum tam sub lege naturæ, quam sub lege Moysis, fides actualis in Christum Redemptorem saltem implicita omnibus adultis necessaria semper fuit necessitate medii. Hæc quoque assertio certa penes Theologos est, eamque tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 11. art. 7. *Mysterium incarnationis aequaliter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimode tamen secundum diversitatem temporum, & personarum. Nam ante statum peccati homo habuit fidem explicitam de Christi incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem, & resurrectionem, quia homo non fuit præsciens peccati futuri... Post peccatum autem fuit explicitè creditum mysterium incarnationis Christi non solum quantum ad incarnationem, sed etiam quantum ad resurrectionem, quibus humanum genus a peccato, & morte liberatur. Hanc assertionem haulit Angelicus ex Scriptura. Nam Evangelista Ioannes hæc scribit cap. xiv. *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* D. Paulus ad Galat. 11. *Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* D. Lucas Act. 14. *Non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ratione quoque conclusio evincitur. Siquidem quisque viam callere tenetur per quam pervenire ad suam beatitudinem debet. Quis namque attingere portum valet, si viam ignoret quæ sola eo ducit? Solus autem Christus via est quæ ducit ad vitam æternam. Ergo illam nemo assequitur, Christo ignorato. Quæ ratio aliter proponi potest. Omnibus quibus necessaria est redemptio per Christum, fides Christi necessaria est. Atqui nemo, nisi per Christum, redimi potest. Ergo nemo sine Christi fide salvari valet. Hæc porro fides in quibusdam, nempe in maioribus, & sapientibus, explicita fuit, in rudibus implicita; & hæc istis satis erat, eo quod sub figurarum velamine Christi incarnatio occultata erat in lege, sive naturæ, sive scriptæ. Ita docet Angelicus in III. dist. xxv. quæst. 11. art. 2. quæstiunc. 2. *In secundo statu post peccatum ante adventum Christi quidam habebant fidem explicitam, qui maiores dicebantur;**

tur; quidam autem, ut minores, fidem implicitam habebant in fide maiorum: unde & eis sacramentum redemptionis sub signis sacrificiorum proponebatur. Vide quæ docet idem Angelicus 2. 2. quæst. 11. art. 7. ubi docet, aliquos Ethnicos salutem assecutos ante Christi adventum fide Christi tantum implicita: tunc quippe lex mosaica solos altrungebat Iudæos. Quare gentes quæ legem servabant naturæ, fideque implicita Christi perfusæ erant, salutem æternam assequi poterant. Et hæc communis est Patrum, Theologorumque sententia.

XII. Dico 3. Post sufficientem Evangelii predicationem omnibus adultis necessaria est fides explicita Trinitatis, & incarnationis ad æternam salutem assequendam, necessitate medii. Hæc quoque sententia communior est penes Theologos, & expresse eruitur ex Scripturis, & Conciliis. Evangelista Ioannes cap. III. eam docet: *Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* D. Paulus ad Galat. cap. II. *Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, ut iustificemur in fide Christi.* D. Marc. cap. XVI. *Prædicate Evangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* D. Matth. cap. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Concilium Tridentinum sess. VI. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* D. Athanasius in Symbolo: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* In hoc autem symbolo enucleate explicatur incarnationis, & sanctissimæ Trinitatis mysterium. D. Thomas 2. 2. quæst. IX. art. 7. *Post tempus autem gratiæ revelata, tam maiores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi.* Hanc denique sententiam communiter Theologi docent, & Casuistæ. Sotus in IV. dist. V. quæst. unic. art. 2. conclus. 3. Petrus de Ledesma Lib. IV. cap. X. Suarez Tom. IV. in III. par. disp. IV. sect. 2. Azorius Tom. I. Lib. VIII. cap. VI. quæst. VI. Lugo disp. II. sect. 4. n. 106. Serra quæst. II. ar. 7. concl. 7. Marti-

nez de Prado quæst. IV. §. 3. n. 14. Ioannes a S. Thoma disput. IV. art. 1. Gonet disp. VI. art. 3. Ferre 9. IX. §. 2. num. 52. Salmanticenses Scholastici disp. VI. dub. 1. §. 3. num. 77. Sanchez Lib. II. sum. cap. 11. num. 8. Salmanticenses Morales tract. XXI. cap. 11. punct. 2. num. 15. & communiter Thomistæ fere omnes. Huius sententiæ ratio clara est. Quippe ostensum supra est, fidem implicitam Christi fuisse omni tempore post Adæ peccatum necessariam. Porro status novi foederis, seu gratiæ, perfectior cum sit, perfectiorem quoque notitiam istius status requirit. Hæc autem perfectior notitia non nisi expressa fides Christi, & Trinitatis esse potest. Eadem ratio evincit necessitatem fidei in Christum, & Trinitatem: quia fides explicita incarnationis haberi nequit sine fide explicita Trinitatis.

XIII. Contrariam sententiam recentiores non pauci sequuntur. Eam sibi semper visam fuisse valde probabilem, scribit P. Patritius Sporer tract. 11. in prim. præcept. Decal. cap. 11. sess. 11. §. 4. num. 9. pro eadem citat Layman, Tanerum, pluresque alios. Quæ tamen opinio, tamquam contraria apertissimis Scripturæ, sanctorum Patrum, & potissimum D. Thomæ textibus, nullo modo in praxi sequenda est, eamque ut improbabilem reiecit. Nec officit quorundam recentiorum auctoritas nullo solido argumento nixa. Gratis liquidem asserunt, Scripturæ textus proderent necessitatem quæ mediæ, vel præcepti appellari potest: ac subinde ignorantia invincibilis ab eadem excusare valet. Hoc liquidem periculum vanum est. Ut enim absolutam necessitatem fidei, quam de præfatis mysteriis Scriptura declarat, temperare, & ad solam præcepti obligationem restringere iure valerent; id vel aliis Scripturæ textibus, vel Patrum auctoritate evincere deberent: quod præstare cum nequeant, corrui eorum interpretatio.

XIV. Quæst. I. An post sufficientem Evangelii predicationem per accidens contingere possit quod aliquis Christi fide tantum implicita iustificetur. Adfirmant Salmanticenses tum Scholastici tract. XVII. disput. VI. dub. 1. §. 3. num. 79. tum Morales tract. XXI. cap. 11. punct. 2. num. 18. Roncaglia tract. VI. cap. 11. quæst. 3. aliique iuniores. Quoniam, inquiunt, fieri potest quod catechumeno proponatur Deus ut auctor, & finis supernaturalis, absque expressa Christi, & Trinitatis notitia. Hoc autem in casu iustificaretur catechumenus, quia posset Deum

au-

auctorem supernaturalem, quem credit, amore caritatis diligere.

XV. Resp. Numquam contingere potest quod post sufficientem Evangelii predicationem quisquam iustificetur, & salutem assequatur absque expressa Christi fide, neque per se, neque per accidens. Hæc sententia communior est penes Theologos, & mihi unice vera. Quoniam, fatentibus adversariis, Scriptura, & Patres absolute docent explicitam Christi fidem esse ad salutem necessariam. Arbitraria ergo est distinctio necessitatis per se, & per accidens. In iis namque quæ ex divina institutione pendent, non ratio humana, sed divina voluntas consulenda est. Deus autem, ut ex eius verbo scripto nobis constat, necessitatem fidei explicitam in Christum ad salutem æternam assequendam tamquam medium necessarium in nobis requirit. Accedit quod facta positione præsentis providentiæ, in qua nemo nisi per Christum redimitur, ex rei natura consequitur neminem, nisi per Christi fidem expressam, fieri salvum posse. Contingere ne potest quod aliquis absque Christi redemptione salutem assequatur? Absit ut id dicatur. Ergo promulgatione facta istius redemptionis nemo sine fide expressa in hunc Redemptorem recipi salvatur. Ante promulgationem satis erat implicita fides Christi: quia imperfectio illius itatus, & obscuritas revelationis prædicentis cælestem Messiam, id concedebant. At facta novi foederis promulgatione, ex natura perfectionis status, atque adeo ex rei natura in hoc statu, accedente etiam divina institutione, elicitur, expressam Christi fidem ad utramque salutem necessariam esse. Quod reponunt Salmanticenses, hoc verum habere per se, secus per accidens, arbitrarium commentum est. Concedo equidem catechumeno proponi posse Deum auctorem supernaturalem absque expressa Christi notitia; sed subdo, posse etiam eidem proponi Deum auctorem naturalem absque ulla explicita cognitione Dei auctoris supernaturalis. Quid inde? iustificaretur ne hoc in eventu? Quid reponis? Dei auctoris supernaturalis expressam fidem, posita elevatione creaturæ rationalis ad statum supernaturalem, ex natura rei necessariam esse? Id ipsum assero ego, nempe admissa hypothese peractæ incarnationis, & sufficientis promulgationis, consequi ex natura rei necessitatem explicitæ fidei in Christum. Data enim præfata hypothese, nemo nisi per Christum redimitur. Ergo nemo, nisi per expressam Christi fidem, iustus evadit.

Cur in veteri lege rudes iustificabantur fide implicita Christi? Quia hæc fides sufficienter promulgata non erat: quia sub figurarum, typorumque cortice incarnatio Christi latebat. Ergo sublato velamine, ac luce cælesti per omnem terrarum orbem diffusa, expressa fides requiritur. Alioquin inter rudes veteris, & rudes novi testamenti nullum foret discrimen. Hanc nostram sententiam conceptis verbis docet D. Thomas in III. dist. xxv. quæst. 11. art. 2. quæstionc. 2. *In tertio autem statu post mysterium Christi, quia iam mysterium Christi completum est, & corporaliter, & visibiliter predicatum, omnes tenentur ad explicitè credendum; & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.* En casum in terminis, ut aiunt, propositum de catechumeno, & quocumque alio adulto, a D. Thoma. Quid respondet? Confugit ne ad distinctionem per accidens? Afferit ne, desiciente instructore, qui proponat rudi catechumeno incarnationem Christi, posse eiusmodi catechumenus per accidens absque expressa Christi fide iustificari, & salutem assequi? Minime gentium; sed in sinum se recipit divinæ bonitatis, Deumque ipsum hoc in eventu revelaturum fore huic adulto Christi fidem, nisi sua culpa obicem posuisset. Non est ergo de mente D. Thomæ ambigendi locus. Auctoritatem quam Salmanticenses, & ex ipsis Roncaglia opponunt eidem D. Thomæ ex 2. 2. quæst. 11. art. 7. extrarem omnino est, quoniam ibidem Angelicus loquitur de Ethnicis tempore veteris legis.

XVI. Obiiciunt Salmanticenses, experientia constare Deum diligi amore supernaturali absque explicita Christi fide, ut patet in iustificatis. Idem ergo in catechumeno contingere potest. Præterea quamquam ex Scriptura baptismi necessitas expresse asseratur, nihil impedit quominus solo baptismatis desiderio quis salutem assequatur. Resp. Experientia, quæ obtruditur, inanis est. Quod catechumenus notitiam habeat Dei auctoris supernaturalis absque expressa Christi fide, transeat. Quid inde? Experientia ne patet, hanc notitiam satis esse ad iustificationem? Nos cum D. Thoma asserimus, Deum in præfata providentia omnes homines illuminare, nisi illorum culpa obicit. Deus instructorem mittet, nisi propria iniquitate se homines indignos effecerint. Quando ergo expressa Christi fides deest, credentium culpa deficere dicimus; atque adeo si-

ne

ne hac fide iustificari quemquam posse negamus. Paritas de iustificatis inepta est. Nec enim dicimus; omni tempore, & in omni actu necessariam esse expressam Christi fidem; sed eam ad utramque salutem necessariam dicimus. Quod iustus possit actum dilectionis Dei edere; quin expresse de Christo cogitet, quis est qui neget? Hic enim virtute meritorum Christi omnes suos elicit actus, pluresque fidei expressæ in Christum iam elicit; & quamvis, dum aliquando Deum diligit, actu de Christo non cogitet; vita tamen eiusdem Christi vivit, eiusdemque passionem sibi applicuit, illique fide, spe, & caritate adheret. Quæ omnia ab infideli, & catechumeno absunt; ideo nulla paritas. De baptismo dictum est supra, nos ex Patribus, & communi traditione habere, satis esse ad salutem baptismum in voto, quando re suscipi nequit: nihil vero simile de fide habetur; immo expresse asserunt Patres, potissimum D. Thomas, divinam providentiam supplere defectum ministerii humani, nisi culpa hominis obstitit. Ex natura quoque diversa fidei, & baptismatis discrimen colligitur: quod hoc ab exteriori ministro pendet, illa a solo Deo. Utrique fides ordinario modo concepta est ex auditu; sed facillime prædicatione externa per internam illustrationem suppleri valet. Denique qui expresse credit in Christum, expressam notitiam habet medii quod solum, & unicum ad vitam ducit; & in hac expressa fide desiderium baptismi haberi potest. Qui contra expressa fide Christi caret, cognitione destitutus illius viæ est quæ sola ad æternam beatitudinem ianuam referat.

XVII. Quæst. II. *An homini ignorantia mysteria incarnationis, & Trinitatis neganda sit absolutio sacramentalis?* R. Affirmat communissima Theologorum sententia. Graviter ergo peccaret minister qui absolveret quemquam talium mysteriorum ignorantia laborantem. Quia quicumque ignorantia incarnationis, & sanctissimæ Trinitatis laborat, ad poenitentia sacramentum ineptus, & incapax est. Si enim hæc ignorantia vincibilis sit, res clara est. Si postea sit invincibilis, quam in aliquo raro casu dari contendunt Salmanticenses cum quibusdam aliis; licet non sit culpabilis, est tamen obex ne quis aptus sit ad sacramentum poenitentia suscipiendum. Quare illi ipsi Auctores, potissimum Salmanticenses, qui sustinent, aliquo in casu catechumenum salvum fieri posse fide tantum implicita Christi, negant, hac

sola fide perfusum capacem esse absolutionis sacramentalis. In quo quam bene sibi consentent, ipsi viderint: docent enim, eandem fidem requiri tum ad iustificationem, tum ad æternam beatitudinem.

XVIII. Hinc collige, quam merito damnata hæc propositio sit ab Innocentio XI. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis D. N. Iesu Christi.* P. Viva in explicatione istius thesisi n. 7. duplicem capacitatem distinguit: alteram ad absolutionem licitam, alteram ad absolutionem validam: concluditque, illicitum quidem ignorantem talia mysteria absolvi; at e contrario valide absolveretur, si ea duo mysteria credenda essent solum necessitate præcepti, non medii. Ex his elicit n. 10. hoc confectarium. *Hinc sequitur, non esse reiiciendam, nec favere huic thesi proscriptæ laudatam opinionem Marchantii, quod scilicet non sint repetendæ confessiones ab eo qui ignorabat mysteria Trinitatis, & incarnationis: quamvis enim non absoluitur licite qui ea ignorat; at probabile est quod absolvat validè: quoties autem probabile est confessionem præteritam fuisse validam, ea non est repetenda.*

XIX. Subdit deinde, sibi probabilius videri, fidem explicitam mysteriorum incarnationis, & sanctissimæ Trinitatis necessariam esse necessitate dumtaxat præcepti. Atque ut ab hoc ultimo auspicemur, gratis, & absque fundamento docet, probabilior esse hanc suam opinionem. Nec enim omnes quos laudat Auctores, absolute defendunt solum necessitatem præcepti; sed quidam in aliquo dumtaxat casu raro per accidens contingere posse aiunt quod sola implicita Christi fides sufficiat ad iustificationem. Ceterum communior, immo communissima, & mihi unice vera, sententia docet, necessariam esse fidem explicitam incarnationis, & Trinitatis necessitate medii. Quare dubio procul probabilior est opinio ista. Quo posito, falsam prorsus reputo opinionem P. Viva dicentis, quoties probabile sit confessionem præteritam fuisse validam, eam non esse repetendam. Falsam, inquam, reputo hanc opinionem huic de qua disputamus controversiæ applicatam. Nam quod persuasio absolute probabilis de valore præteritæ confessionis eximat ab onere repetendæ confessionis, extra disputationem est. Verum quando probabilius videtur confessionem nullam fuisse,

minor probabilitas satis minime est ut quis liberetur ab obligatione repetendæ confessionis. Porro probabilius est explicitam Christi fidem necessariam esse necessitate medii ad iustificationem, & beatitudinem. Ergo probabilius est nullam esse confessionem illorum qui præfata ignorant mysteria. Reficienda ergo confessio est: quoniam in sacramentorum materia probabilior, immo tutior opinio amplectenda est. Quod postea addit P. Viva, posse illum qui eiusmodi ignorat mysteria, absolvi non licite, sed valide, mihi incompertum est. Nam hæc ignorantia aut invincibilis est, aut vincibilis. Si vincibilis, patet confessionem nullam esse ex thesi proscripta. Si invincibilis asseratur; & valide, & licite poenitens absolveretur, & minister dumtaxat peccaret, si poenitentis instructionem omitteret. Quare ex parte Confessarii illicita absolutio foret. Et hæc forsitan est P. Viva opinio, quam tamen nos reiicimus: quoniam ignorantiam invincibilem post promulgationem evangelicæ legis haudquaquam admittimus. Idcirco illicitam, & nullam asserimus absolutionem illius qui incarnationis, & Trinitatis ignorantia laboret. Quare si ignorantia irretitus homo sit, Confessarius tenetur tali homini absolutionem sacramentalem denegare. Et hæc sententia communissima est, quam nec ipse P. Viva negare potest, quamque defendunt vel ipsi Salmanticenses *loc. cit. num. 19.* & passim alii recentiores. Denique ut quis dicatur habere fidem explicitam incarnationis, & Trinitatis, haud est necesse ut explicitam notitiam habeat earum omnium veritatum quæ ad præfata attinent mysteria; sed satis est ut explicitam habeat fidem trium Personarum distinctarum, credatque secundam Personam, nempe Filium Dei hominem factum, mortuum, & a mortuis resurrexisse, atque in cælum ascendisse, ut genus redimeret humanum.

CAPUT IX.

De Symboli, seu fidei articulis.

I. **V**erbum scriptum, nempe universam sacram Scripturam, & verbum traditum, scilicet traditiones apostolicas, materiam esse, seu obiectum fidei christianæ, superiore capite ostensum est. Nunc autem addimus, Symbolum quoque Apostolicum, quod summam doctrinæ christianæ continet, ad fidem nostram pertinere. Antequam vero Symboli Apostolici articulos explico, pau-

Conc. Theol. Tom. I.

ca de Symbolorum numero generatim prælibare expedit.

II. Atque ut ab ipso Symboli nomine auspicemur, Symbolum fidei brevis summa est quæ præcipuos fidei articulos continet. Appellatur quoque signum, seu tessera, qua fideles secernuntur. Quadruplex in Ecclesia Symbolum receptum est, videlicet Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, & Athanasianum. De hoc Athanasii Symbolo disputant eruditi viri, adiudicandum ne Athanasio sit. Communior sententia negat, ab Athanasio editum illud esse: tum quod inter antiquissimos operum Athanasii codices non habetur; tum quod hæreses post Athanasium ortæ, ut Nestoriana, & Eutychiana, expresse confutantur in hoc Symbolo. Quamvis vero conscriptum ab Athanasio non fuerit Symbolum illud, tota tamen eiusdem doctrina in operibus continetur Athanasii. Et quod caput est, Symbolum illud certissima est fidei regula, cum illud Ecclesia universa approbaverit, suisque ministris præcepit ut illud diebus dominicis recitarent. Qui Symbolum istud Athanasio tribuerunt, facti errore decepti sunt.

III. Symbolum Constantinopolitanum editum fuit adversus Macedonianos, estque idem paululum licet auctum, ac Nicænum Symbolum in Concilio Nicæno contra Arianos conditum. De his duobus Symbolis nullum est inter Theologos dissidium.

IV. Symbolum Apostolicum ab omnibus tum catholicis, tum hæreticis suscipitur. Id solum in discrimen adducitur, fuerit ne ab Apostolis ipsis sub definita formula constitutum. Catholici Scriptores plures referunt Calvinum cum Erasmo, & aliis negantem ab Apostolis Symbolum istud concinnatum fuisse. At Calvinus non inficiatur absolute, sed fatetur hoc Symbolum a veteribus Apostolis tribui, & in eodem doctrinam Apostolorum, & solidis Scripturæ testimoniis consignatam haberi, & ab ipsa Ecclesiæ origine traditam. Inquit enim lib. II. Inst. cap. XVI. num. 18. *Apostolicum autem nuncupo, de auctore interim minime sollicitus. Apostolis certe magno veterum Scriptorum consensu ascribitur, sive quod ab illis in commune conscriptum, & editum existimabant, sive quod compendium istud ex doctrina per eorum manus tradita, bona fide collectum tali elogio confirmandum censuerunt. Neque vero mihi dubium est quin a prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum seculo, in usum publicæ, & omnium calculis recepta con-*

E

ses-

feffionis obtinuerit . . . Quo intellecto, de Auctore vel anxie laborare, vel cum aliquo digladiari, nihil attinet: nisi qui forte non sufficiat certam habere Spiritus sancti veritatem, ut non simul intelligat, aut cuius ore enuntiata, aut cuius manu descripta fuerit.

V. Ubique Calvinus suum ostentat supercilium. Fatetur, veteres magno consensu Symbolum istud adiudicare Apostolis. Quid est ergo quod ipse veteribus non subscribit? Quanam illi ratio est a veteribus recedendi? Nulla præter superbiæ typhonem, ambitionemque aliis contradicendi. Neque nos super hac re anxie digladiamur, quoniam scimus, factum istud ad fidem minime pertinere. Sed veterum insistere vestigiis nobis aridet, quando ab iisdem declinandi nulla valida occurrit ratio. Dicimus ergo cum communi Catholicorum consensu, Symbolum istud ab Apostolis conditum esse quia primorum sæculorum Patres, ceu testes fide dignissimi, id asseverant. Irenæus Lib. I. adverb. hæres. cap. 11. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terre seminata, ab Apostolis, & Discipulis eorum accepit eam fidem quæ est in unum Deum, Patrem omnipotentem &c.* Tertullianus Lib. de præf. cap. xxxvii. *In ea regula incidimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit.* Lucifer Calaritanus Lib. II. adv. Constantinum Imperatorem hoc Symbolum appellat *formam disciplinæ, & regulam fidei per Apostolos traditam.* Consule Ambrosium Lib. I. epist. vii. ad Siricum; Rufinum in expositionis Symboli præfatione ad Laurentium, sanctum Leonem ad Pulcheriam Augustam, & Patres communiter. Nec obest quod obiiciunt, Symbolum istud non esse Scripturæ canonicæ partem, neque a S. Luca recenferi in Actibus Apostolorum. Hinc potius colligere Protestantès deberent, se mirum in modum hallucinari, dum negant verbum traditum: nam Symbolum istud recipiunt tamquam doctrinam divinam, tametsi scriptis non consignatam, sed de ore in os diffusam, quæque per omnium veluti manus ad nos usque pervenit. Velint ergo, nolint, aut apostolicas traditiones admittant, aut Symbolum apostolicum reiiciant necesse est. Multa gesserunt Apostoli quæ Lucas minime recensuit. Quare argumentum inficiale nullius hic ponderis est.

VI. Recensendæ nunc sunt istius Symboli sententiæ singulæ, quas articulos appellamus, quosque duodecim, iuxta numerum duodecim Apostolorum, esse communiter asserunt Doctores.

Primus est: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ.*

Secundus: *Et in Iesum Christum filium eius, unicum Dominum nostrum.*

Tertius: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

Quartus: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.*

Quintus: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.*

Sextus: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

Septimus: *Inde venturus est iudicare vivos, & mortuos.*

Octavus: *Credo in Spiritum sanctum.*

Nonus: *Sanctam Ecclesiam catholicam: Sanctorum communionem.*

Decimus: *Remissionem peccatorum.*

Undecimus: *Carnis resurrectionem.*

Duodecimus: *Vitam æternam.*

VII. Quamquam Catechismus Tridentinus duodecim articulis universum Symbolum comprehendat; ad numerum respiciens Apostolorum, Theologi tamen res creditas considerantes, illud in quatuordecim tribuunt sententias, seu articulos: quam divisionem D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 8. adprobat; alteram tamen non improbat, sed æque probat, immo etiam priori præfert exponens apostolicum Symbolum. Parum momenti res habet, cum nullum sit discrimen nisi penes maiorem explicationem. Præfatus Catechismus tres in partes hoc Symbolum tribuit I. *Part. cap. 1. num. 4.* In una, divinæ naturæ prima Persona, & mirum creationis opus describitur: in altera, secunda Persona, & humanæ redemptionis mysterium: in tertia, tertia item Persona, caput, & fons sanctitatis nostræ. Theologi cum D. Thoma loc. cit. in duo veluti genera totum Symbolum partiuntur. Nam de Deo vel credimus quæ ad naturam ipsam divinam spectant, & ea sunt septem: vel quæ pertinent ad naturam humanam assumptam, & ea itidem sunt septem. *Et ideo* (inquit D. Thomas) *prima distinctio credibilium est, quod quadam pertinent ad maiestatem Divinitatis, quadam vero pertinent ad mysterium humanitatis Christi, quod est pietatis sacramentum.* Circa maiestatem autem Divinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primo quidem unitas Divinitatis: & ad hoc pertinet primus articulus. Secundo Trinitas Personarum; & de hoc sunt tres articuli secundum tres Personas. Tertio vero proponuntur nobis opera Divinitatis propria: quor-

um primum pertinet ad esse naturæ; & sic proponitur nobis articulus creationis: secundum pertinet ad esse gratiæ; & sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam: tertium vero pertinet ad esse gloriæ; & sic proponitur nobis alius de resurrectione carnis, & de vita æterna. Et ita sunt septem articuli ad Divinitatem pertinentes. Similiter etiam circa humanitatem Christi ponuntur septem articuli: quorum primus est de incarnatione, sive de conceptione Christi: secundus de natiuitate eius ex Virgine: tertius de passione eius & morte, & sepultura: quartus de descensu ad inferos: quintus est de resurrectione: sextus de Ascensione: septimus de adventu ad iudicium. Et sic in universum sunt quatuordecim. Quædam tamen distinguunt duodecim articulos fidei, sex pertinentes ad Divinitatem, & sex pertinentes ad humanitatem. Tres enim articulos trium personarum comprehendunt sub uno: quia eadem est cognitio trium personarum. Articulus vero de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet resurrectionem carnis, & gloriam animæ. Similiter articulum conceptionis, & natiuitatis coniungunt in unum.

VIII. Perspicua sunt hæc omnia. Quia tamen de summa doctrinæ fidei nostræ sermo est, lubet nonnulla addere quæ singulorum notitiam enucleatius declarent. Pauca primum delibantur circa septem articulos qui Divinitatis maiestatem spectant. Primus ergo articulus præfert, Deum esse in natura & substantia unum, æternum, infinitum, immensum, & maiestate summum, ubique non solum potestate, vi, & efficacitate, sed etiam re ipsa vere præsentem, cuius ditioni omnia subduntur: qui est supremus omnium rerum Dominus, qui nutu suo omnia moderatur, cognoscit, videt, atque disponit.

IX. Secundus articulus primam in natura divina Personam, Patrem scilicet, prodit, qui est principium duarum Personarum divinarum. Illum proinde credimus genitorem Filii, & spiratorem Spiritus sancti, parique ratione eum ingentum credimus, id est, a semetipso, & per seipsum subsistentem, ab alio suum esse minime habentem.

X. In tertio articulo credimus secundam in natura divina Personam verum Deum, qui ex Patre solo genitus sit ab æterno, naturalis Dei Filius, consubstantialis, & per omnia Patri æqualis, Patrique unicum Verbum, & expressa imago, eum plene representans, & exprimens.

XI. Proferimus in quarto articulo tertiam in natura divina Personam Spiritum sanctum, qui ex Patre, Filioque ab omni æternitate procedens, qui verus utique, coæternus, coequalis, consubstantialis Deus est.

XII. Quintus articulus nobis credendum proponit Deum rerum omnium conditorem, qui solo nutu, verbo suo universam mundi machinam, tam visibilia, quam invisibilia, in tempore ex nihilo produxit, eaque producta conservat, dirigit, curat, ac gubernat infinita sapientia, ac bonitate summa: qui sicut prima causa est, a qua cuncta ex nihilo condita, in temporis initio dimanarunt; ita est ultimus finis, ad quem omnia referuntur.

XIII. Sextus articulus nobis proponit Deum omnis iustitiæ, & gratiæ, ac sanctitatis largitorem, qui peccata nobis dimittit, peccatoresque per gratiam adoptionis, quæ peccata delet, in suam caritatem, & amicitiam restituit.

XIV. Septimus articulus nobis exhibet credendum, Deum esse gloriæ æternæ, vitæque cælestis datorem, in cuius visione, & amore beatorum spirituum felicitas sita est.

XV. Articulorum qui ad humanam naturam in Personam Filii assumptam pertinent, primus representat Filium Dei de cælis in terram descendisse, sibi que mirabili nexu, & vinculo humanam naturam copulasse. Facta hac coniunctione, Persona hæc divina in duabus naturis, divina scilicet, & humana, subsistit: atque adeo in tempore Verbum incarnatum conceptumque dicitur sine Patre in terris ex incorrupta virgine, in qua operante Spiritus sancti virtute Verbum caro, & homo factus est.

XVI. In secundo profitemur eundem Dei Filium humanam naturam assumptam ex immaculata virgine natum prodiisse: eamque Mariam Dei matrem, simulque virginem confitemur.

XVII. Tertius articulus ostendit, Christum Dominum munere docendi, & miracula patranda peracto, sub Præsede Pontio Pilato crucifixum, mortuum, ac sepultum fuisse.

XVIII. Quartus admonet, Christo iam mortuo, eiusdem animam ad inferos descendisse, ibique tamdiu mansisse, quamdiu illius corpus in sepulcro iacuit. Ad illas porro infimas sedes, seu abdita receptacula penetravit, ut morte, dæmoneque devicto patrum animas liberaret. Triduo iacuit in sepulcro; & licet corpus ab anima separatum

tum fuerit, Divinitas tamen nec a corpore, nec ab anima fuit seiuncta.

XIX. In quinto articulo credimus, tertia die victorem Christum ex inferis redeuntem sua vi, & potestate a mortuis resurrexisse, vitamque immortalem, gloriæque plenam affectum fuisse.

XX. Sextus articulus eundem Christum proponit, absoluto humanæ redemptionis negotio, post quadraginta a resurrectione dies in cælum propria virtute ascendisse. Quippe secundum naturam humanam euectus est in cælum, sedetque ad dexteram Patris, eadem æqualis, & eadem maiestate resurgens.

XXI. In septimo tandem articulo credimus extremum iudicii diem, quando Christus Dominus iterum de cælo descendet, severam iudicis personam agens, ut iudicet universum terrarum orbem, & palam unicuique reddat, prout quisque in proprio corpore gessit sive bonum, sive malum: omnes enim ante illius tribunal tam improbi, quam probi adstabuunt, sive qui ante illum tremendissimum diem mortem obierint, sive qui adhuc in carne vivi hoc in mundo peregrinabuntur.

XXII. Hæc est distinctio articulorum quam Theologi communiter tradunt. Si quod ipse sentio, prodere licet, planior, & expeditior mihi videtur illa quam Catechismus Tridentinus exponit, ad duodenarium numerum omnes Symboli articulos restringens, iuxta ordinem, & methodum, quam in ipso Symbolo digesti sunt. Explanatio quoque, quam eorundem articulorum præfatus Catechismus tradit, omnibus aliis præferenda est. In expositione quatuordecim articulorum, vestigiis insistentem Theologorum, de articulo Ecclesiæ nihil expresse dixi. Idcirco pauca modo subiicienda sunt. Nonus ergo articulus sanctam Ecclesiam catholicam credendam proponit. Quid nomine Ecclesiæ intelligatur, fusius explicat laudatus Catechismus, & a nobis dictum est supra, quod sit fidelium congregatio visibilis sub uno visibili capite, qui est Romanus Pontifex. Si enim visibile corpus est Ecclesia, ut vel ipsi fatentur hæretici, a visibili capite regatur oportet. Ecclesia hæc ab Adam usque ad sæculorum consummationem una semper fuit, est, & erit: in terris dicitur militans, quæ bonos, malosque suum suo complectitur; & in cælis triumphans, quæ cœtum felicissimum beatorum spirituum, & eorum qui de mundo, carne, & dæmone triumpharunt, atque æterna beatitudine fruuntur, comprehen-

dit. Una ergo est Ecclesia, duas veluti partes comprehendens, militantem, & triumphantem. Sancta appellatur, quod Deo dicata, & consecrata sit; quod, veluti corpus cum sancto Christo capite Domino totius sanctitatis fonte coniungatur: quod denique doctrinam sanctam doceat, quod sacramenta, divinæ sanctificantis gratiæ instrumenta, administret, ac legitimum sacrificii cultum Deo offerat. Catholica denique nuncupatur, idest universalis. Hanc particulam non positam primitus ab Apostolis, sed temporis decursu additam fuisse verosimilius est, maioris explicationis gratia. Siquidem dicitur hæc vox catholica nota Ecclesiæ, non veluti infantis, & in cunis positæ, qualis erat quando Apostoli condiderunt hoc Symbolum; sed adultæ, & in flatu perfecto constitutæ. Quamvis enim eadem semper fuerit, diversos tamen habuit status, ut indicavimus. Sanctorum communio non constituit articulum distinctum, sed noni articuli explicatio maior est. Unitas enim spiritus a quo Ecclesia regitur, efficit ut quidquid in eam collatum est, commune sit, inquit Catechismus Tridentinus, quem consule, si maiorem cupis Apostolici Symboli explicationem.

XXIII. Ultimo advertere licet, quod etsi in quibusdam Ecclesiis Symbolum apostolicum nonnullis particulis auctum fuerit, in Ecclesia tamen Romana intemeratum ad pluræ sæcula custoditum semper est. Aquileiensis, & Orientalis Ecclesia particulas, paucas licet, huic Symbolo addidit adversus insurgentes hæreses, ut testatur Rufinus in expositione Symboli. Illud (inquit) non importune commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adiecta. In Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum: quod ergo propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium: & mos inibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publice, idest fidelium populo audiente, Symbolum reddere; & utique adiectionem unius saltem sermonis eorum qui præcesserunt in fide, non admittit auditus. In ceteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quedam videntur, per quæ novella doctrina sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur quem in Aquileiensi Ecclesia laudari gratia suscepimus.

CA-

CAPUT X.

De fidei christianæ præceptis.

I. **T**Riplex distingui solet fidei præceptum. Primum præcipit ut ea quæ credenda sunt, sciantur. Secundum iubet assentiri interiorius mysteriis credendis. Tertium imponit externam fidei confessionem opportuno tempore faciendam. Hæc tria mandata affirmantia, & positiva nuncupantur. Dantur deinde præcepta quæ negantia dicuntur, affirmantibus opposita, ut sunt non negare fidem exterius, non profiteri hæresim, seu infidelitatem: sed hæc in primis includuntur. In præsentia de solo præcepto quod scire credenda imperat, sermo est.

§. I.

Christianæ fidei capita quæ adulti omnes scire necessitate præcepti astringuntur.

II. **I**Taque ut quis actus fidei internos elicere queat, prius scire debet veritates, seu mysteria illa quæ credenda sunt. Primum siquidem fidei præceptum iubet notitiam habere eorum quæ credere debemus. Hæc autem sunt triplicis veluti generis: alia namque mentem illustrant, ut recte credere valeat; alia ad spem concipiendam erudiant; alia denique ad honeste vivendum, æternamque salutem comparandam animum informant.

III. Dico I. Omnes adulti ratione præditi scire, & credere explicite tenentur omnes articulos in Symbolo contentos. Hæc sententia communis est, & certa penes Theologos, quamvis Iuristarum, & antiquorum Summistarum aliqui oppositum docuerint: quæ tamen opinio ab omnibus nunc reiicitur. Ratio clara est. Nam Symbolum istud summam continet christianæ professionis, inquit Augustinus Lib. de fide, & symbolo cap. I. Est autem fides catholica in Symbolo nota fidelibus, memoria mandata, quantum res passa est, brevitate sermonis, ut incipientibus, atque latentibus eis qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima, & spirituali tractatione, atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur. Et sub finem eiusdem Libri subdit: Hæc est fides quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis Christianis datur: quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subiungentur Deo, subiugati recte vivani, recte vivendo conmundent, corde mundo, quod credunt, intelligent. Quod omnia mysteria in hoc Symbolo

Cœc. Theol. Tom. I.

contenta fideles explicite scire teneantur, ex eo constat quod aliqua mysteria, puta Trinitatis, & incarnationis, in eodem habentur, quorum fidem sub præcepto cadere nemo Catholicorum inficiatur. Cum ergo catholica Ecclesia ceteros articulos simul cum illis proponat credendos, non est cur illi, secus alii, credendi sint. Neque alicuius Doctoris est summam hæc articulorum restringere, vel ab eorundem notitia homines eximere. Posito enim divino præcepto aliqua credendi, necessario consequitur ea credenda esse quæ nobis Ecclesia in suo Symbolo proponit.

IV. Dico 2. Non est necesse omnes adultos agnoscere præfata mysteria, & memoria distincte tenere eo ordine quo digesta in Symbolo sunt; sed satis est eorundem notitia quantum ad substantiam. Quid significet credere Symboli articulos quantum ad substantiam, non satis clare explicat Theologi, & vix notio adæquata exhiberi potest. Id solum dici valet; tunc fideles quantum ad substantiam callere hos articulos, quando de iisdem interrogati respondent, se eos credere; quamquam illos eo quo digesti sunt ordine ignorent; nec ita memoria eosdem teneant, ut valeant, nullo interrogante, distincte recitare. Item non est necesse ut exprimere eorundem definitiones sciant, aut difficultates, pluresque veritates quæ in eisdem continentur, agnoscant; sed satis est quod significatus respondentes vocibus articulorum teneant. Exempla subiiciamus. Mysterium Trinitatis quantum ab substantiam sciunt fideles, si concipiant unum Deum in tribus personis distinctis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: & has personas non esse tres Deos, sed unum Deum; Filium, non Patrem, esse incarnatum &c. Verum vix, ac ne vix quidem, exprimi valet quid ad cuiusdam articuli substantiam pertineat; idcirco ut maiori qua fieri potest perspicuitate rem difficillimam edisseram, sequentes quæstionculas subiiciam.

V. Quæst. I. Quid credere teneantur fideles adulti vi illorum articulorum qui ad Divinitatem pertinent, quantum ad substantiam? Resp. Credere explicite & absolute debent, Deum esse unum, omnipotentem, creatorem universi, omnium visibilium, & invisibilium, Salvatorem generis humani, omnis sanctitatis, & gratiarum datorem, qui peccata dimittere valet, & peccatores per gratiam adoptionis in suam restituere amicitiam, gloriæ, beatæque vitæ largitorem: & quod dentur tres personæ divinæ, qua-

E 3

rum una non sit alia, & omnes tres unus sint Deus.

VI. Quæst. II. *An necesse sit explicite credere, Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere?* Resp. Adfirmarunt nonnulli; sed communis Theologorum sententia negat. Nam particula *Filioque* addita fuit circiter nonum sæculum. Si enim fideles scire deberent processionem divinas, non solum quantum ad substantiam, sed exploratam notitiam mysterii Trinitatis habere deberent.

VII. Quæst. III. *Quid scire fideles debent de articulis qui ad Christi attinent humanitatem, ut dicantur eos scire quantum ad substantiam?* Resp. Primo quod secunda persona, nempe Filius Dei factus sit homo, qui dicitur Christus, quique Deus, & homo est. Non requiritur ut explicite sciant duas naturas divinam, & humanam in una persona subsistere, aliasque difficultates &c. Secundo quod Christus conceptus sit virtute Spiritus sancti, & ex virgine Maria natus. Tertio quod passus, & mortuus sit. Quarto quod descenderit ad inferos secundum animam. Quinto quod tertia die resurrexerit a mortuis. Sexto quod ascenderit in cælum ad dexteram Patris, & quod venturus sit iudicare vivos & mortuos in die iudicii.

VIII. Quæst. IV. *Utrum fideles teneantur vi præcepti credere explicite, Desipiam perpetuo mansisse virginem?* Resp. Probabilior, communiorque sententia adfirmat. Quoniam hoc satis aperte in Symbolo indicatur, dum dicitur *natus ex Maria Virgine*. Eo ipso namque quod absolute Maria nuncupetur *virgo*, consequitur tum ante, tum post partum, semper fuisse virginem. Hanc siquidem perpetuam virginitatem prodit absoluta & indefinita virginitatis appellatio.

IX. Quæst. V. *Tenentur ne fideles credere, Christum passum esse sub Pontio Pilato?* Resp. Non est unde colligatur ad id fideles teneri, nisi quod in Symbolo id narratur. Sed advertendum id non esse in Symbolo positum tamquam distinctum articulum, aut veritatem quamdam quæ ad doctrinam fidei conferat; sed esse circumstantiam magis declarantem passionem ipsius Christi: dum enim iudex demonstratur, sub quo Servator divinus passus est, factum passionis firmiter constat. Ceterum satis esse videtur, fideles credere mortem Christi absque hac circumstantia: hæcque communior sententia est.

X. Quæst. VI. *Astringuntur ne fideles explicite credere, Christum descendisse ad inferos,*

& Sanctorum communionem? Resp. Sententia adfirmans mihi probabilior est. Et primo descensus ad inferos articulus est Symboli apostolici. Omnes autem Symboli articulos credere fideles iubentur. Quidni ergo & hunc? Qua ratione illum excipere debemus? An privati Doctoris est fidem articulorum quos Ecclesia credendos proponit, restringere? Ad summum dicerem, fideles debere scire hunc articulum quantum ad substantiam, nempe Christum descendisse ad inferos, prout in Symbolo dicitur. Quod autem scire debeant expresse, hunc descensum in inferiora receptacula secundum animam contigisse, atque ibidem usque ad resurrectionem permansisse, non videtur satis mihi exploratum, ut ad hanc distinctam notitiam rudes obligem. Communio quoque Sanctorum, cum sit expresse in Symbolo apostolico posita, credenda expresse est ab omnibus. Et quamquam vim istius vocis, propriamque significationem rudes homines minime teneant; rem tamen ipsam per vocem significatam haud ignorant, cum re ipsa viris piis, sanctisque in cælo degentibus se commendent, credantque se se eorum intercessionibus iuvare posse. Verum utique est, hanc Sanctorum communionem non constituere articulum distinctum, & peculiarem in duodenario numero articulorum; sed est particula extrema noni articuli, *Credo sanctam Ecclesiam catholicam*; estque veluti eiusdem explicatio quadam. Hinc tamen haud consequitur ab eiusdem notitia fideles eximi. Potissimum quod vix concipere valeant Ecclesiam unum esse fidelium cœtum, unum corpus, sacramentorum præcipue nexibus copulatum, cuius caput invisibile Christus, nisi simul percipiant hæc membra quæ mysticum corpus efficiunt, mutuo iuvare, & totius corporis bona participare communia, fructibusque gaudere.

XI. Quæst. VII. *Tenentur ne fideles credere explicite necessitate præcepti mysteria Circumcisionis, Presentationis in templo, Adventus Spiritus sancti, aliarumque festivitatum quæ solemniter in Ecclesia celebrantur?* Resp. Adfirmant nonnulli; sed communior, & probabilior sententia negat. Nec enim præfata festa, & mysteria tam Ecclesia celebrat, ut eorumdem fidem excitet in fidelium mentibus, quam ut fideles ad colendum Deum inducat. Nec est unde colligatur præceptum quod ad eiusmodi festorum fidem astringat fideles.

§. II.

§. II.

Summa eorum quæ credere fideles debent, ut divinam spem concipiant, honeste vivant, & salutem æternam consequantur.

XII. **E**A quæ spem nostram in Deum magnopere excitant, sunt petitiones in oratione dominica contentæ. Hæc precatio, quam nos Salvator ipse divinus docuit, maxima vi, & efficacia pollet ad spem fovendam: quippe Deum sub amantissimi patris persona nobis refert, nolque edocet ea petere quibus illum ultimum nostrum finem assequamur. Hanc dominicam orationem peroptime exponit Angelicus opusc. VII. & 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 9. sed fufiorem, & ad pietatem faciendam, spemque alendam, aptissimam tradit expositionem Catechismus Tridentinus.

XIII. Ea porro quæ mores nostros informant, in Decalogo continentur; suntque decem mandata, de quibus singulis sermo erit.

XIV. Media ad æternam salutem assequendam sunt septem sacramenta. Baptismi, pœnitentiæ, & eucharistiæ notitia potissimum requiritur, eo quod tria hæc sacramenta omnibus adultis necessaria sunt. Cetera autem sacramenta tunc scire, & credere fideles tenentur, cum eadem suscipere debent. Quamvis tamen istorum necessitas non sit æqualis necessitati baptismi, pœnitentiæ, & eucharistiæ; non ob id tamen ignorantia eorum absolute, & communiter innocens est, potissimum quod in discrimen illa hæretici adducunt.

XV. Præter recensita, necessaria quoque est notitia præceptorum sanctæ matris Ecclesiæ, & salutationis angelicæ, ut plures graves Doctores sentiunt. Quin addit Layman cum Paludano, Navarro, Lopez, & aliis teneri fideles vi præcepti ecclesiastici, longa firmati consuetudine, memoriter discere orationem dominicam, salutationem angelicam, & Symbolum Apostolorum. Et sane communis Ecclesiæ consuetudo obtinet ut omnes pueri ad hæc addiscenda, memoriæque commendanda imbuantur: culpæque immunes non censentur communiter adulti qui præfata ignorant. Sentit tamen laudatus Layman cum aliis, hanc obligationem memoriæ mandandi quæ recensui, attingere tantum sub culpa veniali. Difficile mihi est limites quantitatis culpæ huius figere, quæ maior, aut minor esse potest varietate cir-

cumstantiarum inspecta. Si fideles adulti ignorant quæ in Symbolo continentur, certum est eos graviter peccare, quoniam ad illa credenda divino præcepto attinguntur. Si ergo scire ea sub gravi culpa tenentur, consequi videtur quod memoriæ quoque repofita habere debeant. Quare solum dicendum videtur, venialis dumtaxat culpæ fontes esse, si illa nesciant eo ordine quo disposita sunt, memoriter, expedite, & distincte recitare: & hoc dicere forsitan volunt Auctores laudati. Sed audire lubet D. Carolum Borromæum Aët. Eccl. Mediol. Part. IV. *Quoniam Christianus omnis, si adultus est, sub pœna peccati mortalis scire debet articulos omnes Symboli Apostolorum, insuper & præcepta Dei, sanctæque matris Ecclesiæ universa, quæ sub mortali obligant, & docentur communiter in scholis doctrinæ christiænæ.* Et in Concilio V. hæc adduntur, mentione facta orationis dominicæ, & salutationis angelicæ: *Si Confessarius pœnitentem reperiat omnium istorum ignarum, non absolvat, quin primo quoque tempore iis addiscendis operam daturum se promittat. Quamquam si aut in Confessario suo eodem, vel diverso, vel sua ipse primum conscientia iam alias monitus (quod diligentissime exquiretur) eam adhibere diligentiam neglexerit quæ pro illius generis capiti ad ea discenda sufficiens sit; non prius absolvatur quam huic obligationi aliqua saltem ex parte fecerit satis. Si vero ea de re nusquam antea monitus fuerit, poterit tum ei gratiam absolutionis impertiri; ea tamen præmissa semper instructione quam pœnitenti sufficere censuerit, ut tanto beneficio non sit indignus.*

XVI. Illud etiam addendum, quemquam scire debere præter fidei articulos, & legis mandata omnibus communia, illa quoque munia quæ singulorum statum, vel officia spectant, ut inquit Angelicus 1. 2. quæst. lxxvi. art. 2. *Omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt fidei, & universalis iuris præcepta. Singuli autem ea quæ ad eorum statum, vel officium spectant.*

XVII. Quæst. VIII. *Fieri ne potest ut homo rudis salvetur, quamquam nihil specialiter credat, dummodo generatim, & implicite credat quidquid credit sancta mater Ecclesia?* Resp. Adfirmarunt olim aliqui cum Rosella verb. Fides num. 1. & 2. sed communis, & certa sententia negat. Quoniam præceptum divinum est, quo quisque astringitur credere fidei articulos. Quare omnes credere tenentur, ut dictum est, ex-

plicite fidei articulos qui in Symbolo continentur, quique aut iuxta numerum Apostolorum duodecim sunt, aut iuxta Theologorum supputationem quatuordecim numerantur: quod discrimen in maiori aut minori explicatione situm est. Ideo qui credit duodecim, credit etiam quatuordecim.

XVIII. Quæst. IX. *An si quis adeo obtuso, & hebeti ingenio sit, ut Symboli articulos percipere neque quantum ad substantiam valeat, immunis a culpa sit, & præcepto fidei satisfaciat, si aliquos clariores, quos assequitur, explicite credat, ceteros vero implicite, credens quidquid Ecclesia proponit?* Resp. Adfirmant Azorius Lib. VIII. cap. VI. quæst. VI. dummodo aliquem articulum explicite credat. Quare, inquit, si quis Trinitatis articulum nequeat percipere, satis est si credat explicite alios clariores, nimirum Christum Dei Filium natum ex virgine, passum, cruci affixum, mortuum, & sepultum, ex mortuis resurrexisse, & in caelos conscendisse. Hæc tamen opinio mihi non probatur. Unitatis namque Dei, & Trinitatis personarum fides iuxta communiorum Theologorum sententiam necessaria est necessitate mediæ. Nec concipi facile potest rudem hunc fidelem ea præditum esse mente qua valeat incarnationem Filii Dei, secus Trinitatis mysterium percipere; cum unum mysterium vix sine alio credi possit. Et si Deus illi tantum infundit luminis quo incarnationem Verbi apprehendere queat; cur eundem non illuminabit circa personarum Trinitatem? Potestas percipiendi veritates fidei non ex solis humani ingenii viribus repetenda est; sed potissimum ex supremi Numinis clementia, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

XIX. Quæst. X. *Utrum Christianorum quispiam probabili, seu, ut dicitur, invincibili ignorantia omnium articulorum fidei teneri possit?* Resp. Azorius loc. cit. quæst. VII. respondet difficile creditu esse, id contingere posse, eo quod fideles imbuantur, sapiuntque audire soleant christianæ fidei præceptiones. Verum respondeo ego, nullo modo id evenire posse. Quoniam credere aliquem articulum necessarium est iuxta omnes necessitate mediæ. Si enim aliquando accidere posset aliquem invincibiliter omnes articulos ignorare, sequeretur hunc absque fide posse salutem assequi: quod nemo dixerit. Ut tamen magis perspicua responsio sit, dico, illorum articulorum quorum fides necessaria est necessitate

præcepti, ignorantiam invincibilem in aliquo etiam fidelium reperiri posse, quamquam raro id contingat; eorum vero articulorum quorum fides necessaria est necessitate finis, seu mediæ, nulla ignorantia probabilis, seu invincibilis cuiquam suffragatur. Idem de infidelibus dicendum est. Hæc est communior sententia, quam docet D. Thomas super I. ad Corint. cap. XI. *Pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directe, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur: unde error circa hos secundum se facit hæreticum, si pertinacia adsit. Non possunt autem a tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipue quantum ad ea de quibus Ecclesia solemnizat, & quæ communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, Nativitatis Christi, & alia huiusmodi.*

XX. Quæst. XI. *An satisfaciant fidei præcepto fideles qui Symbolum, decem Decalogi præcepta, orationem dominicam, & angelicam latine tantum discunt, dum sunt linguae latine ignari?* Resp. Hæc omnia, vi præcepti, diuturna firmati consuetudine, memoriter, saltem quantum ad substantiam, scire fideles debent. Nunc in quæstionem vertitur, satisfactio sit quod lingua tantum latina, quam ignorant, memoriæ eadem consignat. Adfirmant Navarrus, Azorius, & alii. Sed distinguendum videtur. Si nullo modo significatum articulorum, præceptorumque fideles tenerent, si ita ignari latine lingue essent, ut nihil prorsus eorum quæ memoriter sciunt, perciperent; quid illis talium articulorum notitia prodesset? Quare qui prorsus verborum sensum non caperet, esset veluti psittacus, solaque verborum, non vero mysteriorum, notitiam haberet. Ut itaque obligationi sciendi res fidei fiat satis, saltem imperfecto, & confuso modo tenetur quisque fidelis intelligere mysteria quæ vocibus respondent. Sive ergo latina, sive vernacula lingua res fidei addiscantur, non sufficit eadem memoriter utcumque tenere: quia qui tantum memori ter præfata mysteria scit absque ulla sensuum intelligentia, dici proprie nequit quod illa sciat. Itaque necessum est ut crasso quodam modo sensum rerum credendarum, sciendarumque fideles percipiant. Et hæc est communis sententia.

XXI. Quæst. XII. *Utrum sub mortali fideles adulti scire, vel addiscere teneantur septem sacramenta?* R. Quod ad tria attinet sacramenta, baptismi, poenitentiae, & eucharistiae, compertum est omnes adultos ea sub

mor-

mortali scire debere; eo quod omnes ad eadem suscipienda sub mortali astringantur. Quin callere debent ea quæ ad eiusmodi sacramenta digne suscipienda necessaria sunt. De aliorum sacramentorum necessaria notitia non una est Theologorum sententia. Nam alii censent, tunc solum eadem sciendi obligationem urgere, cum suscipi illa debeant. Alii sustinent, saltem sub levi culpa quemquam adultorum teneri ad istorum sacramentorum notitiam. Mihi valde probabile est, neminem ab obligatione sciendi hæc sacramenta eximi. Septem enim sacramenta sunt veluti tesserae catholicæ religionis, sunt divinæ erga nos misericordiæ pignora. Qui illa ignorat, divinæ bonitati ingratus est, & propriæ professionis quasi contemptor. Idque potissimum his temporibus verum habet, quod hæretici præfata pernegent sacramenta. Sunt proinde nunc veluti insignia Catholicorum, qui peculiari iure eorundem notitia instructi sunt necesse est. Quænam vero sit culpa eadem ignorare, fateor me non tenere. Idem dicendum de ignorantia sciendi se signo crucis. Certum siquidem est a culpa immunem minime fore fidelem qui hoc sacrosancto crucis signo se signare nesciret. Quantitas vero istius culpæ nos latet. Id unum dicere possumus, gravioris culpæ reos fore genitores illos qui filios docere suos negligerent hoc sanctæ crucis signum.

XXII. Quæst. XIII. *An omnes fideles eadem mysteriorum fidei notitia instructi sint oporteat?* R. Adfirmare videntur hæretici recentiores, docentes, omnes fideles, quantumvis laicos, & simplices, teneri ad scienda omnia fidei mysteria, ad Scripturam sacram, non modo legendam, verum etiam interpretandam. Contendunt enim fidelium quemquam eo perfusum lumine esse quo valeat reconditiores fidei, & verbi scripti sensus comprehendere. Quem errorem alias refellimus. Quare communis Catholicorum sententia est, non esse omnibus fidelibus eandem fidei mensuram communem, ut inquit Apostolus ad Rom. XII. *Unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Sicut ergo membra corporis humani non eundem actum exercent, neque ad eandem functionem obligantur; ita membra corporis mystici, nempe Ecclesiæ, ad eandem omnino explicitam rerum fidei notitiam non astringuntur. Rem

hanc perspicuis rationibus Angelicus illustrat 2. 2. q. II. art. 6. *Explicatio* (inquit) *fidei oportet quod perveniat ad inferiores homines per maiores: & ideo sicut superiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent plenioram notitiam de rebus divinis quam inferiores... ita etiam superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere plenioram notitiam de credendis, & magis explicite credere.* Expediit isthuc transcribere aliam eiusdem Angelici doctrinam, quæ ut memoriæ consignetur, menteque percipiatur, digna est. Minores ergo, seu rudis plebs, & laici communiter instrui solent, & debent per maiores, nempe parentes, Sacerdotes, Parochos, aliosque Prælatos. Quid ergo? Num maiorum auctoritate nixi rudes fideles fidei rebus adhærent? Ita res habere videtur. Quippe rustici, & laici respondere interrogantibus, cur ita credant, solent, se ita credere, quia talem fidem sibi a pastoribus suis prædicari audierunt. Regula ergo fidei cognitio humana, seu ab hominibus acquisita erit? Quod quam erroneum sit, nemo est qui ignoret. Respondet ergo Angelicus, minores populi fidem habere maioribus, & pastoribus, non prout homines sunt, sed quatenus ministerium Ecclesiæ exercent, quatenus verbi divini ministri sunt, seu organa, & instrumenta quibus Deus utitur ad suam manifestandam fidem quam ex auditu percipiendam disposuit. Fideles itaque Deo loquenti per suos ministros credunt, divinaque veritas, non humana cognitio, regula fidei est. *Minores* (inquit Angelicus ad 3.) *non habent fidem implicitam in fide maiorum, nisi quatenus maiores adhærent doctrinæ divinis, unde & Apostolus dicit I. ad Corint. IV. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Unde humana cognitio non fit regula fidei, sed veritas divina, a qua si aliqui maiorum deficiant, non præiudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra universalem Ecclesiæ fidem; qua non potest deficiere.* Porro ut difficultatem propositam paucis expediam: laici omnes ad eam articulorum fidem tenentur quam supra explicuimus. Ecclesiastici omnes ad maiorem, vi sui status, explicatioremque notitiam, & fidem tenentur quam laici: quia hos illi instruere, & illuminare debent. Porro Ecclesiasticorum alii maiore, alii minore cognitione, prout eorum ministeria, & dignitates ferunt, imbuti sint necessum est. Triplex distingui gradus Ecclesiasticorum solet. Primus est clericorum, & Sacer-

Sacerdotum qui curam non exercent animarum. Secundum est Sacerdotum pastorum, seu parochorum animarum curam habentium. Tertius est Episcoporum. Clerici, simpliciterque Sacerdotes præter fidem communem omnibus fidelibus, eorum omnium notitiam habeant oportet quæ ad proprium statum, & officium pertinent, ut dictum iam supra est. Ad aliam vero explicatiorem fidem, & notitiam, quæ maior sit illa ad quam ceteri fideles astricti sunt, non videntur obligati: quia non est unde colligatur aliquo peculiari præcepto istos devinctos esse ad ampliorem notitiam præter illam quæ utrique statui, & communi Christianorum, & peculiari Ecclesiasticorum, necessaria est.

XXIII. Parochi autem omnes curam exercentes animarum, & Confessarii ad ampliorem, explicatioremque notitiam præ aliis Sacerdotibus simplicibus, & clericis tenentur. Siquidem isti iure naturali, & divino doctrinæ cælestis pabulo nutrire gregem sibi commissum debent. Quomodo autem pascere oves suas valerent, nisi fidei arcana, & morum præcepta altius ipsi callerent? Neque qualis qualis maior notitia sufficit; sed ea necessaria est quæ ceteris, nempe ovibus, profit. Porro ut animarum curatores valeant divinæ doctrinæ mysteria, & mandata aliis explicare, debent ipsi penitus ea omnia cognoscere, comprehendere, & veluti possidere, quæ ad fidelium tum mentem illustrandam, tum mores formandos necessaria sunt. Debent taliter hæc scire, ut possint illa captivi rudis populi aptare. Eorum siquidem est frangere panem parvulis, & nutricem imitari, quæ panem in lac transmutat, ut cibus parvulis fiat congruus. Qui ergo animarum tremendissimum onus gerendum suscipit, non satis est illum sterilem quamdam, & infecundam habere cognitionem evangelicæ legis; sicuti minime satis esset mulieri sanguine abundare, nisi vi polleret illum in lac convertendi communicandique parvulo alendo. Sed necessum est ut pastores omnes fecunda scientia, virtuteque eamdem gregi suo communicandi ornati sint. Nec satis est ut gregem suum doceant; debent insuper illum a lupis rapacibus defendere, seu reddere rationem veritatum quas tradunt aliis, & occurrentibus difficultatibus obviam ire. Quare illi qui sensus suos prodere, sibi que divinitus tradita aliis communicare nesciunt, qui dono linguæ, expressionis, & communicationis carent, nisi necessitate cogantur, ab animarum cura abstinere debent.

XXIV. Prælati, Episcopi, Pontifices summi ad maiorem rerum fidei cognitionem tenentur quam Parochi, & inferiores Prælati. Et hoc penes omnes extra disputationem est: quoniam sic docent divinæ Scripturæ, Concilia, & Patres. D. Paulus ad Titum c. i. vers. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse . . . iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi vaniloqui, & seductores, maxime qui de circumsione sunt, quos oportet redargui.* Verum de hoc plura cum ex instituto rem versabimus.

XXV. Quæst. XIV. *Divinum ne, an ecclesiasticum sit præceptum quo urgentur fideles ad res fidei sciendas?* Resp. Distinctione opus est. Aliud est scire res fidei, aliud est eadem memoriæ consignare; seu aliud est præceptum sciendi, aliud præceptum res factas memoriter tenendi. Communis, & certa Theologorum sententia est præceptum divinum illud esse quo astringuntur omnes scire articulos fidei in Symbolo Apostolorum contentos, & præcepta quæ iuris divini sunt, ut illa Decalogi. Hoc aperte traditur in verbo scripto Marc. ult. *Predicite Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Quod porro Deus iubet, divinum præceptum est. Insuper præceptum istud supernaturale est tum ex parte principii, Dei scilicet imperantis, tum ex parte obiecti quod est Deus ipse. Naturale etiam vocari potest, quatenus iure naturæ astringimur fidem habere Deo revelanti, & imperanti. Dicitur autem ecclesiasticum quantum ad determinationem memoriæ mandandi articulos, & præcepta, quæ credenda, & exequenda sunt. Hinc est quod aliqui hoc præceptum supernaturale vocant quantum ad substantiam, ecclesiasticum quantum ad determinationem. Quod præceptum, ut diximus, longa consuetudine firmatum, est addiscendi memoriter Symbolum, precationem dominicam, decem Decalogi præcepta, sacramenta, & alia quæ ad honeste vivendum requiruntur, de quibus dictum est supra. Obtusiores tamen ingenio vexandi non sunt, et si eo ordine quo articuli, & mandata divina digesta sunt, nesciant; dummodo re ipsa sciant, non esse surandum, peierandum, adulterandum, occidendum, falsam testimonium dicendum &c. Enitendum tamen est ut, quoad fieri potest, memoria teneant ea quæ tum ad credendum, tum ad operandum necessaria

ria sunt. Hoc siquidem plura iubent Concilia. Moguntinum tempore Caroli Magni celebratum cap. xlv. hæc præcipit. *Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem dominicam discere semper admonent Sacerdotes populum christianum; volumusque ut disciplinam condignam habeant qui hæc discere negligunt.* Item Concilium Foroiulienſe sub eodem Carolo Magno, & Pipino celebratum iubet: *Symbolum, & orationem dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis sexus, omnis conditio, masculi, & femine, iuvenes, senes, liberi, pueri, coniugata, innuptaque puella: quia sine hac benedictione nullus poterit in celorum regno percipere portionem.* Denique de consecratione dist. iv. cap. *Vos ante omnia, ex Augustino hæc referuntur. Vos ante omnia, tam mulieres, quam viros, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidei viros exiisse apud Deum pro illis quos vobis suscipere de sacro fonte; ideoque semper eos admonete ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, caritatem teneant: ante omnia Symbolum, & orationem dominicam & vos ipsi tenete, & illis quos de sacro fonte suscepistis, ostendite.* Plura alia Conciliorum decreta adferre in medium possem, quæ brevitate gratia prætereo. Illud in memoriam revoco, hæc omnia intelligenda esse iuxta explicationem datam, videlicet non esse culpæ saltem mortalis damnandos fideles qui memoriter ex ordine quo dispositi articuli sunt, recitare nesciant; quando re ipsa rogati respondere sciant ad singulos articulos. Curant tamen Parochi, Confessarii, omnesque illi quorum interest, ut fideles altius memoriæ mandent tum articulos, tum præcepta, & sacramenta, ut laudata Concilia iubent, & communis obtinet consuetudo: quoniam culpa non vacat cognitio tantum confusa eorumdem. Vix est artifex qui suæ artis rudimenta ignoret, quantumvis hebes: & quisque non levi dedecori sibi duceret eadem ignorare. Quam ergo excusationem obicere valet Christianus, si memoria non teneat suæ professionis præceptiones potissimas?

§ III.

Nonnulla Regule quas in praxi præ oculis habere Confessarii debent in hac materia.

XXVI. **R**egula prima. Duo extrema declinare Confessarius debet: alterum negligentia in deprehendendo poenitentis notitia de rebus fidei; alterum nimia facili-

tatis eundem damnandi gravioris culpæ ob quamcumque minus expeditam, rudemque notitiam articulorum eiusdem fidei.

XXVII. *Regula secunda.* Poenitentes qui laborant mysteriorum fidei ignorantia, absolvere Confessarius nequit. Distinguenda tamen ignorantia est illorum mysteriorum quorum fides est necessaria necessitate mediæ, ab ignorantia mysteriorum quorum fides est necessaria necessitate præcepti. Qui priorum mysteriorum ignorantia laborat, numquam absolvi potest, si ignorantia invincibilis sit, si vincibilis, ut omnes fatentur. Quin talium mysteriorum ignorantia invincibilis saltem inter fideles non datur, ut expresse docet D. Thomas super I. ad Cor. cap. ii. lect. 4. *Non possunt autem a tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipue quantum ad ea de quibus Ecclesia solemnizat, & quæ communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, Nativitatis Christi, & alia huiusmodi.* Nulla ergo, post Evangelii promulgationem, Trinitatis, & incarnationis ignorantia probabilis, seu invincibilis datur, saltem longo tempore. Si vero ignorantia sit eorum articulorum quorum fides necessitate præcepti tantum necessaria est, diversimode Auctores loquuntur. Quæ nobis magis consentanea videntur, indicabimus. Si ignorantia hæc invincibilis sit, quam contingere, licet non adeo frequenter, posse concedimus, instruendus poenitens est, & absolvi potest, si prudens Confessarius expedire iudicaverit, ceteris libratibus conditionibus. Neque nobis probatur opinio Salmanticensium tract. xxi. cap. ii. punc. 5. num. 6. & aliorum, qui docent absolvendum poenitentem, si proponat addiscere præfata mysteria quæ vi præcepti scire debet, quando ignorantia invincibilis est. Quoniam dum poenitus opportunitatem habet occasionem discendi fidei articulos, si instrui omittit, ignorantia vincibilis evadit. Primum ergo omnium instructio circa fidem præcedat, & absolutio subsequatur. Non negaverim tamen aliquando contingere posse ob varias circumstantias quod Confessarius hunc poenitentem, qui caller ea quæ necessaria sunt necessitate mediæ, absolvere valeat, onere illi imposito addiscendi ea quæ necessaria sunt necessitate præcepti. At quænam sunt hæc circumstantiæ in quibus absolutio impertienda est? Si poenitens singularem præferat dolorem: si optimis moribus sit instructus, bonaque præditus indole: si instet præceptum confessionis annuæ, & facile absolutio differri nequeat, eo quod poenitens

tens aut proficisci aliquo debeat, aut gravi impedimento irretitus ad Confessarium redire non possit: & id genus alia, quæ arbitrio prudentis ministri remittimus. Si ignorantia vincibilis sit, & non fuerit poenitens a Confessario admonitus, contendunt laudati Auctores, absolvi eundem posse, si doleat præteritæ negligentiae, proponatque articulos discere; si vero, bis terve admonitus neglexerit instructionem, tunc differendam absolutionem asserunt. Ego vero absolute prius instruendum poenitentem aio, antequam absolvatur; nisi in aliqua gravi, & urgente necessitate oppositum iudicaverit expedire prudens Confessarius. Hinc falsam cenfeo *Regulam* III. P. Roncaglia tract. VI. cap. II. in qua docet, non esse repetendas confessiones illius qui ignorat mysteria Trinitatis, & incarnationis, quod probabile sit notitiam illorum articulorum non esse necessariam necessitate mediæ: quippe cum de valore agatur sacramentorum, opinio probabilis in conspectu probabilioris haud est sufficiens regula in iis administrandis. Reficiendæ ergo sunt confessiones eorum qui ignoraverunt ea quæ sunt credenda necessitate mediæ, quæcumque sit ignorantia quam poenitens alleget. Repetendæ quoque sunt, quando ignorantia articulorum, quorum notitia tantum vi præcepti necessaria est, fuit vincibilis, & culpabilis: quia tali culpabili ignorantia affectus nec valide, nec licite confessus, vel absolutus fuit. Si vero invincibilis istorum articulorum ignorantia fuit, confessiones non sunt iterandæ, sed instructio præcedere absolutionem debet; nisi aliqua peculiaris necessitas oppositum suadeat: quo etiam in casu præsumendi prudenter fundamentum habere minister debet, quod poenitens diligens in addiscendis articulis erit: sine hac enim prudenti præsumptione illum absolvi nequit.

XXVIII. *Regula tertia*. Si poenitens in mortis extremo sit constitutus, laboretque mysteriorum ignorantia, illum edocere minister debet primum mysteria potissima, nempe Trinitatis, incarnationis, & passionis Iesu Christi; deinde quæ futuram vitam spectant, exponenda illi sunt. Infinitam misericordiam, divinamque voluntatem omnes salvandi, felicitatem quæ bonis, & iustis, supplicia tremenda quæ malis parata sunt, breviori, aut fusiori sermone, prout conditio tulerit infirmi, representare debet. Quæ mysteriorum representatio eo spectet ut dolorem summum præteritorum criminum, firmiterque propositum excitet nunquam gravi-

ter in posterum peccandi. Quare ea fortius minister inculcabit, fusuque exponet quæ ad præfatum dolorem, perfectamque, quoad fieri poterit, contritionem ciendam efficaciora cognoverit. Si ignorantia fuerit tantum eorum quorum notitia vi præcepti habenda est, tunc potius sollicitus Sacerdos sit ut poenitens doleat & conteratur de culpabili negligentia præterita, quam ut eundem scientia imbuat: plus siquidem dolor, & contritio tunc illi prodest quam scientia. Omnia tamen temporibus, & circumstantiis accommodanda sunt. Illud maxime Sacerdos curet, ut poenitens actus fidei, spei, & caritatis eliciat, quod ut facilius assequatur, motiva eisdem proponat quæ ad eiusmodi actus eliciendos apta sunt. Facillime poenitens actus fidei edet, si hac ratione illum adiuvabit: puta: *Credis unum Deum tresque divinas, distinctasque personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? Credo.* *Credis Filium Dei humanam carnem virtute Spiritus sancti sumptisse natum ex Maria Virgine, passum, crucifixum, mortuum, sepultumque fuisse, ut animam tuam, totumque genus humanum redimeret? Credo.* *Credis eundem Iesum Christum resurrexisse a mortuis, ascendisse in caelum, ad dexteram Dei Patris sedere, iudicem venturum, ut iudicet vivos mortuosque? Credo.* *Credis Ecclesiam Apostolicam Romanam, extra quam salus non est, & in qua sola datur potestas peccata remittendi, & quicquid ipsa credendum proponit? Credo.* In hunc ergo Deum tantæ bonitatis, qui ob tuam salutem homo factus est, mortemque subiit, spera, & eiusdem meritorum infinita virtute confide te & remissionem peccatorum omnium, & æternam vitam obtenturum fore. Immensam istius Dei bonitatem ardentem ama, amorem illum immensum recogitans quo te ille persecutus est. Immensam illam clementiam, & patientiam infinitam meditare qua te rebellem, perversumque sustinuit. Hæc, & similia debet Sacerdos decumbenti peccatori magna mansuetudine, & benignitate referre, atque vivis pro virili coloribus depingere.

XXIX. *Regula quarta*. Necessitas interrogandi poenitentes, ex eiusdem poenitentis conditione, & statu colligenda est. Non pauci Auctores admovent, rusticos, plebeiosque interrogandos potissimum esse de christiana doctrina, secus nobiles, optime educatos, literisque operam navantes. Sed regula isthæc fallax est. Quin non raro nobiles ab ipsa pueritia vitiorum luce ita insciuntur, ut densissi-

ma

ma caligine obducti cæcutiant omnino in divinarum rerum notitia: & quamquam mysteria fidei quæ in Dei cognitione sistunt, aliquo modo sciant; plerumque tamen prima christianæ doctrinæ rudimenta, quæ quid agendum, fugiendumque sit, præscribunt, omnino ignorant. Necessitatem ergo interrogandi secure minister arguet ex sermone quo poenitens sua exponit crimina, sui que status & conscientiae vulnera. Si enim expedite, clare, & distincte morbum, infirmitatemque animæ suæ, si peccata quæ verbis, operibus, cogitatione, & omissione committi solent, enarrare deprehenditur, si dolorem, & detestationem eorum præfert: argumento hæc omnia erunt eundem christiana doctrina imbutum esse. Igitur ex conditionibus quibus poenitens peccatorum confessionem exequitur, facile Confessarius colligere potest necessitatem eundem interrogandi nec ne de christianæ fidei rudimentis. Plures Confessarios culpabilis negligentiae reos esse, eo quod similes negligentia perquisitiones, experientia compertum est. Frequentius enim in hoc vitiosi silentii declinant extremum, quam in aliud inopportuna interrogationis. Illud etiam admonere iuvat, prudentia, & dexteritate opus esse in hac deprehendenda poenitentium cognitione, vel ignorantia. Nam sæpe interrogationi factæ sub tali verborum formula respondere sciunt; secus sub alia expressione. Interrogati, an Verbum sit incarnatum, forte respondere nesciunt. Si vero quærat, an secunda Persona carnem sumptisset, affirmabunt. Idemque de aliis articulis est. Quare interrogationes variae poenitentium capacitati accommodandæ sunt. Idque semper præ oculis habeat Confessarius, qua scilicet dispositione affectus poenitens sit erga divinam bonitatem, quo eiusdem amore flagret, quoque desiderio ardeat suæ æternæ salutis. Si enim percupidum agnoverit æternæ gloriæ, & ad implenda mandata divina paratum, quamquam fortasse minus versatum in legis cognitione; absolvere poterit. Satis enim est quod similes homines rudes modo rustico, simpliciter quantum ad substantiam res fidei calleant. Hoc nobis exhibet documentum D. Gregorius narrans stupenda miracula Sanctuli Sacerdotis admodum simplicis, & ignari Lib. III. dialog. cap. xxxvii. *Scimus certe quia venerabilis vir Sanctulus provincie Nurcia Presbyter ipsa quoque elementa litterarum bene non noverat, legis præcepta nesciebat; sed quia plenitudo legis est caritas, legem totam in Dei, ac proximi dilectione servavit; & quod fors in cognitione non no-*

rat, ei intus vivebat in amore. Hæc tamen eo in sensu accipias nolim, quasi Sanctulus mirabilium patratore præcipua religionis Christianæ capita ignoraverit; sed id solum colligito, quod litterarum, & divinæ legis, seu sacrarum Scripturarum minus quam Sacerdotem decebat, peritus, tanta nihilominus ardebat caritate, ut prodigia inaudita patra- ret, ut legenti laudatum D. Gregorii caput constare potest.

CAPUT XI.

De præcepto fidei internæ. Quam sufficiens fidei propositio dicatur, ut præceptum obliget. Explicantur requisita necessaria ad sufficientem propositionem.

I. **P**RÆTER præceptum sciendi res fidei, aliud datur præceptum eliciendi actus fidei: quod præceptum duplex est, affirmans, & negans, seu prohibens dissentiri mysteriis fidei, aut de iisdem dubitare. De hoc posteriore mandato infra redibit sermo, non quod dissidium sit dari tale præceptum (omnes enim illud admittunt) sed quod nonnullæ super eodem quæstionculæ moveri solent. Nunc præceptum affirmativum quod actus fidei iubet eliciendos, discutimus. Præceptum istud ex ipsa Scriptura colligitur. *Mar. xvi. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Fuerunt utique Auctores aliqui qui tollere de medio tentarunt mandatum istud; sed eorum innovandi pruriginem repressere Pontifices summi. Alexander VII. hanc damnavit propositionem: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium.* Innocentius XI. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

II. Id quod in controversiam vertitur, est, quodnam sit tempus illud in quo peculiare fidei præceptum obliget, seu in quo fideles teneantur vi istius præcepti actus fidei elicere. Certum enim est quod continenter non obliget ad eiusmodi actus, quemadmodum nullum præceptum affirmativum iubet continuam actuum repetitionem. Difficultas ergo est in designando præfinito tempore suæ obligationis.

III. Casuista quidam docuerunt, satis esse semel in vita elicere actum fidei: quam propositionem damnavit Innocentius XI. quæ est 17. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Quam merito damnata hæc propositio sit, ex eo colligi potest quod, divina Scriptura teste, iustus ex fide vivit; unico vero actu

vita consistere nequit. Quæ enim foret eiusmodi vita, in qua homo toto tempore mentem suam vanis, mundanisque palceret cogitationibus? Quemadmodum ergo, ut vita corporalis consistat, frequenti nutrimento indiget, sic, proportionè servata, ad vitam christianam frequentes fidei actus requiruntur.

IV. Sed antequam definita tempora indicem in quibus hoc urget præceptum, non abs re erit præmittere quid ad credendum prærequiratur. Obligationem ergo credendi præcedere necessario debet sufficiens articulorum propositio. Quippe prudens sit oportet fidei assensus; prudens autem esse nequit, nisi articuli credendi sufficienter propositi sint. Ut autem gravioris momenti veritas clarius pateat, sequentes institutam quæstiunculas.

V. Quæst. I. *Quenam sint requisita ad prudentem assensum qui exhibetur propter humanam auctoritatem?* Resp. Quinque exiguntur conditiones. Prima ut homo in cuius auctoritatem assensum præberemus, verax sit, qui nec facile decipiatur, nec alios decipiat. Quapropter mendacibus, aut credulis qui facile decipi ab aliis solent, fidem adhibere non solemus. Secunda est certitudo sufficiens qua sciamus, ab hoc homine veraci, & sincero assertum fuisse id quod credendum proponitur. Nec enim satis est quod sciamus prolatum aliquid esse ab homine veraci, tamquam ab aliis auditum; sed requiritur nos firmam habere, talem hominem fide dignum auctorem esse & assertorem rei a nobis credendam. Tertia quod solida sint momenta quæ nobis ostendunt hominem veracem esse, gravem, sincerum, & a facilitate deceptionis, quantum humana conditio fert, alienum. Solida vero non erunt, & gravia, si contraria occurrant argumenta non valde inferiora. Quarta est bona credentis dispositio; quæ nec nimis præcipitem assensum præbere sinat, nec nimis pervicaciter denegare permittat. Facile quippe homines in alterutrum extremorum, aut facilioris credulitatis, aut nimis contumaciæ in adhibenda aliis fide, offendent. Quinta ut sola auctoritas afferentis, & solæ rationes quæ credibilitatem rei propositæ ostendunt, sint causa cur credamus. Quæ omnia paucis habeto. Cave ne insit aliqua humana affectio, quæ intellectum inclinet ad credendum aut illis hominibus quos amore prosequeris, aut eas res quæ tibi arrident; e contrario mentem removeat ab illis quos averfariis: facile namque credimus ea quæ nobis placent, facileque assentimur hominibus amicitia nobis coniunctis. Tria ergo potissimum requi-

runtur ad prudentem assensum, veracitas revelantis, rationes quæ rem credibilem efficiant, & credentis integritas, quæ interiorum propensionem humanis affectionibus partam excludat.

VI. Quæst. II. *Omnia requisita ad prudentem fidei assensum reperiuntur ne in assensu fidei catholica? Resp.* Certum est in gradu summo, & excellenti hæc omnia adesse in fidei catholicæ assensu: quippe veracitas Dei afferentis, seu revelantis mysteria sua, infinita est; falli & fallere nescia. Firmus ergo Deo afferenti assensus adhibendus est; eoque prudentior fides erit, quo firmior, & constantior. Altera conditio, qua scilicet agnoscimus, Deum reipsa articulos quos credimus revelasse, certissima pariter est: quoniam Ecclesia, columna & firmamentum veritatis, id nobis testatur. Tertia conditio ex primis duabus profuit: argumenta siquidem quæ Deum nobis veracem ostendunt, Ecclesiamque, divinæ revelationis interpretem, nulli errori obnoxiam evincunt, ita valida sunt, & luculenta, ut nihil solidi adversus eadem reponi queat. Quartum requisitum, quod credentis integritatem, & animi æquabilitatem spectat, in fidei divinæ assensu summopere elucet. Quamquam enim in naturali amore excessus, & perturbatio frequens sit; in amore tamen cælesti erga Deum, & Ecclesiam nihil contra rationem, & ordinem contingere potest: quin quo ferventior affectio est, eo est & rationi, & ordini conformior. Sancta sunt præiudicia illa quæ nos faciles docilesque constituunt in iis quæ ad Deum, Ecclesiamque attinent. Non ergo præceps, non cæca est subiectio mentis nostræ, quæ ex amore divino dimanat, quæque stabiles, firmosque efficit in observantia evangelicæ legis. Ultima denique conditio mirum in modum elucet in catholicæ fidei assensu, qui scilicet propter solam auctoritatem revelantis Dei, & Ecclesiæ proponentis præbetur. Veritas divina revelans est sola ratio formalis fidei nostræ; auctoritas vero Ecclesiæ est conditio, seu requisitum necessarium, ut certiores nos faciat, Deum reipsa quæ credimus, revelasse: organo namque suæ Ecclesiæ suam nobis Deus pandit voluntatem, ut alias fusius dictum est.

VII. Quæst. III. *Quandonam sufficienter proposita pueris dicenda sit catholica fides?* R. Ut quis actum fidei divinæ eliciat, necessarium est ut sufficienter illi proposita sit, sicut toties dictum est. Quia qui cito credit, levis est corde: Eccli. XIX. Tunc autem sufficienter proposita dicitur, quando per ministros

nostros Ecclesiæ, seu Parochos, seu parentes fide dignos explicatur. Quare isti non raro peccant in docendi munere minus congruo. Siquidem non satis est adultis fidei articulos explicare; sed primum omnium docendi sunt, articulos credendos a Deo esse revelatos; quia miraculorum signis, & Ecclesiæ, seu omnium fidelium testimonio id constat. Requiritur enim quod evidenter credibilia appareant credenti mysteria quæ credere debet, ne levi corde credere dicatur. Non crederet (inquit Angelicus 2. 2. quæst. 1. art. 4.) nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.

VIII. Quæst. IV. *Quandonam infidelibus sufficienter proposita dicenda sit catholica fides?* Resp. Quando rationes, miracula, aliaque credibilitatis signa infideles audiunt, videntve, sufficienter propositam illis fidem dicendum est. Illud advertendum, minime requiri ut pondus rationum, & credibilitatis momenta tanta vi polleant, ut firmum pariant assensum. Hic præbetur, non propter rationum vim, sed propter auctoritatis divinæ pondus. Quare damnata est propositio isthæc ab Innocentio XI. *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Quæ propositio quam sit falsa, nemo non videt. Fides quippe nostra innititur non rationum momenti, sed divinæ veritati revelanti. Quæ revelatio, obscura cum sit, intellectum inflectere nequit, nisi pia voluntatis affectio invidentiam suppleat obiecti, captivæque mentem in obsequium fidei. Falsum ergo est voluntatem non posse efficere ut assensus fidei non sit magis firmus in seipso quam mereatur pondus rationum. Utique voluntas non præbet assensui firmitatem, quia hæc habetur a divino testimonio revelante; sed voluntas sua pia affectione per divinam gratiam excitata efficit ut intellectus assentiatur Deo revelanti. Hinc facit ut assensus fidei firmior quam pondus rationum mereatur, evadat.

IX. Igitur, ut infideles, aut hæretici fidem amplecti catholicam teneantur, sat est ut illis credibilitatis signa exponantur una cum articulis credendis. Insuper sub tali aspectu hæc momenta credibilitatis referri debent, ut religio catholica præ quacumque alia secta credibilior apparere debeat. Nec enim sufficit qualiscumque propositio: alioquin licite possent ethnici hæreticis suam sectam proponentibus fidem adhibere. Fateor

tamen difficillimum esse declarare, atque definire, quandonam dici debeat ita sufficienter esse infidelibus, & hæreticis propositam fidem, ut cogantur credere, peccentque infidelitatis peccato, si fidem propositam reiiciant. Alii enim infidelium sunt qui nihil umquam de catholica fide audierunt; & hi in hoc statu credere nequeunt: fides quippe ex auditu: quomodo autem sine prædicante audient? Alii sunt qui audierunt quidem fidem quoquomodo prædicari catholicam; sed dubii, & incerti fluctuant, utrum illam amplecti debeant. Quod isti teneantur omnem adhibere diligentiam, & sollicitudinem in inquisitione veræ religionis, convenit penes omnes. Sed id in controversiam vocatur, teneantur ne propriam repudiare sectam; cum æque illis probabilis ac religio catholica quæ proponitur, appareat. Quid sentiant novi Theologi non pauci, primum omnium referam.

X. Quæst. V. *Tenetur ne infidelis suam sectam, quam probabilem iudicat, abiurare, religionemque catholicam, quam probabiliorē censet, amplecti?* Resp. Negat extra articulum mortis P. Sanchez his verbis Lib. II. in Decalog. cap. 1. n. 6. *Dum infidelis sibi persuasum habet suam sectam esse probabilem, quamvis contraria sit probabilior, teneatur utique in articulo mortis constitutus veram fidem, quam probabiliorē iudicat, amplecti, utpote qui in eo articulo est constitutus in quodæ extrema salute agitur; ac proinde partem quam tutiorem, & probabiliorē iudicat, amplecti tenetur: at extra eum articulum non tenetur, quod adhuc prudenter existimet se posse in sua secta perseverare, tempusque rei melius examinanda supervit. Adde mysteria fidei tam sublimia esse, ac christianos mores adeo carnis, & sanguinis legibus repugnare, ut non quævis maior probabilitas sufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem.* P. Busembau Lib. II. cap. 11. n. 2. docet hæreticum, quamdiu iudicat suam sectam esse credibilem æque ac catholicam, non teneri ad fidem catholicam suscipiendam: quam opinionem temperat P. La-Croix dicens, non teneri hunc hæreticum determinate credere; sed tamen inquirere ulterius debere, & investigare, quæ sit vera religio. Patricius Sporer adoptare videtur laudatam P. Sanchez opinionem tract. 11. in 1. præcept. Decal. cap. 11. sect. 111. §. 1. n. 3. confuse tamen loquitur, mendumque ibi aliquod irrepsisse puto. His itaque opinionibus reiectis, P. Dominicus Viva in expositio-

stione *proposit.* IV. *Innocent.* XI. postquam retulit P. Sanchez inclinantem in hanc proscriptam propositionem, veritus haud est asserere, D. quoque Thomam tali favere opinioni, quia 2. 2. q. 1. art. 4. ait neminem credere, nisi vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi. Hæc D. Thomæ doctrina ab omnibus Theologis suscipitur. Signa enim credibilitatis præcedere debere, ut prudens sit fides nostra, omnes Catholicos docent. Ubi hic, aut alibi sermonem habet Angelicus de minori probabili noticia in conspectu probabilioris? Per summam ergo iniuriam P. Viva traduxit tamquam fautorem proscriptæ propositionis D. Thomam, ut tam insignem socium suo adiungeret Sanchez, qui minus amitteret auctoritatis, si secum errantem D. Thomam Aquinatem haberet.

XI. Resp. Statim ac hæreticus indicat, religionem catholicam esse sua secta probabilior, tenetur illam amplecti, sua repudiata. Id quippe ratio naturalis suadet. Si enim in omnibus gravioris momenti negotiis ea seligimus quæ verisimiliora videntur, quanto magis id præstare astringimur in amplectenda ea fide quæ necessaria est ad æternam assequendam salutem? Quare opinio P. Sanchez nimium laxa (pace perdocti viri dixerim) est. Quin non modo hæreticus debet amplecti religionem catholicam, dum probabilior eam deprehendit; verum etiam dum æque probabilem eandem existimat, inquirere de illius veritate debet: quod si demisse, & sincero desiderio eam inveniendi peregerit, Deus sua infinita clementia illi præsto aderit, lumenque necessarium porriget. Quare non modo laxa, sed summi periculi plena (ut mihi quidem videtur) dicenda est doctrina recensita P. Sanchez: quippe Pyrrhonismum in religionis negotium inducit, dum ait quempiam posse prudenter in sua secta perseverare, etiam dum religio vera ei probabilior, nedum probabilis, apparet. Percipis ne fructus Probabilismi? Ratio quam subicit Sanchez, non videtur minori periculo obnoxia. Quod ergo fidei arcana sublimia sint, quod carni, & sanguini Ethica christiana bellum indicat; propterea ne maior probabilitas satis minime est ad inducendam credendi obligationem? Quid ergo requiritur? An evidentia? An probabilitas summa, & ultima? Utique religio catholica summam & evidentem credibilitatem, seu probabilitatem præfert. Sed hæc non omnibus eodem in gradu apparet. Hæc siquidem maior minorve claritas tum ex acutiore mente

credentis, tum ex facundiore sermone illius qui præfata arcana explicat, non raro dependet. Denique hæc suprema probabilitas se se explicat religione suscepta, quæ utpote veritatis fax, in dies mentem credentis illuminat. P. Dominicus Banez 2. 2. quæst. x. art. 1. dub. 3. tametsi sui temporis anticipatis Probabilissimi opinionibus occupatus concedat, licitum esse sequi opinionem minus probabilem in conspectu probabilioris; negat tamen id locum habere in fidei negotio. Duplex opinionum genus ille distinguit: alterum quod versatur circa actionem aliquam exercendam, puta sit ne aliquis contractus licitus: alterum quod spectat res ipsas, ex. g. sit ne hæc domus propria, vel aliena. Minus probabilem prioris, secus posterioris generis, opinionem, relicta probabiliori, licitum esse sequi, docet. In posteriori genere collocat fidei controversias, in quibus probabilior amplectendam decernit. Addendum tamen nec in prioris generis quæstionibus illum absolute defendere præferendam esse minus probabilem probabiliori: quia non apparet illum distinguere id quod tutius, ab eo quod probabilius est; nec rem ex instituto versat. Ut ut tamen de hoc sit in præsentia, suo loco pro dignitate dicam.

XII. Ut autem ad opinionem P. Sanchez revertamur, illa ipsa videtur ac ea quæ damnata fuit ab Innocentio XI. *Ab infidelitate excusabitur infidelis ductus opinione minus probabili.* Nec satis consequenter loquitur P. Sanchez, dum asserit, probabilior religionem amplectendam esse in mortis articulo, secus in vita; ac si aliud in vita, aliud in morte Evangelium obtineret. Si enim probabilior opinio sequenda est in morte, quidni & in vita? Quare optime concludunt Salmanticenses tract. xi. c. 11. punct. 3. n. 27. *In omni materia fidei, & morum probabiliora sequenda.* Quia tamen sententia nostra, quæ communis est, non levibus difficultatibus obnoxia est, iuvat easdem levi manu dispellere.

XIII. Obicitur 1. Infideles non teneri ad nostram fidem suscipiendam nisi illis sufficienter sit proposita. Sufficienter autem proposita non est, cum tantum ut probabilis apparet. 2. Nemo religionem quam cum lacte potavit, mutare astringitur, nisi prius certus efficiatur de illius falsitate. De falsitate autem non constat, quamdiu sua religio probabilis apparet. Probabilis autem est, licet opposita quæ suadetur, probabilior videatur, Potissimum quod eiusmodi mutatio

magnam præfert inconstantiam adeo honesto viro infestam. 3. Nostram sententiam consequitur, Catholicum quoque mutare debere religionem, si hæreticus talia proponeret argumenta quæ probabilior ostenderent eorum sectam.

XIV. Ad 1. respondetur, sufficienter propositam esse religionem nostram, quando ut probabilior repræsentatur. Licet enim probabilis propositio satis non sit ad eliciendum fidei assensum; satis tamen est ut teneatur infidelis, vel hæreticus astringatur veram catholicam religionem amplecti, atque ad eliciendos fidei actus se disponere. Quamvis ergo propositio probabilis sub initium facta non sufficiat ad actum fidei supernaturalem, cui præire debet certa, & firma persuasio divine revelationis, seu credibilitatis articulorum qui proponuntur; nihilominus sufficit ad hoc ut teneatur investigare, doctos consulere, gratiam implorare qua dignus reddatur recipiendi fidei donum. Quæ enim a Deo infunduntur, requirunt utique nostram præviam dispositionem, non tamen actibus nostris producuntur. Licet ergo primi actus quos infidelis, aut hæreticus elicit, non sint entitative supernaturales, sed tantum obiective, quatenus spectant Deum auctorem supernaturalem; si tamen in similibus actuum repetitione sese exercuerit, & pro viribus supplices preces Deo porrexerit, fidei donum consequetur. Ad 2. dicendum, in hoc summo negotio quemque eo quo potest meliori modo suæ salutis consulere debere. Licet omnino certo adhuc vera religio illi non appareat, satis est ut illam agnoscat ceu probabilior. Quoniam quando periculum omni ex parte vitari non potest, prudentia dicat ut illud vitetur quod maius est. Maius autem periculum imminet, ubi maior est probabilitas errandi. Quid si æque probabilis appareret falsa secta, ac vera catholica religio? Tunc ferventibus precibus, atque summa animi demissione divinum lumen implorandum est. Qui enim sincero corde ad Deum confugit eo proposito ut veritatem reperiat, qui propria detestatur crimina, suamque purgare conscientiam studet, nihilque aliud nisi Deo vero inservire, suamque æternam salutem in tuto ponere, Deum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, propitium inveniet, donumque fidei assequetur. Neque enim in necessariis deest; quin dives est, & superabundans. Ad 3. facilis est responsio. Vel enim Catholicus doctus est, aut indoctus. Si igna-

rus, a disputatione abstinere debet: si autem vi argumentorum invitatus prematur, Deo se commendare debet, tempusque petere quo doctiores Catholicos consulere valeat. Si Catholicus doctus sit, non est periculo locus. Licet enim plurima mysteria captum humanæ mentis summopere superent; attamen nullum afferi argumentum potest quo incredibilia suadeantur. Ex alia vero parte tot concurrunt credibilitatis momenta, totque alii articuli ita splendidi apparent, ut mens optime imbuta, atque solidis principiis adiuta, nequeat a fide catholica dimoveri; sed potius firmior, atque constantior ex disputationibus assurgit: dummodo in certamen non prodeat captandæ popularis auræ, aut levis curiositatis causa, sed necessitate cogente, zeloque defendendæ religionis impellente.

XV. Quæst. VI. *Tenentur ne pueri inter Catholicos enutriti actum interiore fidei elicere, cum primum illis rationis lumen affulget?* Resp. Dicitur est supra, quando sufficienter proposita dicenda fides sit pueris inter Catholicos educatis. Explicandum nunc est, num sub ipsius rationis diluculo debeant propositæ sibi fidei actus interiores elicere vi præcepti ad fidem interiore obligantis. Duo certa penes Theologos sunt. Primum, quod rationis intervallum individuum non sit, sed pro tempore congruo, & opportuno accipiendum esse: citius namque uni quam alteri emicat, quemadmodum alter celerius, alter tardius momenta credibilitatis percipit, prout quisque maiori, aut minori ingenii vi pollet. Alterum, quod pueri statim ac rationis usum assecuti sunt, ad implendum fidei præceptum, sicuti & caritatis, teneantur. Hæc duo communia penes Theologos sunt. Quamvis enim aliqui Probabilistæ sese opposuerint doctrinæ D. Thomæ, & Thomistarum in hac quæstione; post damnatas tamen propositiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. communiter subscribunt Theologi nostræ sententiæ de necessitate qua ligantur pueri, cum primum rationis usum attingunt, eliciendi actum fidei, & amoris Dei, ut testatur vel ipse P. Dominicus Viva in Comment. in propof. 1. Alexand. VII. num. 7. *Inconcuſſa videtur sententia Thomistarum ex Angelico Doctore, quod quilibet teneatur ad actum amoris Dei in primo instanti usum rationis, dummodo homo ad hanc obligationem advertat.* Illud tamen observandum, ut & communiter Theologi admonent, non esse culpabilis omissionis damnandos pueros, quod hoc præceptum non illico im-

pleverint. Nec enim semper illis proponuntur mysteria credenda statim ac usum rationis assecuti sunt. Ideo in praxi non tam investigandum est, num in pueritia hoc servaverint præceptum, quam enitendum ut in posterum in fidei actibus repetendis sese exercent: imbuendique sunt, ut id præstare valeant.

XVI. Quæst. VII. *Quandonam adultos hoc præceptum per se obliget ad eliciendos fidei actus?* Resp. Duplicem istius præcepti obligationem distinguunt Theologi. Aliam vocant *per se*, & *directam*: alteram *per accidens*, & *indirectam*. Prima oritur immediate ex ipso præcepto obligante ad actus fidei eliciendos absque respectu ad quancumque aliam legem, aut mandatum. Altera oritur ex alio præcepto, cuius observantia prærequirit fidei actum: puta, si elicere debes actum caritatis, necesse est ut fidem præmittas: neque enim diligere Deum valet, nisi eundem credas. Nunc ergo quærimus, quando præceptum fidei *per se* obliget adultos. Et primo communis est, ut iam diximus, Theologorum sententia, pueros comparato rationis lumine astringi ad istius præcepti observantiam: tenentur enim tunc se se in Deum convertere, illumque fide, spe, & caritate colere. De alio tempore quo adulti teneantur se se exercere in fidei actibus, discrepant Auctores, qui tamen nunc omnes concedunt, hoc præceptum *per se* obligare: quoniam damnata est contraria propositio ab Innocentio XI. *Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se*. Ut vero majori qua fieri potest claritate res tota exponatur, distinctas quæstiunculas instituemus.

XVII. Quæst. VIII. *Utrum semel in anno per se teneantur exercere aliquem actum fidei?* Resp. Nihil certi definire possumus, nisi prius in memoriam revocemus propositiones hoc de argumento a summis Pontificibus damnatas. Tres sunt propositiones proscriptæ sunt quæ tempus spectant quo fidei actus edendi sunt. Prima proscripta fuit ab Alexandro VII. *Homo nullo unquam vite sue tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Altera propositio proscripta fuit ab Innocentio XI. *Satis est actum fidei semel in vita elicere*. Tertia ab eodem Pontifice proscripta est circa Trinitatis, & incarnationis mysteria, de quibus statuit: *Sufficit illa mysteria semel credidisse*. Ex propositionibus proscriptis tria eliciuntur. Pri-

mo, quod præceptum fidei *per se* obliget fideles ad eliciendos actus eiusdem virtutis. Alterum, quod non sufficiat actum fidei semel in vita elicere. Postremum, quod qui ultra quinquennium eiusmodi actum differt, hoc præceptum transgreditur. Hæc omnia certissima sunt, quippe oppositum proscriptum est ab Ecclesia. Quare minus caute, ut modeste loquar, scribit P. Patritius Sporer tract. II. in Dec. cap. II. sect. 3. §. 3. *Eo assensu semel habito, præceptum hoc affirmativum fidei per se directe amplius non obligat Quia (inquit) ex una parte nullum potest assignari tempus certum, & determinatum neque Christi, neque Ecclesie lege, quo per se directe obliget præceptum fidei quoad actum internum . . . ideo Christus Dominus prudenter creditur non voluisse imponere præceptum per se directum fidei*. Hæc assertio directe opponitur propositioni damnatæ: *Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se*. Opinionem suam P. Sporer accepit a P. Tamburino qui *Lib. II. in Dec. cap. I. §. I. n. 9.* hæc scribit: *Puto per se, & directe numquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicite, nec explicite ex vi necessitatis præcepti fidei*. P. Tamburinus scripsit ante propositiones damnatas, ideo excusandus est; caute tamen legendi illius libri. Idcirco enim similes propositiones indico, non ut perdocto iuniori, quem summopere colo, dicam quampiam impingam, sed ut lectores errandi periculo subducam. In Theologia P. Sporer insertæ reperiuntur theses proscriptæ; sed assutæ suis locis videntur post operis confessionem. Ur ut tamen sit, certum est opinionem quam Tamburini, quem laudat, auctoritate nixus scribit, in recensita propositione proscripta contineri. Nec verum habet quod ex P. Lugo subdit idem Sporer, inutilem nempe esse quæstionem de tempore quo tenentur fideles actus fidei repetere: quia contingere nequit quin Christianus sæpe tum per se, tum per accidens fidei actus repetat una cum aliis bonis actibus necessariis, & liberis, ut orando, Missam audiendo, sacramenta suscipiendo. Hoc ipsum intendebant Auctores propositionis proscriptæ, nempe præceptum fidei *secundum se* non obligare, sed tantum *per accidens*, videlicet ratione aliorum actuum, quos ipse P. Sporer recenset. Porro inutilis dicenda ea quæstio non est quæ, detur ne aliquod præceptum divinum ab aliis seiunctum, investigat. Utinam Theologia moralis ab inutilibus quæstionibus immunis esset. Sed

de hoc alias. Adde solummodo & hunc Auctorem non in paucis quæstionibus caute legendum esse: quia enim pro suis in Theologia morali Magistris proposuit Auctores qui ante proscriptas propositiones theologica opera edidere, non raro aberravit eorundem amplectendo opiniones, ad quarum amussim propositiones damnatæ aliquando explicatæ reperiuntur. Quid enim christianæ sanctitatis ex huiusmodi Auctoribus colligi potest, cum doceant Christianos numquam *per se* astringi ad credenda præfata religionis mysteria?

XVIII. Ad propositam quæstiunculam respondetur, ut minus semel in anno teneri fideles aliquem fidei actum *per se* exercere. Ratio evidens est. Quippe datur præceptum fidei quod *per se*, & *directe* obligat, ut ex Ecclesie definitione constat. Ergo hæc obligatio ut minus semel in anno implenda est. Quodnam enim præceptum divinum affirmans reperire fas est, quod numquam intra annum obliget? Nullum sane. Otiosa siquidem lex esset, quæ sui executionem non imperaret nec intra unius anni spatium. Ergo semel admissio præcepto per se obligante, necessario consequitur fideles re ipsa urgeri ad actus talis præcepti repetendos ut minus semel intra annum. Quam sententiam docent Bannez 2. 2. quæst. II. art. I. dub. 2. concl. ult. Ledesma II. Part. Sum. tract. I. cap. VIII. concl. 4. Tapia Lib. I. quæst. II. art. 2. n. 6. Salmanticenses tract. XXI. cap. II. punct. 3. n. 31. alique non pauci. Dixi ut minus, quoniam cum quodlibet præceptum ex Ecclesie ordinatione, puta præceptum poenitentiae, eucharistiæ &c. obliget semel in anno; frequentius fidei exercitium statuentum videtur, tum ob istius virtutis nobilitatem, qua Christiani vivunt, tum ob facilitatem repetendi eiusdem actus. Hanc tamen frequentiore actu repetitionem vi præcepti definire non audeo; sed quisque contendere debet ut certam obligationem meliori quo valet modo solvat. Nemo ergo ultra annum fidei catholice exercitium differat, ne violati præcepti reus evadat: & intra annum curet actus repetere, ut securius impleat. Subdo tamen in praxi raro reperiri fidelem qui præceptum hoc transgrediat, nisi improbus sit, & perditus: quia vix est qui Symbolum in quo præcipi fidei articuli continentur, non recitet. Scotus in III. dist. XXVII. quæst. ult. docet, præceptum fidei obligare omnibus diebus festis. Ioannes Nyderius statuit fideles teneri ad

eliciendum actum fidei illis saltem diebus quibus prædicta mysteria celebrantur. Quæ sane sententiæ piæ sunt, & in praxi consulendæ, utpote admodum utiles celesti animarum vitæ. Contra vero ut laxam reiicio sententiam P. Leandri, qui tract. II. disput. II. de fide quæst. XXXVII. hæc docet. *An obliget per se præceptum fidei ad actum credendum semel in singulis annis? . . . Probabilius certe respondeo non obligare: quia non est unde talis obligatio colligatur*. Næ iste severus Probabiliorista, qui laxiores opiniones probabiliores passim efficit.

XIX. Quæst. IX. *An hoc præceptum obliget per se in articulo mortis, & quando urget gravis tentatio contra fidem?* Resp. Communis sententia affirmat, in articulo mortis *per se* fidei præceptum obligare ad actus eliciendos: quia, inquiunt Salmanticenses, fides est medium necessarium ad resistendum tentationibus iuxta illud Petr. I. cap. v. *Cui resistite fortes in fide*: sed in articulo mortis graves urgent tentationes: ergo tunc obligat præceptum ad credendum. Sed hæc ratio non obligationem *per se* inducit, sed tantum *per accidens*. Quare dico, hoc præceptum *per se* obligare in articulo mortis, quemadmodum præcepta eucharistiæ, poenitentiae, caritatis. Quoniam, si ullo unquam tempore tenetur homo testimonium professionis suæ Deo, & hominibus exhibere; profecto id potissimum mortis tempore præstare astringitur. Tum maxime vita fidei vivere debet, ut visionem beatam, quæ fidei virtuti respondet, assequatur. Quis dixerit, ad fidem, quæ fundamentum catholice professionis, ac sperandarum rerum substantia est, hominem christianum absolute non teneri? Tenetur iuxta omnes cum primum rationis lumen assecutus est; & astrictus non erit Deum fide colere, cum tempus, & momentum imminet rationis usum amittendi, seu potius vitam cum morte commutandi, & ad divinum sese sistendi tribunal professionis fidei suæ rationem redditurus? Hanc sane exercendæ fidei obligationem mortis tempore confirmat Ecclesie consuetudo. Siquidem dum infirmi sacro viatico reficiuntur, a Sacerdote excitantur, monenturque, ut fidei professionem edant, atque fidei actus repetant. Ne multa: nullum tempus magis opportunum ad fidei actus repetendos quam morte urgente. Quare laxa valde mihi videtur Leandri opinio, quam de more ut probabilior effert tract. II. disp. II. quæst. XXXIX. his verbis: *Probabilius respondeo, hoc*

divinum præceptum nullo modo obligare per se, aut ex vi ipsius præcepti ad eliciendos actus fidei in articulo mortis: quia nec ratio, nec textus aliquis cogit ad oppositum asserendum. Contra nos dicimus & textus, & rationem evincere necessitatem fidei mortis tempore. Nam textus omnes, & rationes quæ absolutam fidei necessitatem evincunt in vitæ curriculo, eandem potiori iure evincunt mortis tempore, ut ostensum est. Falso quoque asserit Leander, laxam suam opinionem communiter a Doctoribus doceri. Docent utique eam Castropalaus, Oviedo, Hurtado, & etiam P. Patritius Sporer, licet hic forte scripserit post damnatas propositiones quæ recensentur in illius operibus. Verum communissima est sententia nostra: quin nullo modo probabilem nunc iudico laudatam opinionem, sed tamquam plurimum laxam reiicio. Secunda vero questionis pars seipsa patet: urgente enim tentatione contra fidem, urget præceptum fidei non per se, sed per accidens, quatenus medium necessarium reputatur ad victoriam de tentatione ferendam. Obligatio enim per se, seu absoluta, alicuius præcepti ex natura oritur eiusdem præcepti; obligatio vero per accidens ut indicatum supra est, ex fortuito eventu confurgit, sicut clarius infra dicturi sumus.

XX. Quæst. X. *Quandoriam per accidens fidei præceptum obliget?* Resp. Multi occurrunt casus in quibus homines tenentur actus fidei per accidens repetere. Ac primo toties obligatio huius præcepti urget, quoties fidei assensus necessarius est ad servandam aliud præceptum. Qui enim obligatur ad finem, etiam ad mediorum executionem altringitur. Hinc quia fideles obligantur diebus festis Sacrum audire, obligantur ad assensum fidei, sine qua Missam audire, ut catholicos decet, nequeunt. Qui tamen Sacrum audire negligit, non duo, sed crimen unum perpetrat. Secundo ad fidem fideles tenentur, cum contritionem edere, vel sacramenta suscipere debent. Nemo enim iustificari valet sine fide, ut toties dictum est. Ergo quoties se in Deum convertere fideles debent per contritionem, sacramentorumque susceptionem, toties fidei actus repetere altringuntur. Hac eadem ratione, quando homo tenetur actus supernaturales spei, caritatis, religionis, contritionis elicere, tenetur fidem exercere: quia hæc est primum fundamentum spiritualis aedificii. Opus tamen haud est quod actu formali, & expresso quis dicat: Credo Deum esse, quem nunc oro,

quem hoc sacramento suscipio: sed fat est implicite, & virtualiter, quatenus virtute fidei toties exercitæ sacramenta ministrat, suscipit, Deum precatur, amat, atque in eundem sperat. Quamvis tamen hæc actualis, & expressa fides vi præcepti non requiratur; utile tamen, & consentaneum est ut similes fidei actus repetantur cum christianæ professionis officia peragantur. Tertio, cum gravis tentatio animum pulsât contra fidem, aliamve virtutem; fidei præceptum urget, si credatur fidei exercitium remedium esse ad victoriam comparandam. Et certe, cum tentatio contra fidem animum provocat, fidei obligatio potius per se quam per accidens reputanda est. Per se enim qualibet virtus suam poscit defensionem; nulla vero magis directâ defensio fidei in discrimine per tentationem adductæ quam fidei ipsius exercitium. Ceterum, si etiam hoc in casu quis contenderet, per accidens talem dicendam esse obligationem, res tanti non est ut litem instituamus. Si tentatio castitati, caritati, obedientiæ, ceterisque a fide virtutibus insidias struat, obligatio fidei iuxta omnes per accidens reputatur. Porro cum dicimus, quemquam ad actum fidei teneri, cum in discrimine fidei negandæ versatur: ea moderatione accipi debet quod in tali circumstantia fidei exercitium medium necessarium ad consequendam victoriam credatur: quod & communiter reapse eiusmodi est. Ceterum si homines tentationibus vexati anxii sint, pavidi, perplexitatibus, & scrupulis obnoxii, tunc fidei exercitium non esse istis opportunum remedium, concors est Theologorum sententia. Isti contemnere tentationes debent, & alio mentem deducere: satisque est, si tempore pacis, ac mentis serenæ, placidique animi, fidei actus repetant, plus minusve, prout eorum directori expediens visum fuerit. Isti numquam recta manus conferere, congregique cum hoste debent; sed illum spernere, nihilque illius aggressus curare. Denique tyranno ad fidem catholicam abiurandam provocante, præceptum fidei confitendæ urget. Porro fidem vere exterius confiteri quis nequit, nisi interius credat. Interior itaque fides tunc necessaria est ob exteriorem confessionem. Idcirco hoc internæ fidei exercitium per accidens necessarium in hoc eventu dicitur. Pariter, cum quis in hæresum lapsus est, eam per contrarium fidei actum abiurare altringitur. Hæc omnia communia sunt.

CA

CAPUT XII.

De præcepto adfirmante divino fidei exterius confitendæ.

I. PRÆTER præceptum sciendi res fidei, & eiusdem fidei actus interiores elicendi, datur tertium præceptum hanc fidem exterius confitendi. Hinc præmissa explicatione duplicis præcepti, fas est ut tertium exponamus. Hoc præceptum externæ confessionis duplex est: divinum, & ecclesiasticum. De ecclesiastico infra, nunc de divino sermo erit. Hoc divinum præceptum duplex itidem est. Alterum adfirmans, quod iubet exteriorem confessionem, & violatur omissione, & pro semper non obligat. Alterum negans, quod vetat exteriorem negationem; & pro semper obligat, & actu positivo frangitur. Primum omnium agam de præcepto divino adfirmante, seu imperante exteriorem fidei actum. Et antequam ultra provehar, notionem externæ confessionis prodo. Est autem eiusmodi: *Manifestatio fidei internæ signo aliquo exteriori suapte natura, vel vi communis acceptionis, & intelligentiæ id significante.* Itaque fides exterius manifestari potest verbis conceptis, signis, nutibus, gestibus, actionibusque ex speciali institutione, aut communi acceptione fidem exprimentibus. Non sufficit tamen quæcumque expressio, sed necessarium est ut exprimat fides catholica ut a quacumque alia secta distincta, ut fufius explicabitur.

II. Dari autem hoc divinum præceptum, nemo est qui in controversiam adducat. Id enim colligitur ex divina Scriptura ad Rom. x. verſ. 9. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Hic enim Apostolus non de laudis confessione loquitur, ut nonnulli contendunt; sed de fidei professione, ut ex integra citati capituli lectione comperitur est. Idem colligitur ex Matth. x. *Omnia qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in caelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in caelis est.* Quod confirmat D. Lucas cap. ix. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Superest nunc ut investigemus tempus quo præceptum istud obligat.

Cone. Theol. Tom. I.

III. Quæst. I. *Quandoriam præceptum divinum confitendæ exterius catholica fidei obliget?* Resp. Huic questioni facit satis D. Thomas 2. 2. quæst. iii. art. 2. *Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis; sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per dimissionem huius confessionis subtraheretur debitus honor Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta, si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem averterentur a fide.* In huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis. Pro pleniore angelicæ doctrinæ intelligentia id est animadvertendum, duobus modis subtrahi Deo, & proximo honorem, & utilitatem posse. Primo simplici omissione, seu, ut dicitur, *negative*, quatenus ex occultatione fidei cessat honor Dei, & proximi utilitas: quia publicum fidei exercitium suapte natura semper in Dei gloriam proximique commodum cedit. Si ad hanc divinam gloriam promovendam semper altringeremur, præceptum externæ confessionis fidei semper, & pro semper obligaret; quod nemo dixerit. Secundo *privative*, prout Deus ignominia afficitur, & populus scandalum patitur ex hoc quod quis fidem suam profiteri omittat; & tunc urget præceptum fidei confitendæ. Quando ergo populo periculum adest a fide descidendi, vel in ea vacillandi, quando indiget in fide confirmari; quando præcepto cogimur alios religionem catholicam docere; quando ex occultatione fidei nostræ suspicio nascitur nos fidem christianam negare: in his, similibusque casibus præceptum fidei obligat ad externam confessionem, ut cum S. Thoma docent communiter Theologi. Azorius Lib. VIII. cap. vii. quæst. vii. Sanchez Lib. II. in Decal. cap. iv. n. 4. Tapia Lib. IV. quæst. iii. art. 5. Salmanticenses tract. xxi. cap. ii. punct. 6. n. 6.

IV. Quæst. II. *Hæc externa confessio fidei est ne actus virtutis fidei?* Resp. Adfirmat Angelicus 2. 2. quæst. iii. art. i. *quia actus exteriores illarum virtutum proprie sunt actus ad quarum fines secundum suas species referuntur...* Confessio autem eorum qua sunt fidei, secundum suam speciem ordinatur, sicut ad finem, ad id quod est fidei, secundum illud II. ad Cor. iv. Habentes eundem spiritum fidei credimus, propter quod & loquimur. Exterior enim locutio ordinatur ad significandum id quod in corde concipitur. Unde sicut

F 3

con-

conceptus interior eorum que sunt fidei, est proprie actus fidei; ita etiam exterior confessio. Acriter disputant Scholastici, sit ne elicitive, aut imperative exterior confessio a virtute fidei. Verum nihil nostra refert hæc discutere. Satis enim nobis est hanc exteriorem confessionem proprie esse actum fidei, ut cum Angelico communiter Doctores defendunt.

V. Quæst. III. Qui interrogatur de fide catholica, peccat ne, si taceat? Resp. Pro parte affirmante Sanchez *loc. cit. num. 6.* refert D. Thomam, Caietanum, Toletum, & Abulensem. Alii distinguunt interrogationem factam a potestate privata, & tunc nullum esse peccatum silentium personæ interrogatæ aiunt; contra, si fiat a potestate publica, taciturnitas peccatum erit. Pro hac quoque opinione allegat Sanchez plures Doctores.

VI. Utraque opinio suas patitur exceptiones. Nam quandoque peccatum est non profiteri publice fidem, etiam si interrogatio facta sit a persona privata; quando scilicet debitus honor Deo subtrahitur, ut ex D. Thoma vidimus. Contingere autem non raro potest Deum ignominiam perferre, proximumque scandalum pati, si quis Catholicorum a privata persona de fide rogatus non respondeat. Quippe si ego interrogarer coram Christianorum multitudine ab infideli de Catholica religione, prospiceremque ex meo silentio fluctuatos in fide Catholicos audientes; quis me a debito confitendæ publicitatis fidei excuset? Quid, si infidelium turba, privata licet, conviciaretur, derideretque Christianos, quod tanti non essent qui fidem palam confiteri auderent; possem ne licite a publica fidei confessione abstinere? In his ergo, ac similibus eventibus, in quibus honor Dei, & proximi fides periclitaretur, præceptum publicæ confessionis obligat, etiam si interrogatio a persona privata fieret. Quæ sententia est D. Thomæ, & eidem sic explicatæ nemo Theologorum contradicere iure valet.

VII. Altera quoque opinio explicatione eget. Nam persona publica interrogare valet, non ut iudex, & in odium fidei, sed ob politicas status rationes, videlicet ut divitias extorqueat a Catholicis, aut aliud id genus momentum. Quo in casu non tenetur Catholicus respondere; sed aut silentio, aut alia responsione eludere interrogationem potest. Immo aperte reponere valet: Quid tua refert, sum nec ne Christianus? Contra si

ab hac persona publica, seu iudice in fidei odium interrogetur Catholicus, fidem palam confiteri tenetur. Quid, si iudex interrogaret, non qua iudex, sed ut persona privata, licet in fidei odium? Licita quandoque interrogationis contemptio esse potest, dummodo debitus honor Deo non subtraheretur. Quare dum eiusmodi occurrunt interrogationes, semper ob oculos habenda D. Thomæ doctrina est. Si enim ex silentio, aut ambigua responsione, aut Dei gloria, aut proximi salus periclitatur, modo supra explicato; semper fides profitenda aperta fronte est. Si hæ rationes cessent, occultari valet. Advertendum tamen, in nullo casu licitas esse mentales restrictiones quæ externis verbis nullo modo significatum ita produunt, ut ab interrogante deprehendi possit.

VIII. Obiicies, D. Petrus interrogatus fuit a persona privata, nempe ab ancilla, servitque Caiphæ; & nihilominus Christum negando grave perpetravit scelus. Resp. Petrus non modo siluit fidei confessionem, sed Christum negavit: quod numquam licet, sive publica, sive privata sit persona quæ interrogat. Præceptum namque negans quod verat negare fidem, *semper, & pro semper* obligat. Præterquam quod iis in circumstantiis Petrus interrogatus fuit in quibus taciturnitas, & silentium peccatum fuisset, ut res clara ex se est.

IX. Ex his collige, quam merito damnata ab Innocentio XI. fuerit sequens propositio: *Si a potestate publica quis interrogetur; fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.* Interrogationi factæ a persona publica non respondere suapte naturæ Deo contumeliam, proximo scandalum infert. Quod in præfata propositione damnatur, est quod fidelis absolute a persona publica interrogatus de rebus fidei non teneatur respondere. Idcirco damnatum non est asserere, te non teneri respondere, si de rebus ad fidem minime pertinentibus interrogatus esses. Leander *tract. III. quæst. VIII.* docet, sententiam damnatam defendere plures Doctores, nempe Ægidium, Tannerum, Lorcam, utrumque Hurtadum, Granados, Oviedum, Castropalaum, qui satis ambigue loquitur. Ut verum tamen fatear, expresse proscripam propositionem non docet Castropalaus, ut cuilibet legenti *tract. IV. disp. I. punct. 14.* consistere potest. Quare, ut mihi videtur, Castropalao aliquamtu- lum Leander imponit. Sed quia ante præ-

pe

positiones proscripitas ambo scripserunt, excusandi sunt, caute tamen hac de re legendus Castropalaus.

X. Quæst. IV. Fidelis rogatus a persona privata de sua fide in odium eiusdem fidei, tenetur ne respondere? Resp. Leander *loc. cit. quæst. VII.* probabilius ait esse, illum non astringi. Sed hæc probabilior Leandri opinio falsa est, si absolute sumatur. Quoniam contingere potest Deum debito honore privari, & scandalum fidei subire, etiam cum quis privata interrogationi respondere negligit. Dicendum ergo: Si nullum fidei detrimentum timeatur, privata responsio prætermittenda est; si honor Dei, proximique salus in discrimen adduci cognoscatur, fides confitenda palam est. In interrogationibus privatis hæc suapte natura optima responsio esse solet: Quid tua interest eiusmodi scire? Tum enim, licet privata responsio coram multitudine fiat, non præsumitur respondens negare fidem suam, nec adstantes scandalum patiuntur, cum audiunt fidelem contemnere privatum interrogatorem. Quid, si fidelis interrogatus insignis foret auctoritatis, & dignitatis? P. Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. IV. num. 6.* citans Valentiam docet peccare hunc fidelem, si rogatus, etiam a persona privata, non respondeat: quia tunc ob dignitatem personæ respondentis silentium, solaque taciturnitas, fidei detrimentum infert. Si verum sit quod solum silentium dignioris personæ in fidei materia scandalum pariat, vera est sententia Sanchez. Sed verum non apparet, per se dignitatem personæ talem esse ut semper culpabile efficiat silentium in fidei materia. Optime enim evenire potest quod fideles nullum offendiculum patiantur, etiam si videant Catholicum magnæ auctoritatis contemnere privatam in religionis negotio interrogationem. Id solum verum habet, frequentius in persona superioris quam inferioris gradus, taciturnitatem criminolam esse in hac materia. Circumstantiæ itaque spectandæ sunt, & ob oculos D. Thomæ doctrina superius explicata habenda.

XI. Quæst. V. Fidelis astringitur ne respondere superiori catholico de fide interroganti? Resp. Certum est teneri. Superiori namque legitime interroganti, & præcipienti parendum, & respondendum est. Hæc siquidem responsio ex una parte nullum parit damnum, nec periculum grave; ex altera parte laus, & honor accedit. Quod verum est, etiam si iudex, seu superior interrogans sa-

cularis sit: quia licet ad catholicos Principes non spectent interrogationes de fide, accidere tamen potest quod eorum sit scire, sint ne subditi sui catholici: estque communis opinio.

XII. Quæst. VI. Catholicus videns sacras imagines conteri, Crucifixum contumeliosus affici, tenetur ne fidem suam prodere, sacrasque imagines a contemptoribus vindicare? Resp. P. Castropalaus *tract. IV. disp. I. punct. 12. n. 7.* docet, ut etiam advertunt Salmanticenses, teneri utique fidem profiteri, si confidat hac sua publica confessione compescendam fore infidelium proterviam, & impietatem; secus vero si ex sua confessione prævideat irritandos magis fore, atque in blasphemias erupturos contemptores. Hanc opinionem communiter Auctores reiiciunt. Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. IV. n. 5.* Bonacin. *disp. III. quæst. II. punct. 3. n. 13.* Aragon. *2. 2. quæst. III. art. 2. dub. 2.* Salmanticenses *tract. II. cap. II. punct. 6. n. 72.* Ratio est, quia tunc fides catholica despicitur, Deoque honor debitus subtrahitur per contrariam contumeliam; ergo confitendæ fidei præceptum urget: ergo sua publica confessione tenetur, quoad fieri potest, iniuriam Deo, & sacris imaginibus irrogatam propulsa. Nec curare Catholicus in hoc casu debet, sint ne ex hac confessione, & defensione in blasphemias prolapsuri infideles, qui ex propria prævaritate, non ex alieno impulsu in Deum, Divosque sacrilega evomerent convicia.

XIII. Quæst. VII. Licitum ne aliquando sit tyrannum fugere, ut coactio ad confitendam fidem vitetur? Resp. Librum edidit Tertullianus de fuga in persecutione, negatque licitum esse fugam in persecutione adversus fidem arripere: quem errorem amplexati sunt Montanistæ. Quoniam qui fugit, inquit Tertullianus, inconstantem se in fide prodit, & vacillantem, quod illicitum est. Hæc ratio frivola est: quippe qui tyrannum fugit, fidei suæ firmitatem præfert; & solum indicat se minime expediens iudicare vitam suam prodigere, cum eam sua fuga redimere valet. Quare Tertulliani opinionem tamquam erroneam, immo hæreticam, Patres, Athanasius, Cyprianus, Nazianzenus, aliique communiter reiiciunt: & merito, quoniam adversatur Evangelio Matth. x. *Cum vos persequerentur in civitate ista, fugite in aliam.* Idemque reperit cap. XIV. *Qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* Quid quod Christus ipse Iudæorum declinavit sævitiam? ut patet ex

F 4

Ioan.

Ioan. x. & xi. D. Paulus per murum sporta dimissus iram Præpositi Damasci, volentis illum comprehendere, vitavit, ut ipse refert II. Corinth. cap. xi. Per murum in sporta dimissus sum, & sic effugi manus eius. Elias a furente Iezabel aufugit in speluncam III. Reg. xix. Tyrannorum crudelitatem declinarunt Cyprianus, Athanasius, Sylvester, Batilius, Polycarpus, alique plurimi, quos describit Nicephorus Lib. X. & XVI. Hist.

XIV. Fuga ergo tyrannorum persequentium fidei catholice professores absolute spectata peccatum non est, ut contendebat Tertullianus, sed pro circumstantiarum varietate bona, aut mala esse potest. Primum licita, quin & necessaria est, quoties fideles timent, prævidentque periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque negandi. Qui enim conscius talis periculi, tyranni sævitiam non declinaret, Deum tentaret, qui sicuti non deest in necessariis, ita non abundat in superfluis. Secundo quando persona necessaria, aut magnopere utilis est bono communi Ecclesie. Hoc probat D. Augustinus tract. xvi. in Ioannem exemplo D. Pauli, qui ob Ecclesie utilitatem se furori Præpositi Damasci subduxit. Tertio declinandum martyrium est, quoties prævidetur aut illud nemini profuturum, aut tyrannum magis irritandum, & crudelius in Christianos sæviturum.

XV. Contra vero nemo fidelium fugere tyrannum licite valet, quoties fidei confessio necessaria est ad religionem promovendam, imbecillesque roborandos. Hocque commune est inter Doctores, quod plurimis sanctorum Martyrum exemplis confirmant.

XVI. Quæst. VIII. *Episcopi, Parochi, alique Pastores curam habentes animarum, tenentur ne cum vita propria periculo ovibus sibi creditis assistere, & ante tyrannum, si opus fuerit, se sistere?* Resp. Quæ certa sunt, præmittamus fas est. Si in solos Pastores tyranni sæviunt, isti fugere licite possunt, & quandoque debent, si alii ministri adsint, qui subsidia spiritualia ovibus dimissis suppedicare valeant. Tunc enim proprie oves non dimittuntur, ut peroptime docet Angelicus lect. III. in cap. x. Ioan. Non enim quia fugit, sed quia dimittit oves, vituperatur unde, si posset fugere, non dimittendo oves, non esset vituperabile. Contingit enim aliquando quod queritur persona Prælati, aliquando totus grex. Manifestum est autem quod si queritur sola persona Prælati, possunt alii loco sui ad gregis custodiam deputari,

qui vice sui consolentur, & gubernent gregem. Unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves; & hoc modo, & casu fugere licet. Si autem quaratur totus grex, aut oportet quod Pastores omnes simul sint cum ovibus, aut oportet quod aliqui ex eis remaneant, & aliqui recedant. Si autem totaliter deserant gregem, tunc eis competit quod hic dicitur: Videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Lupus rapit, & disperdit oves. Ex quibus constat oves non deseri, quando fugientibus aliquibus Pastoribus non necessariis, alii adsint qui ovium curam gerere possunt.

XVII. Quæstioni ergo propositæ respondeo, tunc Pastores cum periculo vite tenentur tyrannorum perferre sævitiam, suisque ovibus assistere, quando nulli sint Sacerdotes qui tantum onus supplere velint, & oves gravi premantur necessitate spiritualis subsidii, vel sint in gravi periculo amittendæ fidei. Tunc enim non modo caritatis, verum etiam iustitiæ debito, suo adesse gregi astringuntur. Quod idem dicendum, si ex fuga Pastorum fideles scandalum caperent. Nam bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves proprie, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves. Ioan. x. Pastores ergo in casibus recensitis titulo & caritatis, & iustitiæ cum ovibus suis permanere coguntur. Qui vero Pastores non sunt, vi evangelicæ caritatis succurrere ovibus, seu fratribus suis astringuntur, quando eorum presentia existimatur valde necessaria ad confortandos, firmandosque vacillantes in fide: quoniam unicuique mandavit Deus de proximo. Si enim quisque proximo suo gravissima corporis egestate pressio suppetias ferre iubetur; quanto magis animabus periclitantibus manum porrigere astringitur? Quæ omnia, magna prudentia opus est, ut executioni apte, & opportune mandentur. Nam si revera cognoscatur quod occultatio Pastorum ad tempus utilior fiat populo, poterunt Pastores latere, tyrannorum furorem paululum declinare, perquisitionem eludere, alio pro brevi tempore se recipere, e carcere fugere, dummodo omnia eo spectent ut securius, & validius animarum salus procuretur. Quæ dicta sunt, confirmat summus Pontifex Nicolaus in cap. Seditatis exemplo nautarum qui tempestate ingruente clavum tenere, navem gubernare cum vita periculo debent. Doctrina communis est.

C A.

CAPUT XIII.

De præcepto affirmativo ecclesiastico fidei exterius confitenda, & de iis qui huic præcepto obnoxii sunt.

I. Præter præceptum affirmans divinum palam fidem confitendi, de quo dictum est, aliud præceptum ecclesiasticum datur, quo plures in dignitate constituti urgentur fidem suam publicitatis profiteri. De his omnibus hoc in capite dicturi sumus.

II. Quæst. I. Tenentur ne omnes curam animarum habentes fidei palam professionem edere? Resp. Primum omnium quæ sacra Tridentina Synodus hac de re præcipit, exscribenda sunt. Porro sess. xxiv. de reform. cap. xii. hæc decernit. Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito coram generali eius vicario, seu officiali, orthodoxæ sue fidei publicam facere professionem, & in Romana Ecclesia obedientiam se permansuros spondeant, ac iurent. Quam ordinationem ad Canonicos Cathedralium extendit his verbis. Provisi autem de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu eius officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur; alioquin predicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Idem inculcat sess. xxv. cap. II. de reform. Præcipit igitur sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis omnibus qui de iure, vel consuetudine Concilio provinciali interesse debent, ut in prima Synodo provinciali post finem præsentis Concilii habenda, ea omnia, & singula quæ ab hac Synodo definita, & statuta sunt, palam recipiant, nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant, & profiteantur; simulque hereses omnes a sacris canonibus, & generalibus Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice detestentur, & anathematizent. Idemque in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi in prima Synodo provinciali in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit; Episcopi provinciales statim summum Romanum Pontificem admonere sub pena divine indignationis teneantur. Et paullo infra decretum illud extendit ad omnes universitates, studia

generalia, eorumque Magistris, Doctores, divinique verbi Interpretes, & Concionatores. Quam ordinationem protendit Pius Papa IV. in suo Motu proprio, cuius initium est In iunctum nobis, ad omnes Ordinum Regularium, & Militarium Prælatos: & S. Pius V. in sua constitutione quæ incipit In sacrosancta, fusius, clariusque extendit, iubetque, omnes Doctores, Magistros, Regentes, Concionatores, & cuiusque facultatis Professores, fidei professionem emittere. Et sacra Congregatio declaravit præfatam constitutionem comprehendere omnes magistros grammaticæ, arithmeticæ, musicæ, & aliarum artium, tametsi publice has artes non exercent, sub poena privationis omnium dignitatum, & officiorum, & insuper excommunicationis maioris.

III. Quæst. II. Præfatæ constitutiones obligant ne sub mortali? & Adfirmat communis sententia: idque colligitur tum ex gravissimis poenis in transgressores constitutis, tum ex materiæ gravitate, & sine sublimi servandæ, amplificandæque religionis. Id tamen intelligendum est, ubi constitutiones laudatæ usû receptæ sunt: nam quantum ad aliquas personas ubique non obtinere, infra indicabo.

IV. Quæst. III. Beneficiati curam animarum habentes tenentur ne intra bimestre a die pacificæ possessionis, fidei professionem emittere in manibus Episcopi, aut eius vicarii, vel officialis? Resp. Adfirmativa sententia communis est. Isti quippe expresse nominati sunt tum in Synodo Tridentina, tum in laudatis constitutionibus. Sub beneficiatis autem veniunt etiam commendatarii illarum Ecclesiarum quarum facultatem habent disponendi de fructibus, quia tunc sunt vere provisores beneficiis: secus dicendum, si Episcopus illis Ecclesias commendat, minime vero de beneficiis provideat, ut docent Garzia de Benef. III. Par. cap. III. num. 20. Augustinus Barbosa de potest. Epif. Par. III. alleg. lxi. num. 12. Sanchez Lib. II. in Decalog. cap. v. num. 1. Castropalaus tract. iv. disp. I. punct. 19. num. 3. Salmanticenses tract. xxi. cap. II. punct. 7. num. 79. Advertunt quoque Sanchez, Palaus, Bonacina, Salmanticenses contra Barbosam, decretum intelligendum esse de his qui actu curam habent animarum. Quare aliquis provisus de parochia quæ olim habuit, sed nunc non habet parochianos, ad fidei professionem faciendam non esset astrictus. Canonici vero, & dignitatibus insigniti Ecclesiarum cathedralium fidei professionem coram Episcopo, & Capitulo edere te-

re tenentur, ut conceptis verbis Tridentinum præcipit. Idque verum habet, etiam si sint exempti, aut Regulares, cum omnium eadem ratio sit, ut scilicet fides facta tecta custodiatur, & ab Ecclesiis Catholicorum exulent hæretici. Si, dum fidei professio fit coram Capitulo, adfit Episcopus, non est coram illo professio iteranda. Sede autem vacante, non solum coram Capitulo, sed etiam coram eius vicario fidei professio facienda est: quia iurisdictio episcopalis per vicarium representatur, & administratur. Ad hanc vero professionem minime tenentur Canonicorum coadiutores quod non sint veri Canonici; quemadmodum nec Canonici provisus in Ecclesiis collegiatis: quia Concilii decretum loquitur tantum de Canonicis provisus in Ecclesiis cathedralibus. Immunes quoque sunt ab hac professione beneficiati simplices, seu *portionarii*, ut vocantur, & capellani Ecclesiarum cathedralium. Doctores qui ratione doctoratus professionem emisere, si intra bimestre beneficium accipiant, non tenentur ad iterandam professionem: quia sufficienter satisfecerunt menti Concilii. Quæ omnia communia sunt.

V. Quæst. IV. *Beneficarii, vel Canonici, qui infra bimestre a die possessionis pacificæ professionem non ediderunt propria culpa, faciuntne fructus suos ita ut non teneantur ante iudicis sententiam in conscientia restituere eosdem fructus?* Resp. Duplex reperitur sententia: quarum prima negat præfatos beneficiarios, aut Canonicos teneri ad restitutionem ante iudicis sententiam: quam opinionem defendunt Navarrus *tit. de Summ. Trinitate consil. III. & consil. XII. num. 1. tit. de iureiurando*. Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. v. num. 10. Castropalaus tract. IV. disp. 1. punct. 19. num. 16. Barbosa alleg. LXI. par. III. num. 28. Tapia Tom. II. Lib. I. quæst. III. art. 12. & alii.*

VI. Sententia contraria, quæ adfirmat præfatos beneficiarios non fieri legitimos fructuum possessores, atque adeo ad restitutionem teneri, non expectata iudicis sententia, probabilior est, & mihi unice cerra. Quoniam hæc est aperta mens Tridentini asserentis, beneficiarios qui propria culpa intra bimestre non edunt professionem præscriptam, non facere fructus suos. Si suos non constituunt, ergo restant alieni. Bona autem aliena restituenda esse iure naturæ ante quamlibet iudicis sententiam, quis iverit inficias? Quod magis elucet ex declaratione eiusdem Concilii decernentis *illis possessionem non prodesse*. Si possessio nihil illis prodest ut eos fructus reti-

nere valeant; quo titulo a restitutionis onere eximi possunt? Confirmatur sententia nostra ex propositione damnata sub Alexandro VII. quæ est in ordine xx. *Restitutio a S. Pio V. imposta beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declarativam iudicis, eo quod sit pœna*. Porro ratio potissima cui innituntur adversæ opinionis Auctores, est quod lex Tridentini pœnalis sit. Ergo contraria sententia illa ipsa est ac ea quæ proscripita fuit ab Alexandro VII. Si leges quæ pœnas constituunt in transgressores, dicendæ omnes pœnales essent, ita ut non obligent in conscientia ante sententiam iudicis; actum de quamplurimis legibus esset. Sepius pœnæ imponuntur ad maiorem legis obligationem manifestandam, quæ proprie pœnæ non dicuntur, sed *inhabilitates* vocari a Theologis solent, quatenus inhabilem beneficium constituunt ad percipiendos fructus. Huiusmodi est illa quæ declarat, beneficiarios non recitantes officium divinum non facere fructus suos, & alia quæ eandem pœnam imponit non residentibus in propriis Ecclesiis: quæ leges ante iudicis sententiam obligant ad fructuum restitutionem. Sed his legibus simillima est illa quam tulit Tridentinum in beneficiarios qui intra bimestre non edunt fidei professionem. Ergo istarum legum eadem est obligatio. Quod ex collatione utriusque legis patet. Nam hæc est lex quam adversus omittentes divini officii recitationem edidit Concilium Lateranense *sess. ix. §. Statuimus. Habens beneficium cum cura, aut sine cura, si post sex menses, obtento beneficio, officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus non faciat suos pro rata recitationis officii divini, & temporis*. Id ipsum decernit Tridentina Synodus, dum statuit, omittentes fidei professionem non facere fructus suos. Itaque eiusmodi leges non pœnales, sed conventionales, seu conditionales sunt, quæ non impleta conditione, ante quamcumque iudicis sententiam obligant. Hanc nostram sententiam defendunt Azorius *Tom. II. Lib. VII. cap. II. quæst. 1. Garzia cap. III. num. 45. Ledesma II. Part. tract. 1. cap. IV. Filiucius tract. XXI. cap. III. num. 97. Salmanticenses tract. XXI. cap. II. punct. 7. num. 82.*

VII. Obiiciunt I. contrariæ sententiæ Auctores. Lex Tridentini est pœnalis: ergo ante sententiam iudicis non obligat, potissimum quod ad executionem necessaria sit hominis actio. II. Lex pœnalis benigne est interpretanda. III. Si Tridentina Synodus intendere-

ret

ret executionem suæ legis ante iudicis sententiam, id declararet, quemadmodum *sess. XXI. cap. 1. de reformat. expresse decrevit, non residentes in suis Ecclesiis ante iudicis sententiam ad fructus restituendos teneri*.

VIII. Resp. Ex iis quæ dicta sunt in confirmationem sententiæ nostræ, corruunt duo prima obiecta. Negatur enim legem Tridentini pœnales esse. Quod tertio loco opponitur, pariter seipso evanescit: satis namque Tridentinum declaravit, restituendos esse fructus ante iudicis sententiam dum dixit conceptis verbis, *beneficiarios non facere fructus suos*. Idque constat, conceduntque adversarii in omittente recitationem officii, & in eo qui assequitur secundum beneficium quod cum primo coniungi nequit: ante enim iudicis sententiam hoc secundo beneficio privatur.

IX. *Quid, si provisus absque propria culpa fidei professionem omittent?* Negant potiori iure adversarii, tunc restituendos esse fructus, non expectata iudicis sententia. Verum in hoc quoque casu probabilius videtur faciendam esse restitutionem ante iudicis sententiam: quia præfate leges, conditionales cum sint, obligant absque respectu ad culpam, & cum solo respectu ad conditionem quæ affixa est legi. Ergo quoties conditio non apponitur, absoluta obligatio urget. Sive ergo vitiosa, sive innocens omisso conditionis sit, dummodo reapse non ponatur, restitutionis debitum urget. Hanc sententiam defendunt Ledesma *II. Part. tract. 1. cap. IV. concl. 10. Salmanticenses tract. XXI. cap. II. punct. 7. num. 84.* Fructus porro restituendi sunt a die elapsi bimestris usque ad diem qua professio præscripta editur. Quippe lex concedit beneficiario privilegium differendæ professionis usque ad completum bimestre: ergo fructus intra illud percepti non sunt restituendi, sed tantum ii qui elapso bimestri colliguntur usque ad tempus quo fit professio. Nec tamen hinc inferitur omittentes hanc professionem amittere titulum beneficii: quia talem pœnam Concilium non imponit. Quare titulus, & possessio beneficii consistunt, viquorum Canonici vocem habent in Capitulo, & quotidianis distributionibus frui valent. Qui vero intra bimestre non fecerint fidei confessionem, transacto bimestri, ad illam tenentur: quia non est alligata tali temporis, ut præceptum ieiunii affixum uni diei, quo elapso cessat obligatio; sed spatium duorum mensium designatur non ad finiendam, sed ad non differendam obligationem: quod patet in vo-

to ingrediendæ religionis intra annum, quo elapso, si impletum non sit, remanet obligatio. Et hoc communiter Auctores docent, estque sententia vera.

X. Quæst. V. *Patriarcha, Archiepiscopi, Prælati, Episcopi sunt ne legi præfata obnoxii?* Resp. Adfirmativa sententia certa est ex Concilio Tridentino *sess. xxv. cap. 11. de reformat. ubi decernitur, istorum professionem faciendam esse in Synodo provinciali; cuius Tridentini verba reculimus supra num. 2. Respectu Episcoporum extat Bulla Gregorii XIV. cuius initium est, Onus apostolica servitutis, data anno 1591. Hæc Bulla præcipit fidei confessionem iuramento firmatam, cuius formula habetur in Pontificali Romano iussu Clementis VIII. edito. Opinio communis.*

XI. Quæst. VI. *Prælati Regulares tenentur ne ad hanc fidei professionem?* B. Adfirmant plures Auctores, quos refert Barbosa; sed communis sententia oppositum docet, & consuetudo id ostendit. Quare brevier dicimus, ad hoc quod attinet, servandam esse consuetudinem. Si alicubi consuetudo obtinet quod Regularium Prælati professionem hanc emittant, servanda est, utpote optima; si mos contrarius viget, eidem inhærendum.

XII. Quæst. VII. *Doctores, Lectores, & cuiusque liberalis artis professores, qui in publicis gymnasiis docent, astringuntur ne fidei professionem emittent?* Resp. Adfirmant communiter Doctores auctoritate constitutionis editæ a Pio IV. cuius verba referre lubet. Initium constitutionis est, *In sacrosancta, & habetur in Bullario Cherub. Tom. II. constitut. 88. in qua hæc continentur. Idcirco hanc fidei puritatem scientiis, doctrinisque quibuslibet tum tradendis, tum addiscendis, tamquam necessariam basim constituere, & ne simplicia nonnullorum adolescentium, res novas audientium cupidorum, ingenia in naufragos blandientium hæresum scopulos imprudenter impingant, occurrere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolica potestatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magister, Regens, vel alius cuiuscumque artis, & facultatis professor, sive clericus, sive laicus, ac secularis, vel cuiusque ordinis regularis sit, in quibusvis studiorum generalium universitatibus, aut gymnasiis publicis, aut alibi ordinariam, vel extraordinariam Lectoris cathedram assequi, vel iam obtentam retinere, seu aliam Theologiam, canonicam, vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam, vel alias liberales artes in quibuscumque*

que civitatibus, terris, oppidis, ac locis, etiam in Ecclesiis, Monasteriis, aut Conventibus Regularium quorumcumque, publice, vel privatim, quomodocumque profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere, vel exercere.

Nec Doctores ipsi, aut universitatum, seu gymnasiorum eorumdem Rectores, Cancellarii, vel alii superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alii particulares facultatum eruditi viri ad eisdem gradus promovendi, etiam a nobis, & apostolica Sede, vel alias undecumque habentes scholares tam laicos, quam clericos, & cuiusvis ordinis Regulares, vel alios quoscumque, quantalibet eruditione praeditos ad illum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere.

Nec Doctores, Magistri, & scholares ad electionem alicuius in Rectorem, vel Cancellarium universitatis, aut gymnasii procedere. Nec si ipsi scholares, vel alii quantumlibet docti, & alioquin habiles, gradus huiusmodi, vel eorum aliquem palam, vel privatim recipere valeant, nisi Doctores videlicet, ac Regentes, Magistri, & alii professores iam ad cathedras, & lecturas recepti in Italia infra tres, extra vero illam infra sex menses, a die publicationis presentium computandos, reliqui vero ad cathedras, & alias lecturas in posterum ibidem assumendi, ante illorum receptionem in Rectoris, vel aliorum superiorum, eligendi autem in Rectoris vel Cancellarios ante illorum electionem, vel saltem admissionem, in Ordinarii loci, vel eius in spiritualibus Vicarii, aut Doctorum, aliorumve promoventium manibus, previo etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur super religione fideque catholica, Lectorum, Cancellariorum, Doctorum, Rectorum, & promovendorum eorumdem per ipsos locorum Ordinarios vel eorum Vicarios rite facta procedente, eandem catholicam fidem, verbis iuxta formam praescriptam tenorem conceptis palam, & solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu, seu informatione, & fidei professione in privilegio doctoratus, vel alterius gradus huiusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio, & relatio fieri debeat, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo statuimus, & ordinamus. Opus haud est commentario. Clara sunt haec omnia, & penes tum Theologos, tum Canonistas communia.

XIII. Quæst. VIII. Fieri ne per procuratorem eiusmodi fidei professio valet? Resp. Dissident Auctores super hac quaestione, in

duasque abeunt sententias: quarum prima adfirmans est, quam illius patroni pluribus legum textibus confirmant. Leg. i. ff. de procur. cap. Qui per alium, & cap. Potest quis de regul. iur. in 6. Quod per nosmetipsos facere possumus, potest & praestari per procuratorem, nisi lex, aut canon aliter decernat. Idem conitit exemplo iuramenti quod per alium praestari potest cap. Tibi Domino lxxiii. Pariter matrimonium per procuratorem iniri non raro solet. Et hanc sententiam defendunt Ledelina, Navarrus, Sanchez, Suarez, Tamburinus, Azorius, Barbosa, & alii: quæ, si iuris tenor spectetur, vera est.

XIV. Secunda sententia negat, hanc fidei professionem fieri per procuratorem posse. Quoniam fidei professio actio personalis est, quæ per alium praestari nequit. Potissima namque Ecclesie intentio est subditos suos in fide confirmare. Hac autem confirmatio necessario poscit personalem confessionem. Accedit quod ita declararunt sacre Cardinalium Congregationes. Quare licet prior sententia, iuris communis tenore inspecto, vera sit; nunc tamen secunda amplectenda est ob iura peculiaria. Sacrarum Congregationum decisiones referunt Farin. in additionibus ad consilia Navarri consil. II. tit. de iureiur. Diana Part. V. tract. xiv. resol. 23. Denique Cardinalis Bellarminus in notis ad Concil. cap. XII. n. 7. hæc scribit. Quod iuramentum professionis est corporaliter praestandum, ut tradunt Doctores in cap. Ego N. de iureiurando: ubi Abbas num. 6. Plat. Lib. I. decis. xlii. Et sic oportet profitentem presentem esse. Alioquin non poterit dici corporaliter illam professionem praestare, idest coram Capitulo, & Episcopo. Plat. dicta decis. xlii. Professio fidei non potest fieri per procuratorem. Plat. decis. lxxvii. in dicta Carthaginensi fructuum dicens ita fuisse resolutum per illusterrimos Cardinales interpret. Sac. Cong. Concil. Trident.

XV. Exscribenda nunc est forma professionis fidei emittendæ quam Pius IV. edidit, habeturque in Bull. Tom. II. constit. 88. quæ est eiusmodi. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Symbolo fidei quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terre, visibilibus omnium, & invisibilibus. Et in unum Dominum IESUM CHRISTUM Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in caelos, sed & ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen. Apostolicas, & ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesie observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera, & propria sacramenta novæ legis a IESU CHRISTO Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, & Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesie ritus in supradictorum sacramentorum solemnibus administrationibus recipio, & admitto. Omnia, & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistico sacramento esse vere, & realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini nostri IESU CHRISTI, ferique conversionem totius substantiæ panis in corpus, totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum CHRISTUM, verumque sacramentum sumi. Constantem teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis liberari. Similiter & Sanctos,

una cum CHRISTO regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & venerandas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem imperiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem affirmo. Sanctam catholicam, & apostolicam Romanam Ecclesiam matrem, & magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac IESU CHRISTI Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reicio, & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in presenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam usque ad extremum vite spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere, & confiteri, atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, tenere, & doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac iuro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

CAPUT XIV.

De præcepto fidei negativo, & de eiusdem transgressionibus.

I. DICTUM supra est, præceptum divinum adfirmans res fidei, includere præceptum negans quo prohibetur negare fidei articulos. Explicato igitur præcepto adfirmante tum divino, tum ecclesiastico, consentaneum est ut hoc quoque præceptum negativum exponamus. Et in primis dari hoc præceptum negans, illudque obligare semper, & pro semper ad non negandam exterius fidem, certum est. Qui negaverit me (inquit Christus Matth. x.) coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Si negaverimus, & ipse negabit nos, Paulus II. ad Timotheum. II. Et hoc docent Catholici omnes contra Priscillianitas, & alios hæreticos. Quod præceptum ipso iure naturali fulcitur. Qui enim fidem veram negat, cultum Deo debitum subtrahit;

trahit; quin Deum ipsum, qui fidei arcana revelavit, de medio tollit: quod clarius exponi potest. Aut enim externa fidei negatio correspondet internæ abiurationi, aut secus. Si dum fides exterius negatur, simul interius respuitur; patet hanc esse infidelitatem suapte natura malam. Si fides interius servetur, solumque exterius negatur ob tormentorum atrocitatem, aut alias rationes cogentes; mendacium committitur, quod pariter genere suo peccatum est. Idque a nemine Catholicorum in dubium vocatur. Omnes fatentur, nullo umquam casu licitum esse, etiam morte acerbissima imminente, fidem negare sive expresse, sive tacite, & interpretative, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive facto aliquam falsam sectam simulando: etiam si intus in corde veram Christi fidem quis firmiter retineret. Ad maiorem porro perspicuitatem sequentes instituiam quaestiones.

II. Quæst. I. Negaret ne fidem qui negaret se esse Christianum, aut Papistam? R. D. Augustinus huic quaestio respondet tractat. cxlii. in Ioan. sub initium. Sane in ista, quæ iam coapta est, negatione Apostoli Petri debemus advertere, non solum ab eo negari Christum qui dicit, eum non esse Christum; sed ab illo etiam qui, cum sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro: Discipulum meum te negabis; sed me negabis. Negavit ergo ipsum, cum se negavit eius esse discipulum. Quid autem aliud isto modo quam se negavit esse Christianum? Qui enim, inquit Augustinus, negat se esse Christianum, negat ipsum Christum, cuius fide Christianus appellatur. Idem dicendum de eo qui negaret se esse Papistam, Romanensem, aut Pontificium, dummodo interrogatio fieret ab hæreticis ad religionis notitiam investigandam: si enim fieret interrogatio ad deprehendendam patriam, nationem, & ob similes rationes ad fidem, vel religionem minime pertinentes, ut cum barbari interrogant, num hostes eorum sint Christiani, tunc negare se Christianum, non esset negare fidem Christi, cum interrogatio quovis alio quam fidem spectaret. Hoc commune est apud Auctores.

III. Quæst. II. Negaret ne fidem qui rogatus Turca ne sit, an Lutheranus, affirmaret? Resp. Si interrogatio intuitu religionis fiat, dubio procul fidem negaret. Quia idem valet dicere, se Lutheranum, aut Turcam esse, ac negare se esse Christianum catholicum: qui autem negat se Christianum esse, Christum negat. Si autem interrogatio eo

pertineret ut interrogans sciret, esset ne Hollandus, Anglus, Batavus, seu alterius nationis; tunc si responderet interrogatus, se esse Lutheranum, id est Anglum, aut Hollandum, aut Constantinopolitanum, nullo modo fidem negaret, cum de fide nullus esset sermo. Hæc quoque opinio communis.

IV. Quæst. III. Peccaret ne contra fidem qui negaret se esse Clericum, Sacerdotem, Religiosum? Resp. Negativa opinio communis est: quia hoc non est negare fidem; sed minus quoddam professionis fidei: & stat esse Christianum catholicum absque Clericatu, & Sacerdotio. Addunt Salmanticenses cum Suarez, Caietano, Azorio, Palao, id fieri posse absque culpa veniali mendacii, nedum si ne peccato contra fidem. Leander assignat etiam disp. iii. quæst. xxiii. formam verborum, quibus absque levi culpa mendacii possit Clericus negare se esse Clericum, dicendo: Non sum Clericus, vel Sacerdos, ut teneat tibi dicere: quæ tamen ultima verba intus in mente occulta servat. Quam restrictionem puram putamque mentalem amphibologiam vocat. Quare præfati Auctores utuntur doctrina restrictionis pure mentalis, quæ nunc ab Ecclesia damnata est; ideo caute legendi sunt. Dicimus ergo, Clericum qui negaret se esse Clericum, utique contra fidem non peccare. Addimus, posse silentio, aut aliqua externa amphibologia, si occurrat, interrogationem sibi factam eludere. Contra si negaret se esse Clericum, interius subintelligendo, ut tibi dicam, peccaret peccato mendacii, ut alias fufius demonstrabimus.

V. Quæst. IV. Licetum ne est vitanda mortis causa adolere thus idolo, genuflectere, aliaque similia religionis signa exhibere, dummodo illibata in corde fides servetur? R. Quando actiones externæ suapte natura religionem sapiunt, numquam licite exerceri possunt ad protestandam venerationem erga idolum. Porro adolere thus, flectere genua ante idolum &c. sunt actiones quæ suo genere institutæ sunt ad cultum offerendum idolo. Nullam quippe aliam exteriorem significationem habent. Sed offerre cultum idolo peccatum est contra præceptum fidei. Ergo peccatum etiam est eidem thus adolere, aut genua flectere, quod actiones istæ superstitiosum cultum ita redoleant, ut nulla possint interiori intentione purgari. Et hæc opinio communis est.

VI. Obiici tamen solet ex Adriano in IV. tract. i. de baptis. quæst. i. art. i. ad 5. & Lor-

Lorca disp. xxiv. membr. i. Naaman Syrus ad veram fidem conversus petiit ab Eliseo licentiam ut cum suo Rege genua flecteret idolo Remmon: cui Eliseus respondit: *Vade in pace* IV. Reg. v. II. Iehu simulavit, se velle sacrificium offerre Baal, quod approbasse Deum legitur IV. Reg. x. *Quia studiose egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis*. III. D. Paulum circumcidisse Timotheum, legitur Act. xvi. IV. Simulatio materialis non est peccatum. Ergo &c.

VII. Resp. Ad primum dicitur, falsum esse Naaman licentiam petiisse cultum exhibendi idolo, sed inserviendi domino suo Regi, cui civilis servitutis signa exhibebat in templo, quemadmodum in aliis locis. Ad II. hanc exhibet responsum D. Thomas 2. 2. quæst. cxi. art. 1. ad 2. *Simulationem vero Iehu non est necesse excusari a peccato, vel mendacio: quia malus fuit, utpote ab idololatria Ieroboam non recedens. Commendatur tamen, & temporaliter remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal*. Quam responsum hausit Angelicus ex D. Augustino *Lib. contra mendacium cap. ii.* quibus subscribunt communiter Theologi: quidquid in oppositum Lugo scribat disp. xiv. sect. v. cuius confutationem brevitate gratia omitto. Ad III. dico, circumcisum Timotheum fuisse tempore quonondum promulgata erat evangelica lex, & consequenter mosaica cæremoniæ licite adhuc servari poterant. Quod postremo loco dicitur, verum habet, quando simulatio materialis re ipsa est. Negamus vero quod flectere genua, & thus adolere simulacro, simulationis materialis fucio deliniri possit. Sunt quippe actiones eiusmodi absolute superstitiosæ, falsumque cultum redolent.

VIII. Quæst. V. Est ne licitum falsæ religionis cæremoniis usurpare, non qua tales, sed ob finem honestum, puta circumcisionem penitentiae causa? Resp. Quando aliqua cæremoniæ sunt suapte natura veluti tesserae alius religionis, redolentque absolute cultum superstitiosum, numquam usurpari valent neque licite evadere possunt ob quemcumque finem honestum: sic nullo modo licet devotionis titulo circumcisione, aut agni paschalis esu uti, quod antiquatæ religionis signa sunt; hocque commune est penes Theologos.

IX. Quæst. VI. Licetum ne est Catholicis vestibus, signisque propriis infidelium suam fidem occultare? Resp. Sub varia acceptione infidelium vestes considerari queunt. Primum vestes istæ quandoque insignia sunt nationis,

regni, vel patriæ in qua infideles commorantur, abscisso omni ad religionem respectu: quemadmodum inter ipsos Catholicos alia Italorum, alia Hispanorum, Gallorumque sunt indumenta, absque ullo religionis discrimine. Secundo sunt vestes per se institutæ ad aliquam sectam protestandam, distinguendamque: puta apud Gentiles, Turcasque vestes insignitæ imagine Mahumeti, aut alterius idoli, & apud Iudæos vestis summi Sacerdotis. Tertio infidelium vestes institutæ sunt non ad protestandam religionem, sed ad distinguendos homines unius sectæ ab altera: sic pileus ruber Venetiis, flavus Romæ prodit Iudæos, eosque a Christianis, aliisque infidelibus secernit, ut tobalia distinguit Turcas, & Saracenos. De prima generis vestibus nulla occurrit difficultas. De aliis controversiæ aliqua discutiendæ sunt.

X. Quæst. VII. Licetum ne est propriam occultare fidem infidelium vestibus per se institutis ad falsæ sectæ protestationem? Resp. Adfirmat Azorius *Lib. VIII. cap. xxvii. quæst. iv.* quem sequuntur Coninch, Hurtado, & alii. Dolendum Azorium, virum sane gravem, in sententiam adeo falsam descendisse, & quod peius est, hanc probabiliorum illi vitam fuisse. Contrariam quippe opinionem communiter nunc Theologi docent, potissimum post propositiones damnatas de restrictionibus mentalibus. Quare dicendum, nullo in casu, neque ad mortem vitandam, licitum esse uti præfatis vestibus, quæ per se symbola sunt, & insignia falsæ religionis. Quoniam licet usus talium vestium absolute, suoque genere indifferens sit; attamen posito quod vestes istæ institutæ sunt ad falsam religionem protestandam, iam in morali commercio, seu societate, ita in communi hominum existimatione significant falsam religionem, ut ab hac significatione separari nequeant. Etiam adolere thus idolo, genua flectere, idque genus alia, sunt absolute actiones indifferentes, seu adiaphoræ; attamen, postquam institutæ sunt ad potissima religionis munia exercenda, nullo modo licitæ sunt fidelibus, ut dictum est supra. Quod adeo verum est, ut omnes qui præfatis vestibus indutum hominem vident, incunctanter iudicent, illum talem profiteri sectam, qualem produnt dictarum vestium symbola. Et hæc opinio communis est penes Theologos.

XI. Obiicies. Vestes institutæ sunt ad tegendum corpus, illudque defendendum a temporum iniuriis, simulque ad falsam sectam

etiam significandam. Quidni ergo licitum erit, hac posteriore relicta significatione, ob priorem finem adhibere? Quod confirmatur ex eo quod licitum sit verbis amphibologicis, & infidelium sermone uti.

XII. Resp. Licet vestes absolute acceptæ ad corpus tegendum sint ordinatæ, quando tamen aliquæ vestes non sunt institutæ ad corpus operiendum, vel ornandum, sed primo & per se ad religionis munia exercenda, nequeunt ex personæ particularis eisdem utens intentione a sua primaria significatione reparari. Idem dicimus de verbis quæ ita affixa sunt uni significationi, ut aliam exteriori non admittant. Quod postea aliquando fideles infidelium sermone utantur, extra rem est. Sermo enim suapte natura non est definitivum religionis symbolum. Quod si eiusmodi sermo daretur, idem de hoc ac de vestibus dicendum esset. Advertendum tamen est, quod cum vestes reapse, & per se primo institutæ sint ad corpus operiendum, si circumstantiæ tales sint quæ ostendant usum talium vestium non alio adhiberi sine, nisi ut corpus tegatur; tunc licitus earum esset usus, quemadmodum de verbis dictum alias est, quæ ex temporis circumstantiis peculiariter subeunt significationem. Sic qui spoliatus a latronibus, aut naufragio subductus, nudus existeret, ut nuditatem teget, frigusque repelleret, licite, deficiente quolibet alio indumento, sacerdotales vestes infidelium induere posset. Quoniam eiusmodi vestes, prout designatæ sunt ad religionem profitendam, superinduuntur aliis vestibus, atque ex circumstantiis dignosci potest, sit ne illarum usus vel ad corpus operiendum, vel ad religionem profitendam adhibitus. Itaque illicitus erit talis usus, cum ad simulandam falsam religionem, propriamque veram occultandam adhibetur; secus in casu exposito. Quæ opinio sic explicata communis est.

XIII. Quæst. VIII. Licitum ne est eis uti vestibus quæ institutæ sunt ad discernendos unius sectæ homines ab alia, ut sunt apud Turcas tobaliæ albæ, apud Iudæos pilei flavi, vel rubri? Resp. Licitum id esse, plures Theologi docent, ob iustam causam, puta ut mortis periculum evitetur. Quoniam, inquit, præfatæ vestes non sunt per se primo protestativæ falsæ religionis. Deinde habitus monachalis & operit corpus, & statum religiosum prodit: & tamen secularis ob necessitatem evadendi mortem, illum induere licite valet. Ergo pariter poterit quis per loca infidelium transurus illorum sectæ

propriis vestibus operiri, quin illorum sectam protestetur. Confirmant, quod vestes non sint per se a natura institutæ ad significandum, sed potius ad alios fines, quemadmodum contra voces institutæ natura sua sunt ad exprimendos hominum conceptus: quapropter eisdem in alium finem uti non licet, nisi sint verba æquivoca, quorum usus licitus est ad modo unam, modo alteram rem significandam. Hanc opinionem defendunt Salmanticenses tract. XXI. cap. II. punct. 10. num. 117. & pro eadem citant Bannez 2. 2. quæst. III. art. 2. dub. 2. conc. 3. Valentiam disp. 1. quæst. III. punct. 2. dub. 4. Suarez de fide disput. XIV. sect. v. num. 7. Tapiam Lib. I. quæst. III. art. 7. num. 3. Castropalaum tract. IV. disp. v. punct. 17. Sanchez Lib. II. cap. IV. num. 19. Lugo disp. XIV. num. 73. Gonet disp. VII. art. 2. num. 122. Trullench Lib. I. cap. I. dub. 8. num. 19. Magister Ferre eam probabilem censet. Sporer tract. II. in Decal. cap. II. sect. v. §. 3. n. 34. Antonius a Spiritu sancto tract. I. disp. 1. sect. VI. num. 26.

XIV. Contrariam sententiam defendunt D. Antoninus II. P. tit. XII. cap. VI. Caietanus 2. 2. quæst. III. art. 2. Navarrus cap. II. num. 25. Toletus Lib. IV. cap. II. n. 7. Arriaga disp. XXII. sect. III. num. 20. Becanus cap. IX. quæst. v. num. 35. Leander tract. II. disp. IV. quæst. XXIX. Natalis ab Alexandro Lib. IV. art. 8. reg. 18. Et hanc sententiam eruit ex Tertulliano Lib. de idol. cap. XVIII. ubi narrat Iosephum in Ægypto, Daniele in Babylonia insignia utique dignitatum, quibus ornati erant, induisse; secus vestes quæ religionis falsæ professionem indicabant. *Proprius habitus* (inquit) *uniuscuiusque est tam ad usum quotidianum, quam ad honorem, & dignitatem. Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum, apud Ægyptios, & Babylonios insignia erant dignitatis. . . . Simplex igitur purpura illa nec iam dignitatis erat, sed ingenuitatis apud Barbaros insigne. Quemadmodum enim Ioseph qui servus fuerat, & Daniel qui per captivitatem statum verterat, civitatem Babyloniæ, & Ægyptiam sunt consecuti per habitum barbaricæ ingenuitatis; sic penes nos quoque fidei, si necesse fuerit, poterit & puerilis prætexta concedi, & puerilis stola natiuitatis insignia, non potestatis; generis, non honoris; ordinis, non superstitionis.*

XV. Hæc itaque secunda sententia, si clare, pressequè explicetur, ita certa nobis videtur, ut probabilis altera dici nequeat, Nam

Nam certam penes omnes est, aut esse debet, illicitum esse usum illarum vestium quæ reapse ad falsam representandam sectam sunt institutæ; ita quod qui tales deferunt vestes, communiter talis sectæ professores habeantur. Quare nimium laxa, & falsa prorsus mihi est sententia quam his verbis exprimit Antonius a Spiritu sancto loc. cit. *Immo satis probabile existimo quod ex magna causa, v. g. ad evitandam mortem, victoriam ab hostibus reportandam, posse Christianos uti veste instituta ad profitendam falsam sectam, v. g. veste sacerdotali Turcarum, vexillo ubi depictus sit Mahometus. Ratio est, quia licet signa sint apud Turcas protestativa falsæ sectæ, possunt etiam assumi ad ornatum, vel ad significandam falsitatem sectæ. Hæc, inquam, opinio laxa nimium, & falsa est. Posito namque quod vestes institutæ sint ad profitendam sectam falsam, qui illis utitur, factus, sin verbo, falsam illam sectam profitetur. Porro vestes sacerdotales Turcarum, & vexilla quibus Mahometi figura depicta sit, sunt absolute institutæ ad falsam Mahometi religionem profitendam. Hinc vel ipsi Salmanicenses loc. cit. num. 118. reiciunt hanc præfati Antonii a Spiritu sancto opinionem de licito usu illarum vestium sacerdotium falsæ sectæ, in quibus imago Mahometi depicta sit.*

XVI. Rationes quæ hujus nostræ sententiæ veritatem evincunt, perspicuæ sunt, & principio S. Thomæ ab omnibus admisso nituntur: quod principium hoc est: *Non refert autem utrum aliquis maniat ut verbo, vel quocumque alio facto: 2. 2. quæst. cxi. art. 1.* Qui autem vestes institutas ad discernendos homines unius sectæ ab altera induit, factus ipso profitetur falsam sectam, suamque negat, eo modo ac si verbis eam negaret. Quid refert una, ac altera ratione fidem veram negare, falsamque confiteri? Licitum ne esset turcico sermone Mahometi religionem profiteri, catholicamque negare; latino vero idiomate hanc profiteri, illam repudiare? Dicant adversarii, tobaliæ albæ Turcarum sint nec ne symbola mahometanæ religionis, an tantummodo nationis insignia? Si hoc secundum asserant, nobiscum sentiunt, ut definitum supra est. Si primum adfirmant, non videmus qui fieri possit ut Catholicus valeat tobalias illas albas vulgo turbante deferre. Henricus a S. Ignatio Tom. II. Lib. II. part. 1. cap. xv. n. 207. docet, licite mercatores uti Constantinopoli tobaliis albis morem gentis imitantes, quod per usum

eiusmodi minime se probant Turcas esse, aut Turcarum sectam profiteri. Contendit quippe Auctor iste, præfatam tobaliæ nationis, non religionis, symbolum esse. Quæ res facti cum sit, non aliunde erui potest quam ex communi eiusdem nationis assensu. Nos enim semper circumferri audivimus, & Auctores contrariæ opinionis adfirmant, recensitam tobaliæ signum esse ad turcicam religionem protestandam institutum. Qua positione facta, dicimus, nullo modo licitum esse talia deferre insignia. Nec refert quod vestes genere suo institutæ non sint ad religionem significandam, sicuti verba instituta sunt ad conceptus internos exprimendos. Satis quippe est vestes illas determinatas esse ex communi & universali illius sectæ consensu ad protestandam propriam religionem: satis est homines communiter habere pro talis sectæ alumnis eos omnes qui præfatis symbolis insigniti sunt. Itaque, ut rem totam paucis expediamus, quoties illi qui deferunt vestes unius falsæ sectæ, habentur tamquam professores eiusdem sectæ, quia vestes illæ in communi hominum existimatione sunt symbola, & tesserae quæ illam sectam produunt; tunc illicitus est earum usus: quia tunc vestes illæ non sunt signa æquivoca, sed determinata, ut verba quæ duplicem sensum non excipiunt: atque adeo per se illicitus est earumdem usus. E contrario si vestes nationis tantum insignia sint, licite indui possunt; quamvis aliquis ex earum usu deciperetur, haberetque pro talis sectæ professoribus qui illis utuntur. Sententia sic explicata mihi certa videtur, ab omnibus admittenda.

XVII. Ex his prioris opinionis argumenta corruunt. Quoniam licet vestes per se primo institutæ non sint ad religionis protestationem faciendam; attamen quando determinatæ sunt ad tale munus religionis confitendæ, iam evadunt symbola eiusdem religionis. Vestes monachales non sunt symbolum religionis distinctæ a religione christiana, sed status tantum perfectionis eiusdem; idcirco secularis homo induere illas vestes potest, urgente necessitate; nec enim falsam religionem simulat, sed veram, quam amplecti & ipse potest. Quod obiiciunt de verbis æquivocis, ex dictis solum remanet.

XVIII. Hinc colliges, Christianos exploratores in bello contra Turcas, infideles, & hæreticos posse idiomate, & vestibus uti earumdem sectarum, dummodo, ut dictum est, nationis, non religionis, symbola sint.

Tunc vero religionis, non nationis signa dicenda sunt, si imagines Mahometi, Mercurii, alteriusve falsi numinis depictæ fuerint, ut docent Azorius *Lib. VIII. cap. xxvii. quæst. vi.* Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. iv. n. 23.* Fagundez *Lib. I. cap. vii. num. 12.* Castropalaus *punct. xvii. n. 5.* Bonacina *disp. III. quæst. II. punct. III. num. 20.* Trullenchi *Lib. I. cap. I. dub. 8. num. 1.* Leander *disp. III. quæst. xxxii.* Opposita opinio Layman, Diana, Hurtadi, mihi probabilis haud est. In eandem propendere videntur Salmanticensis, asserentes posse præfatas imagines adhiberi tamquam fabulosa ornamenta; quod falsum reputamus, dum reapse habentur pro symbolis sectæ falsæ.

XIX. Quid si Principes infideles iuberent deferri in suis principatibus aliquam vestem in signum falsæ fidei? Non possentur conscientia Catholicis talibus operiri vestibus, communis est Theologorum sententia, neque vitandæ mortis causa. Quod verum est, etiam si præceptum istud solos infideles spectaret. Quoniam lata Principis lege, vestis illa efficitur falsæ religionis symbolum, seu tessera qua infideles a fidelibus fecernuntur.

XX. Quæst. IX. *Licite ne ingredi infidelium, Iudeorum, & hæreticorum templa Catholici valent?* Resp. Sermo est de templis, quatenus domus sunt in quibus religionis officia peraguntur. Nam de ingressu in eadem templa, prout habitacula sunt in quæ se recipi homines possunt ad declinandas temporum iniurias, hostium persecutiones, aliaque id genus incommoda; item ad peragenda civilia negotia, ut quando Senatores catholici una cum hæreticis ingrediuntur, ut civitatis, aut principatus regimini consulant, nulla est difficultas. Eiusmodi quippe ingressus materialis est, quod non sit in templum religionis gratia, sed rerum temporalium causa: neque tunc consideratur ut religionis sacrarium, sed ut palatium, negotiis civilibus tractandis commodum.

XXI. Ad quætionem ergo responderetur, licitum esse iustis occurrentibus causis ingredi templa hæreticorum, synagogas Iudeorum, & infidelium, eo quod talis ingressus non sit protestatio religionis, ut communis obtinet usus. Cum enim religionis professio in facto sita, penes humanum existimationem accipienda sit; quando communiter homines, sive fideles, sive infideles, actionem aliquam non reputant tamquam religionis symbolum, actio illa adia-

phora est, & licita. Cur enim diximus, vestium falsæ sectæ usum illicitum esse, nisi quia communiter homines pro alumnis, & professoribus talis sectæ illos habent qui similes induunt vestes? Cum ergo e contrario non iudicent Iudeos, qui synagogas, nec hæreticos, qui istorum templa intrant; planum est ingressum istum licitum esse, si ratio honesta adsit, & absint pericula. Quadruplicem assignare causas solent Doctores. Prima, ne ulla sit in ritibus, caeremoniisque communicatio. Secunda, ne ullum a vera fide defectionis subsit periculum. Tertia, ne Catholicis offendiculi occasio sit talis ingressus. Postrema, ne ingressus iste frequens sit. Nam frequentia isthæc vehemens iudicium esset talem profitendi religionem. Qui enim videt aliquem frequenter adire templum in quo solemnia persolvuntur religionis officia, prudenter colligit, hunc illam profiteri religionem cuius munia in illo templo exercentur. Præterquamquod talis frequentia vix reputari a perfidiæ periculo immunis valet. Nec prætextus curiositatis valida defensio est. Quippe ob solam curiositatem se periculo desciscendi a fide committere, peccatum est. Et quamvis hoc periculum non experiri tibi videaris, non ob id tamen a crimine liber es: inest namque tali frequentia periculum istud, in illudque incidens, antequam præcognoscas. Et hæc sententia communis est.

XXII. Quæst. X. *Quid si Princeps hæreticus præciperet ut Catholici suæ ditioni subiecti hæreticorum templa frequentarent religionis causa?* Resp. Mortem potius oppetere debent Catholici, quam simili parere decreto. Quoniam ingressus iste, iustus religionis titulo, esset eiusdem falsæ sectæ publica protestatio. Accederet periculum subversionis huic ingressui annexæ, scandalum Catholicorum, hæresis gloria, ac veluti triumphus, quem hæretici canerent. Quin parendum minime foret, etiam si decretum civile tantum subiectionem pro causa talis ingressus allegaret: quia licet verbis illudentibus deliniret impiam inssionem, reapse tamen aliter res se haberet: mentiretur namque iniquitas sibi. Desunt ne innumeræ aliæ rationes probandi subditorum civilem obedientiam? Quid, quæso, attinet ad civilem subiectionem audire conciones in templo hæreticorum, & ibidem precibus Deo oblati interesse? Quare consultus summus Pontifex Paulus V. a Catholicis Anglis super hæc anno 1606. hanc dedit responsum, quam

refert Suarez *Lib. VI. in fidei defensione sub initium: Accipimus namque, compelli vos gravissimis pœnis propositis templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. . . . Nihilominus zelo pastoralis officii nostri impulsus, & pro paterna sollicitudine qua pro salute animarum vestrarum assidue laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurritis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento Dei cultus, & salutis vestre.* Et hanc sententiam communiter Theologi docent.

XXIII. Quæst. XI. *Extrema urgente necessitate, licitum ne est hæreticorum templa adire ad suscipiendum baptismum, aut penitentia sacramentum, ministris catholicis deficientibus?* Resp. De baptismum nulla est difficultas, cum iam certum sit baptismum ab hæreticis collatum validum esse. Baptismus quippe Calvinistarum, Lutheranorum non est peculiaris ritus talis sectæ, sed universæ Ecclesiæ christianæ. Idem dicendum foret de aliis sacramentis penitentia, extremæ unctionis, & eucharistiæ, posito quod eiusmodi sacramenta hæretici habeant, riteque administrent. Nam si de Lutheranis, Calvinistis, aliisque recentioribus transfugis sermo sit, certum est illos præfata sacramenta non habere: idque pluribus rationibus evinci possit; sed non est huius loci. Nec enim Sacerdotes habent qui conferent elementa, neque rite illa tractant. Quin si Sacerdotes haberent, cum minime credant, intendantque vere Christi corpus sub sacris symbolis vi consecrationis poni, ut Calvinistæ, vel solum corpus Christi ibidem existere, ut Lutherani; non licet ullo in casu hoc sacramentum ab illis petere. Cetera autem sacramenta Ecclesiæ Romanæ ne agnoscunt quidem, sed de albo expunxerunt sacramentorum. Idcirco frustra, & illicite præfata sacramenta ab illis peteres. Secus dicendum, si adessent veri Sacerdotes, tametsi suspensi, excommunicati, degradati, quin & hæretici: licitum enim esset in mortis articulo ab illis sacramenta omnia quæ per eosdem recte, & valide administrarentur, suscipere. Denique amicitia causa haud est illorum illicitum interesse nuptiis, funeribusque; dummodo nulla sit in ritibus caeremoniisque quæ religionem redolent, communicatio. Et hæc omnia communia sunt.

XXIV. Quæst. XII. *Licitum ne est com-*

dere cibos idolis consecratos? Resp. Panis, fructus, vinum, carnes, & cetera id genus, quæ idolis consecrata sunt, nuncupantur idolothyta. Communis sententia docet, extrema necessitate famis urgente, comedatur idolothytorum licitam esse, dummodo species absit superstitionis, scandalum, falsæque sectæ cultus. Idque ex D. Paulo eruitur, qui I. ad Corinth. x. 25. inquit: *Omne quod in mercato veni, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. . . . Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Idolothytum hic prohibet ob solum alterius scandalum vitandum, ut clarius explicat cap. VIII. vers. 7. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte forte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Utrobique scandalum, seu offendiculum infirmorum vitandum in comestura idolothyti inculcat. Ergo, scandalo sublato, esus, causa urgente, licitus est. Quod confirmat Angelicus in IV. dist. xxxviii. quæst. II. art. 4. quæstionc. 3. ad 3. *Satius est fame mori quam idolothyto vesci, scilicet cum scandalo: quia primum est malum pœnæ, secundum malum culpæ. Non tamen debet aliquis se dimittere fame mori, antequam cum scandalo idolothytum comedat, quia iniiceret sibi manus, & sic cum malo pœnæ adiungeretur malum culpæ. Ratio clara est. Cibi enim instituti a natura sunt ad corpus alendum: spreta ergo infidelium superstitione licitus erit eorumdem esus qui nullo modo habetur tamquam protestatio falsæ sectæ. Ad id quod obici solet ex Actibus Apostolorum cap. xv. ubi iubentur fideles abstinere ab immolatis simulacrorum, a sanguine, & suffocato, respondet D. Thomas I. 2. quæst. ciii. art. 4. ad 3. præceptum illud iam cessasse, cum Iudeis impositum fuerit ob periculum prolabendi in idololatram. Ideo ista prohibita fuerunt pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles, & Iudeos. Procedente autem tempore, cessante causa, cessavit & effectus, manifestata evangelicæ doctrinæ veritate, in qua**

Dominus docet, quod nihil quod per os intrat, coquinat hominem, ut dicitur Matth. xv. Solet etiam opponi Augustinus epist. cliv. ubi revera docere videtur, subeundam potius mortem esse quam idolothya manducare. Sed communiter Doctores Augustinum interpretantur solum consulere, christiana virtute reiicienda esse idolothya, etiam si oppetenda mors esset; minime id præcipere.

XXV. Quæst. XIII. Catholici per regiones hereticorum peragrantes possunt ne diebus vetitis carnes manducare, ut evitent vitæ, aut alterius gravis damni periculum? Resp. Quod necessitate sublata, nequeant carnis vesci Catholici diebus vetitis, planum est. Ubi quæque enim reperiantur, servare Ecclesiæ præcepta debent. Item quod ad evitandam mortem, aliudve grave incommodum possint absolute vesci carnis diebus, convenit inter Theologos: quia præcepta Ecclesiæ cum vitæ dispendio, aut gravissimo damno non obligant. Quandoquidem esus carnis non est fidei catholice abnegatio, aut falsæ sectæ protestatio. Immo apud ipsos Catholicos dispensatio ab his præceptis facile conceditur ad evitandum grave damnum.

XXVI. Difficultas ergo est non levis, num licitas sit carnis esus die veneris apud illos hereticos qui carnis comesturam tali die instituerunt ad profitendam propriam falsam sectam; ut in more habent Angli die veneris carnes comedere ad religionem calvinianam solemniter profitendam. Negant plures Doctores: quia qui talibus diebus comedunt carnes, heretici reputantur. Quippe licet cibi illi corpus reficiant, eo tamen die potissimum religionis falsæ protestationem significant: ergo illiciti dicendi sunt. Hanc opinionem defendunt Hurtado *disp. ix. diff. 10.* Oviedo *controv. VIII. punct. 6. n. 80.* Valentia *2. 2. disp. VII. q. xv. punct. 6. q. iv. cas. 2.*

XXVII. Altera sententia licitum defendit talem carnis esum, eo quod carnis manducatio primo & per se instituta, & ordinata sit ad corpus reficiendum. Quod autem a Calvinistis detorqueatur esus talis cibi ad propriam sectam profitendam, nihil impedit quominus possit urgente necessitate servandæ vitæ absolute adhiberi; dummodo scandalum, & religionis catholice contemptio absint. Et hanc sententiam defendunt Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. iv. num. 25.* Azorius *Lib. VIII. cap. xxvii. quæst. III.* Lugo *dis. xiv. sec. v. num. 104.* Sal-

mantenses tract. XXI. cap. II. punct. II. §. 2. n. 130. & pro eadem laudant Lyram, Abulensem, Palaum, & alios.

XXVIII. Ambæ sententiæ, ut ego quidem arbitror, conciliari possunt, si dicamus, licitum esse talium carnis esum præfata die, facta positione quod eiusmodi manducatio reapse non sit professio falsæ sectæ. Hinc qui manducaret illas carnes solus privatim absque cuiusquam scandalo, non est ambigendum, quin licitus esset talis esus, urgente causa. Contra si publica esset comestura, si videntes pro heretico haberent edentem; tunc illicitus esus foret. Et hoc a nemine negari valet. Attendendæ ergo sunt circumstantiæ, ut esus licitus ab illicito secerni queat.

XXIX. Quid si tyrannus in contemptum catholice religionis esum carnis diebus ab Ecclesia vetitis præciperet sub pœna mortis? Tunc subeunda mors foret potius quam in contemptum religionis christianæ carnes comedere. Quoniam divina lege attingimur vitare religionis catholice contemptum: idque commune est penes Theologos.

XXX. Quæst. XIV. Negaverunt ne fidem Christiani tertii sæculi, qui libellatici dicebantur? Resp. Libellatici ii Christiani dicti sunt qui ne idolis thus adolere urgerentur, pecuniam, sive aliud munus ethnicis magistratibus dabant, & ab iisdem libellos accipiebant pro se, suisque, quibus a satellitum furore liberabantur. Duplicis generis fuerunt. Alii, qui, ne fidei causa torquerentur, aut ad magistratus traherentur, muneribus a magistratu obtinebant libellum, in quo dicebatur, libelli possessores idolis sacrificasse, atque Imperatorum edictis paruisse: non esse subinde amplius fidei causa molestos. Istius generis libellaticos gravissimi sceieris reos, & veluti idololatras, improbarunt Patres. Tertullianus *Lib. de fug. in persec. cap. XII.* & XIII. D. Cyprianus *epist. xv. ad Prostyt. & Diacon.* Posterioris generis libellatici verentes, ne propria imbecillitate in tormentis deficerent, magistratibus pecuniam dabant, a quibus libellum obtinebant, in quo magistratus imperabant militibus, suisque ministris, ne latores libelli comprehenderent fidei causa; minime vero testabantur, ut primi, præfatos Christianos idolis sacrificasse, vel paruisse Imperatorum edictis. Libellatici isti nullum crimen perpetrabant. Licitum quippe est pecunia iniustam redimere vexationem, & persecutionem. Ea siquidem ratione qua fugere perse-

cutionem licitum est, licet quoque eidem se pecunia subducere. Istius rei exemplum habetur in Actibus Apostolorum *cap. xvii.* ubi Iason, alique Pauli discipuli ab Ethnicorum vexatione pecunia sese liberarunt. Ob hanc rationem Christiani captivi propter fidem donare carcerum custodibus pecuniam possunt, ut abire liberi permittantur; dummodo id absque scandalo fieri possit. Si tamen fuga argumentum esset negationis fidei, tum illicita foret. Hinc reputatus fuit fidei defensor focus quadraginta Martyrum, quod e gelido balneo in tepesfactum transierit. Quoniam ingressus in balneum tepesfactum præfixus a tyranno erat in testimonium, & argumentum negatæ fidei.

CAPUT XV.

De præcepto confitendæ doctrina quamores regit, & appetitiones moderatur. Graviter peccant non modo ii qui fidei mysteria, verum etiam ii qui morum præcepta publice coram Catholicis fateri erubescunt.

I. Summi momenti veritatem explicare aggredimur. Præceptum profitendæ fidei coram tyrannis cum vitæ dispendio, atque omnium tormentorum contumptione suo calamo Theologi docent, illudque frequenter Christiani in ore habent. Parum nunc illis hoc mandatum incommodat, quod iam defecerint tyranni, atque catholice religionis acerrimi persecutores: Hinc mirum haud esse debet, si voce eiusmodi mandatum prædicent, suscipiant, & eiusdem obligationem fateantur. Verum quo fortiores videntur ad fidei confessionem iactandam, eo sunt imbecilliores in morum doctrina publice, occasione data, confitenda: quin plurimi eo devenerunt, ut penitus ignorent debitum istud. Sciamus ergo necessum est, præceptum confitendæ fidei non modo obligare fideles ad confitendos exterius articulos, seu mysteria illa quæ mente percipiuntur, quæque speculativa vocari solent; verum etiam ad mandata quæ mores nostros regunt, & moderantur. Integrum enim Evangelium publice fateri vi professionis nostræ attingimur. Evangelium autem tum fidei, tum morum præcepta continet. Audiamus Christum ipsum loquentem *Luc. cap. ix. vers. 26. Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua.* Item *Matth. x. vers. 32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*

qui in celis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in celis est. Cornelius a Lapide ad cap. ix. Luc. vers. 15. Qui me erubuerit, inquit, ut pudore, aut metu Regum, Principum, tyrannorum, vel parentum, & amicorum, meam fidem neget, vel me confiteri non audeat, aut meis legibus obedire veretur, quasi eum pudeat humilitatis crucis, & crucifixi Christi; hunc vicissim Christus erubescet. D. Gregorius Magnus hom. xxxii. num. 5. explicans textum D. Lucæ, hæc habet. Sed ecce nunc apud se homines dicunt: Nos iam Dominum, & sermones eius non erubescimus, quia aperta eum voce profitemur. Quibus ego respondeo, quod in hac plebe christiana sunt nonnulli qui Christum ideo confitentur, quia cunctos christianos esse conspiciunt. . . . Nam si nomen Christi in tanta hodie gloria non esset, tot professores Christi Ecclesia non haberet. . . . De eo se quisque interroget, & in confessione Christi se veraciter probet, si non iam nomen eius erubescit, si plena virtute mentis humanam pudorem subdidit. Certe enim persecutionis tempore erubescere poterant fideles, substantiis nudari, de dignitatibus deici, verberibus affigi; pacis autem tempore, quia hæc a nostris persecutoribus desunt, est aliud unde ostendamus nobis. Veremur sæpe a proximis despici, indignamur iniurias verbi tolerare. Si contingat iurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere: cor quippe carnale, dum huius vitæ gloriam querit, humilitatem respuit. . . . Pensemus facta veritatis, & videamus quo iaceant nostræ pravitate actiones.

II. Plurima hoc de argumento habet Augustinus variis in locis. Ser. I. in Psalm. lxxviii. *Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo: profusus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis obarnaasti?* Longius hac de re disputat in Psalm. xxxix. *Sunt enim Christiani, habent fidem in corde, & inter Paganos amavos, misere urbanos, sordidos, infideles, inaptos, insultatores, si exagitari cœperint, quia Christiani sunt, habent in corde fidem, & timent confiteri per labia; prohibent labia sua sonare quod norunt, sonare quod intus habent. Sed reprehendit hos Dominus: Qui me confessus non fuerit coram hominibus, confundar de illo quia erubuit me confiteri coram hominibus, coram Patre meo; id est, non eum agnoscam: non eum confitebor coram Patre meo. Dicant ergo labia quod habet cor: hoc contra timorem habeat cor quod dicant labia; hoc contra simulationem*

labia; hoc contra habeant labia quod credit cor. Aliquando enim timor est, & non audeo dicere quod nosti, quod credis. Aliquando simulatio est: dicis, & non habes in corde. Consentiant labia tua cordi tuo.

III. Verum missis nunc innumeris sanctorum Patrum textibus, lubet pressius explicare textum evangelicum ore ipsius Christi Domini prolatum: *Qui me erubuerit, & sermones meos. Qui me erubuerit.* Non dicit Christus: *Qui erubuerit confiteri Divinitatem, Trinitatem, Unitatem Dei, & alia innumera splendida, & divina arcana, quæ mentem nostram illustrant; sed qui me erubuerit, id est me hominem humilem opprobriis plenum, persecutionibus exagitatum, crucifixum, mortuumque.* Qui erubuerit sermones meos, videlicet mandata, & consilia mea, quibus dilectionis mutua fœdera, poenitentia, austeritatis, contritionis, omniumque virtutum exercitia præscribo. *Qui me erubuerit coram hominibus; nempe qui publice, ac in totius mundi conspectu erubuerit exequi præcepta mea, & labiis fateri; & prædicare sermones meos, doctrinam meam, meamque veram morum legem, omni abscisso respectu: qui notam Rigorismi veritatis fuerit ob Moralis evangelicæ iustam, veramque defensionem: & ego omnes istos erubescam coram Patre meo; id est, eos, ceu desertores religionis meæ, indignos reprobabo.*

IV. Hinc ergo collige, præceptum istud externæ confessionis non minus iubere mysteria fidei quam præcepta morum profiteri opere, & verbo, prout occasio fert. Plurimi hodie doctrinam evangelicam, quæ appetitiones nostras cohibet, virtutum exercitia præcipit, confiteri publice ore, nedum palam exequi opere, pudori sibi vertunt. Quoties prævident christianæ legis veritates propriis rationibus incommodas, minusque suis placituras a quibus sperant quidquam se consecuturos fore; aut silentio prætereunt, aut ambiguis verbis involvunt, aut fucis, & lenociniis deliniunt, temperant; & ad aures hominum, gratiamque captandam inflectunt. Quid, quæso, iuvat religionem, eiusque arcana publice ostentare; si moralia eiusdem præcepta erubescis, si doctrinæ sinceritatem adulterare, & Ethicæ christianæ austeritatem pigmentis, fucisque offuscare contendis? Heu quam frequenter cuiusque conditionis homines in hoc delinquant mandatum! Modo loqui Dei sermones, occasione data, illos pudet; nunc mundanis

illecebris, voluptatibus, ludis, choreis, aliisque insanientis mundi ludicris spectaculis interveniunt, ne videantur nimis severi, sed ut blandi, mites, & in omnem formam ductiles appareant. Doctrinam evangelicam temporum, & personarum conditioni accommodant. Iustitiæ partes implere negligunt, ne amicis displiceant.

V. Peccatum hoc adversus præceptum confitentæ christianæ Theologiæ quæ mores spectat, perniciosius non raro est ipso crimine contra præceptum confitentæ fidei. Utrique crimen fidei confessioni oppositum gravissimum est, & quocumque flagitio, contrario tantum præceptis moralis doctrinæ, scelestius; si utrorumque natura absolute spectetur: ceterum si damna, scandala, poenitendi difficultatem, aliisque innumera mala, quæ peccatum erubescendi publicam confessionem Ethicæ evangelicæ consequuntur, serio animo reputentur, scelus conspicimus immanissimum. Meditare paullisper, quot mala profluant ex vano illo timore iustitiam sive commutantem, sive distribuentem, sive vindicantem administrandi, & publice exequendi, ne amicis, patronis, parentibus displiceas, neve ambitioni tuæ, tuisque rationibus præiudicium aliquod quod futurum prævides, inferas. Hinc sane innocentum oppressio, viduarum, pupillarumque lacrymæ, & singultus; furta, rapinæ, peculatus, homicidia impunita. Quæ immensa damna compensare tenetur is qui sui officii, & professionis vi invisito pectore tenetur publicæ iustitiæ partes sustinere.

VI. Recogita insuper, quæ crimina perpetrant, quam animarum stragem pariunt Doctores illi qui arcam Iesu Christi viam manifestare; morum doctrinas evangelicam severitatem præferentes, mundanisque hominibus infestas prædicare verecundantur, ob inanem respectum conturbandi, irritandique illos a quibus sibi aut timent, aut sperant. Quid de illis dicendum qui veritatem agnoscetes, eam in corde occultant, labiisque fateri erubescunt, ne irrideantur ab hominibus, quive doctrinis novis & peregrinis, desiderii carnalibus, cupiditatibus avaritiæ indulgere student, ut auram popularum aucupentur? Si fidei arcana erubescere in conspectu tyranni tormenta atrocissima, ipsamque mortem crudelissimam minantis, maximum scelus est; leve ne crimen erit, si coram ipsis Catholicis fateri, & exequi evangelica mandata non ausis; non ut mortem, vel sæva tormenta declines, sed

ne sustineas aut unius verbi irrisionem, aut maledicorum detractiones, aut amicorum despectum, & contemptum, aut consanguineorum iram, & indignationem?

VII. Igitur ut mundi timores inanes, vanoque respectu contemnere, ut terrena floccifacere, ut carni, & sanguini te opponere valeas ob iustam necessitatem evangelicam doctrinam manifestandi, promendi, factam tectamque tuendi, animo tuo altius hæc Scripturarum oracula infideant: *Nolite time-*

re eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam: Matth. x. An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: ad Galat. i. Mihi pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die: ad Corinth. I. iv. Ipsi de mundo sunt; ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit: nos ex Deo sumus: I. Ioann. iv.

DISSERTATIO II.

DE INFIDELITATE EJUSQUE VARIIS SPECIEBUS.

C A P U T I.

Varia infidelitatis acceptio. Tres sunt eiusdem species, paganismus, iudaismus, & hæresis.

I. **T**Riplex est infidelitatis acceptio. Primo accipitur negative, secundo privative, tertio positive seu contrarie. Infidelitas negativa est mera fidei carentia in eo cui fides annuntiata nullo modo est, aut saltem sufficienter prædicata non est. Hæc poena, non peccatum est, ut inquit D. Thomas 2. 2. quæst. x. art. 1. *Si autem accipiatur (infidelitas) secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audiverunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenæ: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata quæ sine fide remitti non possunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.* Hinc est quod sequens propositio proscripita ab Ecclesia est: *Infidelitas pure negativa in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

II. Privativa infidelitas est carentia fidei in eo qui aut fidei mysteria non vult audire, vel sufficienter sibi propositis assensum præstare recusat, cum debet; quamquam nec re ipsa positive dissentiat, nec errorem directe contrarium propugnet. Hæc infidelitas dubio procul peccatum est: qui enim omittit id quod debet, & potest, peccat. Potest autem credere, cum fides sufficienter sibi proposita est: tenetur quoque credere.

Ergo, dum credere negligit, omittitque, peccat peccato infidelitatis privativæ.

III. Infidelitas contraria, & positiva est carentia fidei in eo qui fidei sibi sufficienter propositæ positive resistit, negando quidquam ad fidem pertinens, aut errorem fidei contrarium defendendo: & hoc est proprie infidelitatis crimen, inquit Angelicus loc. cit. *Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem; quia scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, secundum illud Isaia IIII. Quis credidit auditui nostro? Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis: & secundum hoc infidelitas est peccatum.* Hoc autem peccatum gravissimum est, quia per infidelitatem fundamentum aufertur aliarum omnium virtutum, & radix præciditur iustificationis, ut subdit Angelicus 2. 2. q. clxii. art. 7. *Sicut fides est prima virtutum; ita infidelitas est ultimum peccatorum, ad quod homo quandoque per alia peccata perducitur.*

IV. Descriptæ infidelitatis, quæ peccatum est, triplicem speciem D. Thomas assignat 2. 2. quæst. x. art. 5. *Cum enim peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter. Quia autem renititur fidei nondum susceptæ; & talis infidelitas est Paganorum, seu Gentilium: aut renititur fidei christianæ susceptæ, vel in fi-*

gura; & sic est infidelitas Iudæorum: vel in ipsa manifestatione veritatis; & sic est infidelitas hæreticorum. Unde in generali possum assignari tres prædictæ species infidelitatis. Hæc infidelitatis vitia specie distingui communiter D. Thomæ Discipuli sustinent: qua de re vide Collegium Salmanticense Tom. VII. tract. de fide disput. IX. dub. 2. §. 2. a num. 21. ubi Castropalai, Fagundes, aliorumque D. Thomæ adversariorum obiecta solvuntur. Res tanti non est, ut in metaphysica disceptatione tempus a termino ideo ad singularum specierum explanationem accedendum est.

V. Et ut a paganismo aspiciamus, variae istius vocis acceptiones prælibandæ breviter sunt. Philastrus Lib. de hæres. cap. III. Paganos dictos fuisse scribit a Pagano quodam, sic nuncupato, filio Deucalionis, & Pyrrhæ, Rege potente, & inelyto, qui propterea ut Deus haberi cœpit. Sed hæc interpretatio pluribus displicet. Isidorus Lib. VIII. Etymologiarum cap. XIX. Paganos dictos contendit ex pagis Atheniensibus, ex quibus orti erant. In locis siquidem agrestibus, villicque Gentiles lucos, suaque idola colere cœperunt; ideoque idolorum cultores Pagani appellati sunt. Quæ opinio non est præcedenti melior. Quid non valde dissimile Beda scribit in Cant. Lib. VI. cap. xxx. Communior, mihi quæ probabilior sententia est, tempore christianorum Imperatorum, Gentiles cœpisse vocari Paganos, eo quod eorumdem Imperatorum legibus statutum fuit ut idolorum fana, & delubra clauderentur, & sacra Gentilium prohibita in oppidis, & urbibus fuere; atque idcirco pagos, villas, agrosque petere cogebantur, ut deos suos colere, suaque vana sacra celebrare possent. Itaque urbibus, oppidisque exclusi, dicti sunt Pagani, quod in pagis, & villis futilia numina sua colerent. Probabilis quoque est opinio Theodoretæ qui Lib. III. hist. cap. III. scribit, Constantinum Magnum adversus Massentium pugnaturum decrevisse ut milites omnes sacro baptisate initiarentur; Gentiles vero qui baptisate tingi nollent, proprios lares repeterent: & hinc cœpisse Gentiles Paganos dici, quod a militia liberi essent. Ut ut tamen sit, illud certum est falsorum numinum cultores sic dictos a Christianis fuisse, quemadmodum Hebræi Gentes appellabant eos omnes qui ab eorum instituto alienierant, & Græci Barbaros vocabant omnes qui græcanicæ nationis non erant.

VI. Explicatis variis vocis Paganismi acceptionibus, promenda nunc definitio istius infidelitatis est. Communiter autem sic definitur. Paganismus voluntarius error est fidei nondum susceptæ cum pertinacia resistens. Quæ definitio ut clarius intelligatur, illud notandum, quod susceptio fidei accipitur non subiective, ut aiunt, sed obiective. Nam plures hæretici adulti baptizantur cum aliquo errore circa fidem, atque adeo fidei habitum non recipiunt: quia vero plura mysteria credunt, dicuntur habere fidem obiectivam; quemadmodum, & Iudæos habere hanc fidem deimus obiectivam in figura, ut infra videbitur. Pagani autem nullam habent fidem nec subiectivam, quia habitum fidei reapse non recipiunt; nec obiectivam, quia vi revelationis divinæ nullum articulum credunt. Ad paganismum reducitur atheismus, & mahometismus. Licet enim Atheista Deum, quem Paganus admittit, neget, cum Pagano tamen convenit in respuenda fide sibi proposita. Mahometanus utrumque reiicit testamentum, fideique nondum susceptæ contradicit. Nec refert, quædam illum mysteria credere quæ in Scriptura sancta habentur: quoniam non ideo illa credit, quod Deus eadem revelaverit, sed quia Mahometus illa promulgavit. Iudaismus error est, fidei in figura susceptæ cum pertinacia resistens. Hæreticismus error, fidei in manifestatione veritatis susceptæ cum pertinacia resistens. Distinguuntur etiam hæretici a Iudæis, quod isti vetus testamentum tantum recipiunt; hæretici vero utrumque testamentum amplectuntur.

CAPUT II.

Quid iuris Ecclesia, & Principes christiani habent circa tolerandos suos in ditionibus Paganos, Iudæos, & hæreticos?

I. **Q**uestionem gravem propono discutendam de christianorum Principum potestate in tolerandis, recipiendisque infidelibus in suis regnis, civitatibus, & oppidis. Ut tamen omni nos invidiæ periculo subducamus, illud minime in quæstionem vocamus, num quos nunc Principes infideles, hæreticosque tolerant, recte, an secus id præsent. Quin omnia Principum gesta quæ commune subditorum regimen spectant, ea qua par est veneratione colimus.

II. Primum itaque dico, siapte natura illicitam esse infidelium tolerantiam absolute acce-

acceptam. Eiusmodi quippe Paganorum, Iudæorum, aliorumque infidelium communicatio cum fidelibus siapte natura noxia, & alear plena est. Hinc est quod Scriptura frequentissime reprehendit Principes Iudæorum, qui fana idololatriæ cultus non abstulerunt.

III. Sola spes maioris boni, communisque utilitatis augendæ, maiorisque mali vitandi inducere Principes potest ad tolerandos in suis ditionibus præfatos infideles. Principes quippe divini regiminis imaginem præferunt. Porro Deus plura permittit mala particularia ob bonum commune, & universaliter, & ad maiora vitanda incommoda, inquit D. Thomas 2. 2. quæst. x. art. II. Humanum regimen derivatur a divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens, & summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere possent; ne eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo, quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt. Sententia hæc communis est.

IV. Eo difficultas recidit quo sufficientem istius tolerantia causam assignemus. Iusta permittendi in Catholicorum regnis Iudæos causa præsto est, quam D. Thomas ipse assignat; estque maior religionis nostræ confirmatio. Ex hoc autem (inquit Angelicus loc. cit.) quod Iudæi ritus suos observant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostræ habemus, & quasi in figura nobis representatur quod credimus: & ideo in suis ritibus tolerantur. Hæc tamen Iudæorum tolerantia quibusdam conditionibus circumscripta est. Prima conditio habetur cap. Nonnulli, de Iudæis, ubi hæc præscribuntur. Statuimus ut Iudæi, cuiuscumque status sint, in omni Christianorum provincia, & in omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur. Altera conditio habetur cap. Quia super his, de Iudæis. Hic vetitum illis est in die parasceves domorum ostia, & fenestras apertas habere. Tertia conditio est, ne diebus dominicæ Passionis in publicum prodeant, ut habetur in cap. Nonnulli. Quarta conditio prohibentur novas excitare synagogas, solumque eis concessum est antiquas retinere, & corruentes instaurare, absque tamen splendidiore ornatu. Ritibus quoque suis modeste, & absque Christianorum scandalo celebrare debent. Communis sententia. Sylwester verb. Iudæus, Azorius Tom. I. Lib.

VIII. cap. XXII. Tapia Tom. I. Lib. I. quæst. v. ar. 3. Salmanticenses tract. XXI. cap. III. punct. I. n. 6.

V. Hæreticorum tolerantia maiorem exposcit causam, quæque sufficiens raro occurrat. Martinus Bonacina, tamen Auctor minime severus, scribit Tom. II. disp. III. quæst. II. punct. 8. num. 4. §. I. hæreticos tolerari ab Ecclesia non posse, nisi ob commune catholicæ religionis bonum; secus ob temporalem regnorum, & provinciarum conservationem. Quoniam bona inferioris ordinis ad tuenda religionis bona cuique periculo exponenda sunt. Regna autem, & provinciæ sunt bona inferioris ordinis respectu religionis. Hanc sententiam amplectuntur etiam Salmanticenses tract. XXI. c. III. punct. I. num. 5. referuntque Paulum V. numquam adduci potuisse ad permitendam libertatem conscientia; tamen hinc pertimesceret catholicis provinciis bellum ab hæreticis inferendum. Mihi tamen hæc sententia, nisi clarius explicetur, non aridet. Quippe si regna, & provinciæ Catholicorum amittantur, religio quoque perit. Dicendum ergo, quod ob sola terrena commoda nullo modo tolerandi hæretici sunt, illisque conscientia libertas permittenda. Et tamen eo res devenit ut audiam his temporibus in quibusdam partibus Italiae ob solius mercaturæ augendæ emolumentum, commerciumque negotiatorum amplificandum concessa hæreticis Anglis domicilia esse. Quod si verum est, latere summum Pontificem talem permissionem, dicendum est. A tempore siquidem Lutheranae, & Calvinianæ apostasiæ nunquam Pontifices summi domicilia suis in ditionibus hæreticis impertiti sunt. Experientia quippe compertum est familiare hoc hæreticorum contubernium, communicationemque cum Catholicis, morum integritati, fideique noxiam esse. Hæresis fermento, totam massam corruptenti, similis est. Facilius ad hæreticos desciscunt Catholici quam hæretici Catholici fiant. Sola itaque certa spe ampliandæ catholicæ religionis tolerandi in catholicis regnis hæretici sunt. Hanc doctrinam confirmat D. Thomas 2. 2. quæst. x. art. II. ubi postquam permittendos Iudæos scripsit, subdit: Aliorum vero infidelium ritus qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, non sunt aequaliter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex eo posset provenire; vel impedimentum salutis eorum qui paulatim sic tolerati convertuntur ad

ad fidem. Propter hoc enim hæreticorum, & paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo.

CAPUT III.

De Ecclesiæ, ac Principum christianorum potestate in infideles sibi non subditos.

I. Hæreticos qui quondam fidem susceperunt, compelli posse ad eam amplectendam quam repudiaverunt susceptam, nemo est qui in questionem vocet. De solis infidelibus qui fidem catholicam numquam amplexi sunt, cuiusmodi sunt Pagani, & Iudæi, sermo instituitur.

II. Quæst. I. *Possit ne Ecclesia, aut seipsa immediate, aut Principum christianorum ope infideles sibi temporaliter non subditos ad fidem suscipiendam cogere?* Resp. Negant communiter Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. x. art. 8. Dico ergo, neque Principes, neque Ecclesiam cogere infideles posse sive subditos, sive non subditos ad fidem amplectendam. Quoniam nemo iuste quempiam cogere potest, nisi auctoritate in eundem potior. Sed Ecclesia nullam iurisdictionem habet in eos qui fidem aliquando non susceperunt, ut dicit Paulus I. Cor. v. *Quid mihi de iis quis foris sunt, iudicare?* Quod Principes christiani nullam habeant in extraneos potestatem clarum est. Si vero subiecti infideles sunt temporali, & politico regimini, non ideo subiciuntur in iis quæ fidei sunt. Si quidem potestatem in infideles Principes christiani non habent neque iure naturæ quæ ad supernaturalem ordinem non pertingit, neque a Deo. Quippe nullibi habetur, Deum potestatem Principibus fecisse ut infideles ad veram religionem suscipiendam vi adigerent; quemadmodum Israelitis facultatem delendi idololatras concessisse legimus Deut. vii. Quid quod Christus nec illos coegit qui vi legis ipsis datæ illum ut Messiam suscipere tenebantur? Quin aperte contrariam iniri viam præcepit, dum Apostolos suos imbuit prædicatione, mansuetudine, pace, & amore gentes ad fidem convertere. Hæc sunt arma quibus illos instruxit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*: Luc. xxi. Item cap. x. *Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*. Item ibi v. 5. *In quacumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui*. Quod si infideles audire detestaverint, minime subdit oppugnare civitatem, interficere refractarios, sicuti illum Israelitis præcepisse

scimus; sed addit Matth. x. *Excuntes foras, excutite pulverem de pedibus vestris*. Denique cum Samaritani Christum recipere nolissent, Iacobus, & Ioannes querentes dixerunt: *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de celo, & consumat illos?* Quibus mansuetissimus Dominus respondit: *Nescitis cuius Spiritus estis*: Luc. ix.

III. Confirmatur auctoritate Ecclesiæ, quæ numquam Principibus suasit ut arma diringerent pro infidelium conversione; quin opposita condidit decreta quæ id vetant. Nam dist. xlv. cap. *Qui sincera hæc habentur. Qui extraneos a christiana religione ad fidem rectam cupiunt perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere*. Plura id genus habentur & in Concilio Toletano IV. & cap. *Maiores tit. de baptismo*. Et Clemens III. cap. *Sicut Iudæi tit. de Iudæis*. Statuimus, inquit, *ut nullus invidiosus, vel nolentes Iudæos ad baptismum venire compellat* Denique Tridentinum sess. xiv. cap. ii. *Ecclesia in neminem iudicium exercet qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus*.

IV. Quæst. II. *Potest ne Ecclesia infideles non subditos cogere ad audiendam fidem, seu Evangelium?* Resp. Quemadmodum Ecclesia nequit licite compellere infideles non subditos ad fidem suscipiendam; ita nequit illos cogere ad illam audiendam. Auditio enim non ad aliud dirigitur nisi ad amplectendum id quod auditur. Nec refert Ecclesiam potestatem habere prædicandi Evangelium in universo orbe. Quoniam hinc dumtaxat inferitur: Ecclesiam per universum terrarum orbem suos mittere concionatores posse ad annuntiandum omnibus Evangelium Christi: minime vero colligitur, illam potestate instructam a Deo esse qua cogere infideles non subditos valeat ad divinum verbum audiendum.

V. Quæst. III. *Potest ne Ecclesia infideles subditos ad audiendum Evangelium cogere?* Resp. Negant Salmeron, Coninch, & Valentia apud Castropalaum tract. iv. disp. ii. punct. 5. num. 5. Bannez 2. 2. quæst. x. c. art. 8. ut probabile affirmat, infideles semel cogi posse: Franciscus Sylvius 2. 2. quæst. x. art. 8. suscipit ut probabilem hanc Bannezii opinionem; quin & alteram quæ docet pluries ad id compellere infideles subditos posse. Communis, mihi quæ certa sententia est, Ecclesiam compellere Iudæos subditos posse ad fidem audiendam. Atque pro omnibus rationibus una sufficiat eiusdem Ecclesiæ auctoritas. Romæ quippe Iudæos commorantes summi Pontifices cogunt ad audien-

dum.

dum verbum Dei semel in singulis hebdomadibus: estque concionator ad id munus electus. Rationes quibus utitur Castropalaus ut oppositum suadeat, minus solida sunt. Docet ille auditionem fidei actum esse supernaturalem, in quem ordinem Respublica nihil potestatis habet supra infideles, quos regere dumtaxat debet in iis quæ civilem, & politicum statum spectant. Addit auditionem Evangelii ad fidem suscipiendam ordinari, cum auditio propter seipsam appeti nequeat. Quæ ergo ratione nequeunt infideles cogi ad fidem amplectendam, eadem nequeunt compelli ad illam audiendam. Verum rationes istæ non satis firmæ apparent. Auditus namque Evangelii, actus naturalis est, & honestus. Ordinatur utique ad fidem suscipiendam: nulla tamen necessaria connexio est auditum inter & ipsam fidei susceptionem; sed audiens liber est ad amplectendam, vel respiciendam fidem.

VI. Quæst. IV. *Potest ne Ecclesia iure illos compellere infideles, sive subditos, sive non subditos, qui evangelica fidei prædicationem impediunt?* Resp. Adfirmant communiter Theologi. D. Thomas conceptis verbis hanc affirmantem opinionem docet 2. 2. quæst. x. art. 8. *Sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediunt vel blasphemias, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus*. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent: non quidem ut eos ad credendum cogant (quia si etiam eos viderent, & captivos haberent, in eorum libertate reliquerent an credere vellent) sed propter hoc ut eos compellant ne fidem Christi impediunt. Plures adferre Theologiarum solent in huiusce sententiæ confirmationem. Unam & alteram in medium adducam. Ecclesia absoluta, & indefinita potestate a Deo donata est annuntiandi in universum terrarum orbem Evangelium Christi: *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra*: Matth. xxviii. ver. 18. subditque statim: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quæ potestas residet in summo Pontifice, qui caput est universæ Ecclesiæ. Porro cuius conceditur ad legem divinam gentibus explicandam, ea omnia impertiuntur quæ ad hunc assequendum finem necessaria sunt. Nihil autem tam necessarium quam Prædicatores

ipfos tueri ab iniuriis, & ea omnia repellere quæ prædicationem ipsam remorantur, aut prorsus impediunt. Frustranea quippe esset potestas isthæc prædicandæ fidei, nisi facultas adesset propulsandi impedimenta quæ eidem obici possunt. Accedit quemque ius habere ad repellendas iniurias sibi factas. Maximam autem iniuriam Ecclesia patitur, dum impeditur exercere potestatem sibi a Deo collatam prædicandi fidem omni creaturæ. Ergo ius illi inest eiusmodi propulsandi iniurias. Hanc sententiam præter D. Thomam defendunt Caietanus 2. 2. quæst. x. art. 8. Franciscus Sylvius 2. 2. quæst. x. art. 8. concl. iii. Franciscus Suarez disp. xviii. sect. 1. Dominicus Soto in IV. dist. iv. & v. art. 10. Ledesma Part. II. tract. i. cap. v. concl. 23. Castropalaus tract. iv. disp. ii. punct. 5. num. 6. Tapia Lib. I. quæst. v. art. 10. Salmanticenses tract. xxi. cap. iii. punct. 2. n. 10. aliique communiter.

VII. Quæst. V. *Licitum ne Ecclesia est Prædicatores suos mittere militibus, armisque stipatos?* Resp. Negant communiter Auctores, id licere per se, & absolute. Arma siquidem quæ deferre ministri apostolici debent, sunt patientia, pax, ieiunia, vigilia, castitas, caritas, veritas, mansuetudo, idque genus similia, ut D. Paulus docet II. Cor. cap. vi. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ a dextris, & a sinistris*. Casus tamen occurrere possunt in quibus licitum, quin necessarium sit, armis spiritualibus ferreos adiungere gladios. Si enim efferatæ, ac barbaræ nationes cælesti armatura devinci nequirent, immo peiores, prævalente eorum iniquitate, fierent, & in ministros Christi sævirent; tunc expediret, licitumque esset barbarorum feritatem armis domare, ac in ordinem redigere. Idque Hispani peregerunt, cum Evangelium primum annuntiarunt Indis, qui Prædicatores summa humanitate susceptos iniqua fraude, atque immani crudelitate trucidabant, suisque idolis victimas libabant. Quare Alexander VI. Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabeth, & Regibus Portugallie privilegium impertit defendendi Prædicatores evangelicos Indis fidem annuntiantes. Quod ut feliciter præstarent, Hispanis occidentalem, Lusitanis orientalem Indiam donavit. Advertunt tamen Scriptores

Hispa-

Hispani, eiusmodi regna concessa a Pontificibus esse, non absolute, sed ea tantum conditione, ut evangelicos ministros, occasione data, tueantur; quod raro contingit. Idcirco bellum nationibus illis, necessitate sublata defendendi fidei ministros, indicere iure nequeunt: quoniam regna illa absolute sunt extra Ecclesiam potestatem, ut Theologi advertunt.

VIII. Quæst. VI. *Potest ne Ecclesia infideles Principes sibi non subditos privare dominio, & iurisdictione in vasallos, servosque christianos?* Resp. Principes infideles possunt habere, habentque re ipsa dominium in Christianis fideles. Hoc ex ipsa Scriptura patet: Nam dicitur Matth. xxii. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et D. Petrus Epist. I. cap. ii. *Subiecti igitur estote omni humane creaturae propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tamquam ab eos missis. . . Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* Ex quo colligitur, Principes infideles Ecclesiam non subditos dominium in suos vasallos haudquaquam amittere; quamvis ad fidem hi convertantur. Quippe dominium istud positis conditionibus necessariis iuri naturæ nititur, quod fides minime tollit. Quare toto cælo aberrant illi Auctores qui docent, omnia servitutis, & subiectionis vincula rescindi, cum subditi infideles fidem amplectuntur catholicam: manent enim suis Principibus subditi etiam post susceptam fidem. Quod patet in Christianis subditis Imperatoribus ethnicis, antequam christiani Principes imperium acquirerent. Quis antiquorum Patrum a debita subiectione, fidei religionisque catholice prætextu, illos exemit, atque a suorum Principum iurisdictione? Cum itaque in natura dominium fundetur, illud infideles retinent etiam in illos qui fideles evadunt. Fides namque æternum, non temporarium regnum adpromittit.

IX. Quæst. VII. *Infideles acquirere ne valent novam iurisdictionem in Catholicos?* R. Infideles in Catholicorum regnis capaces non sunt iurisdictionis in Catholicos. Quare iure ac merito Ecclesia ardet Paganos, Iudæosque ab omni magistratu, & publico officio inter Christianos, cap. *Cum sit nimis*, & cap. *Ex speciali rit. de Iudæis*. Cuius rei rationem tradit Angelicus 2. 2. quæst. x. art. 10. *Cederet hoc in scandalum, & perniciem fidei. De facili enim illi qui subiciuntur aliorum iurisdictioni, immutari possunt ab his quibus subsumunt, ut sequantur eorum imperium.* Et

ideo nullo modo permittit Ecclesia quod infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercumque præficiantur eis in aliquo officio.

X. Quæst. VIII. *Infideles christianis Principibus subditi possunt ne habere servos, ancillasque Christianas?* Resp. Sententia negativa est, ut constat ex c. *Cum Iudæis* 2. de Iudæis. Item ex c. *Mancipia*, & ex c. *Nulla cum aliis*, & ex Cod. *Ne christianum mancipium*. Horum canonum, legumque ratio est periculum subversionis, & honor catholice religioni debitus. Quod si Iudæus servum emerit ad servitium, factus Christianus liber evadit, si ad mercaturam emptus fuerit, soluto pretio liber fit, ut communiter Theologi docent cum D. Thoma loc. cit. ubi inquit: *In illis enim infidelibus qui etiam temporali subiectione subiciuntur Ecclesie, & membris eius, hoc ius Ecclesia statuit ut servus Iudæorum, cum fuerit factus Christianus, statim a servitute liberetur, nullo pretio dato, si fuerit vernaculus, id est in servitute natus: & similiter, si infidelis existens fuerit emptus ad servitium. Si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur etiam infra tres menses exponere ad vendendum. Nec in hoc iniuriam facit Ecclesia: quia cum ipsi Iudæi sint servi Ecclesie, potest ipsa disponere de rebus eorum.* Hinc tamen non inferitur, illicitum esse fidelibus terras Iudæorum colere, quia in hac agricultura nulla est cum infidelibus conversatio. Et ideo (inquit Angelicus loc. cit. ad 1.) *permittit Ecclesia quod Christiani possint colere terras Iudæorum, quia per hoc non habent necesse conversari cum eis.* Advertendum etiam, filios infidelium iugum patriæ potestatis excutere simul atque baptismum susceperint.

XI. Quæst. IX. *Potest ne Ecclesia infideles privare dominio quo potiuntur in Christianos?* Resp. Infideles non subditi Ecclesie non privantur iurisdictione quam habent in subditos quamquam isti convertantur ad fidem, ut dictum est. Quare Ecclesia nequit infideles eiusmodi dominio in subditos, etiam ad fidem catholicam convertos, privare. Nullus quippe privari absque iusto titulo potest bonis quæ iure possidet. Infidelitas autem haud est iustus titulus quo privari Princeps possit dominio quo potitur in subditos suos. Nec conversio ad fidem catholicam eximit subditos a Principum dominio, ut iam dictum est. Hinc inferunt communiter Theologi, Ecclesiam potestatem directam non habere in Principes infideles.

XII. Quæst. X. *Habet ne Ecclesia potestatem*

tem indirectam in Principes infideles? Resp. Difficilis questio est, quam alibi forsitan pro dignitate discutiamus. Nunc brevissime dico, Theologos communiter docere, in Ecclesia potestatem indirectam residere supra Principes infideles: quæ potestas indirecta eo spectat, ut possit infideles Principes spoliare dominio, & iurisdictione in vasallos, & servos ad fidem convertos, quando periculum imminet ne pervertendi a fide sint Principum iniuriis, vexationibus, persecutionibus, malisque artibus. Quandoquidem cum infideles catholicam fidem suscipiunt, fiunt Ecclesie membra, eiusque iurisdictioni spirituali subiiciuntur. Hæc autem iurisdictioni inutilis foret, nisi posset subditos fideles protegere, periculis subducere, ac in cælestem finem dirigere. Quamquam ergo iure naturæ politico regimini subditi sint fideles suis Principibus, etiam infidelibus; si tamen hi a fide retrahere tentarent subditos fideles, tunc parere Principibus subditi non tenerentur, & Ecclesia iure posset subducere subditos suos infidelium persecutioni. Quia quæ sunt ordinis inferioris, iis quæ sunt superioris ordinis, subiici debent. Hinc licet matrimonium iure naturæ indissolubile sit, & perpetuum, dum tamen periculum occurrit desciscendi a fide, Ecclesia coniugem fidelem ab infideli separat. Hæc potestas Ecclesie indirecta vocatur: quia indirecte tantum spectat suos fideles subditos, quos ab infidelium tyrannide iure liberare potest. Advidendum tamen, Ecclesiam non semper uti hac sua indirecta potestate, ut scandalum declinet infidelium. Audiamus D. Thomam 2. 2. q. x. ar. 10. *Considerandum est, quod dominium, & prelatio introductæ sunt iure humano. Distinctio autem fidelium, & infidelium est ex iure divino. Ius autem divinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Ideo distinctio fidelium, & infidelium secundum se considerata non tollit dominium, & prelationem infidelium supra fideles. Potest tamen iuste per sententiam, vel ordinem Ecclesie auctoritatem Dei habentis, tale ius domini, vel prelationis tolli: quia infideles merito ius infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit. Advertendum, quod, dum Angelicus scribit: *Infideles merito ius infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles*: non intendit Ecclesiam punire infideles ob peccatum infidelitatis (oppositum namque docuit art. 8. & 9.) sed sententiam Angelici*

Doctoris est, quod Ecclesia possit tollerè dominium ab infidelibus, quatenus præcipere valet Christianis, ne infidelibus pareant, & subiiciantur, dum premuntur, atque vexantur in rebus fidei. Infideles quippe, ut etiam ait Sylvius, propter suam infidelitatem occasionem præbent ut fideles ab eorum dominio subtrahantur: eo quod inconveniens sit fideles infidelibus servire. Si tamen id quod sentio, libere essari licet, ambigua hac de re, & nonnihil involuta est D. Thomæ doctrina. Subdit namque laudato loco: *In illis vero infidelibus qui temporaliter Ecclesie, vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, licet possit instituire de iure: & hoc facit ad scandalum vitandum. . . . Ita etiam Paulus, cum dixisset, quod servi dominos suos honorarent, subiungit: Ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.* I. ad Timoth. vi. De infidelibus ergo non subditis docet Angelicus, Ecclesiam non condidisse ius aliquod, seu non constituisse legem, vi cuius declararetur, infideles dominio in Christianos privandos esse. Potest Ecclesia, Aquinate iudice, hoc ius statuere; sed minime statuit. Quid ergo inferendum pro praxi? Quod propter solam infidelitatem dominio in Christianos, infideles non subditi privandi non sunt. Quid vero agendum, dum infideles in fidei negotio subiectos Christianos vexent? Privandos omnino esse iurisdictione præfatos infideles, docent communiter Theologi. Nos iudicio Ecclesie id relinquendum expediens iudicamus.

XIII. Quæst. XI. *Valet ne Ecclesia cogere infideles non subditos, ut errores iuri naturæ infestos deponant, bellumque eisdem indicare, si renuant?* Resp. Si de subditis infidelibus sermo institueretur, haud esset ambigendum, Ecclesiam, sive Principes christianos posse dictos infideles compellere ad ritus, erroresque legi naturali contrarios relinquendos. Quoniam Principis est subditorum mores ad rationis amissionem exigere. Quare Principes omnes, sive christiani, sive ethnici, cogere subditos debent ut idololatriam lumini naturali adversam detestentur. Idque Theologi omnes docent; si tamen id præstare Principes valent absque propriorum iactura regnorum, vel aliorum fidelium incommodo.

XIV. Porro de infidelibus non subditis prima sententia docet, privari illos ab Ecclesia posse suis regnis, si idololatriam, aliosque errores iuri naturæ adversos relinquere nolint. Idque evincit I. auctoritate Alexandri VI. qui Regibus Hispanis anno 1493. Indiam occiden-

cidentallem fere totam concessit. Cuius concessio ratio alia haud esse potest, nisi idololatriæ extirpatio. II. D. Augustinus *Lib. V. de Civit. Dei cap. XII.* D. Thomas *Lib. III. de Regimin. Principum cap. IV.* docent, Romanos efferatas gentes bello subiugasse, ut ad meliores revocarent mores. III. Ecclesia compescere armis potest blasphemias adversus Deum, & innocentium oppressiones. Idololatriæ autem Deum continenter blasphemant, innocentisque pueros diis sacrificant. Hanc sententiam defendunt Maior in *II. dist. XLIV. quæst. III.* Lyranus *cap. XXXI. Num. Abulensis ibidem quæst. VI. Castro Lib. II. de iust. hæres. punit. cap. XIV.* alique plures.

XV. Altera communissima sententia negat Ecclesiam cogere infideles posse ad relinquendos errores lumini naturali contrarios: quoniam ad Ecclesiam non pertinet de illis qui foris sunt, nempe qui extra Ecclesiam existunt. Hinc Nicolaus Papa ad interrogationes Bulgarorum respondet: *De his qui idolis immolant, nihil aliud dicere possumus, nisi quod ratione potius quam vi convincendi sunt.* Accedit quod si ob idololatriam luminis naturæ adversam armis impetu possent infideles, eadem ratione privandi regnis forent ob furta, homicidia, adulteria, ceteraque crimina legi naturali contraria. Quin ob similia delicta Principes ipsi christiani sibi mutuo bella indicere possent. Hanc sententiam, quæ communis est, & vera, docent D. Thomas 2. 2. *quæst. XII. art. 2.* Sylvius 2. 2. *quæst. X. art. 10.* Caietanus 2. 2. *quæst. LXVI. art. 8.* Bannez 2. 2. *quæst. X. art. 10.* Suarez *disput. XVIII. sect. IV. num. 3.* Molina *de iustit. & iur. tract. II. disp. CVI.* Azorius *Lib. VIII. cap. XXVI. quæst. VIII.* Barbosa *de potest. Episcop. tit. III. cap. II. num. 38.* Salmanticenses *tract. XXI. cap. III. punct. 3. num. 21.* & alii communiter.

XVI. Ad argumenta contrariæ sententiæ facilis responsio est. Nam Alexander VI. Hispanis Monarchis ius tantum concessit protegendis Concionatores evangelicos, Indis religionem catholicam explanantes, ab infidelium Principum iniuriis, & vexationibus. Romani laudantur quod feritatem barbarorum morum suavitate delinierint; secus quod eorum regna usurpaverint. Postremum idololatria non est blasphemia proprie dicta, nec religioni directe iniuriam irrogare intendit. Defensio innocentium licita est, nisi inde maiora damna profuant, ut contingeret in casu nostro. Præterquam quod, seclusa omni lege divina & humana, non est tam evidens hominum fa-

crificia legi naturali repugnare. Quippe gentes cultissimæ, ut Iudæi, & Romani, sanctum iudicaverunt filios, filiasque suas diis sacrificare. Quare ob eiusmodi delicta planum est bellum licite indici non posse.

XVII. Quæst. XII. *Principes christiani valent ne Turcas armis impetere, peculiaribus causis sublatis, ob hoc solum quod hostes iurati sint Christianorum?* Resp. Vix verbum de hac quæstione Theologi quos evolvi, faciunt. Ut clare, ac perspicue resolvatur, Turcarum leges in bellis excitandis recolendæ sunt. Porro illi religionis loco habent armorum vi mahometanæ sectæ superstitionem amplificare. Quemadmodum Christiani solam rationem infideles ad fidem convertendos docent, & re ipsa, data occasione, præstant; sic ex adverso Turcæ ratione sprete, armorum strepitu, & humani sanguinis effusione religionem propriam amplificare, ceterasque religiones, sed potissimum christianam, extirpandas pro instituto habent. Hac via Christianorum imperia, regna, & provincias usurpatas possident. Hinc manifestam colligunt responsum ad propositam quæstionem. Dico itaque, Principes christianos, opportunitate data, iure ac licite bellum Turcarum monarchiæ indicere posse, peculiaribus momentis sublatis, ob hoc solum quod Turcæ sint manifesti Christianorum hostes, & ob peculiare institutum illius sectæ, quæ eo molimina sua dirigit, quo christianum delere nomen valeat. Quid amplius requiritur ad iustum bellum, iustamque vindictam? Ceteri infideles suis regnis, & dominio in Christianos spoliandi non sunt: quia eorum nemo pro institutu religionis habet Christianos vexare, opprimere, ac in servitutem redigere. Hoc Turcarum proprium est. Ergo iusta semper inest Christianis causa bellum Turcis indicendi, regna, & imperia usurpata adimendi. Non licet tamen iniura cum eisdem foedera, pacta, conventionesque iuramento firmatas quoquomodo infringere; sed fides data servanda est, & irrevocanda. His sublatis, bellum illis inferre licite semper Christiani valent. Et quamquam Theologi hoc ex professo non doceant, ex eorum tamen doctrina clare colligitur: quandoquidem docent communiter, infideles regnorum dominio per Principes christianos privari posse, si præfati infideles Legatos christianos repellant, naturalis societatis iura infringendo; si prædicationem evangelicam impediunt, & catholicam religionem propagari vetent; si Christianos ad idololatriam pertrahere conentur. Plures alios

titu-

titulos describit Franciscus Sylvius 2. 2. *g. X. art. 10. concl. 4.*

CAPUT IV.

De communicatione fidelium cum infidelibus.

I. **P**Lura iam hac de re dicta sunt *diff. I. cap. XIII.* Quare breviter nonnulla quæ super sunt solvenda, expediemus. Duplex distingui communicatio solet: altera religiosa, quæ in operibus ad religionem spectantibus sita est; altera civilis, & politica, quæ ad commercium, & humanam pertinet societatem. Prima iure naturali, & divino vetita est, ut docet D. Paulus II. ad Corint. VI. *Quæ est communicatio lucis ad tenebras, aut templi Dei cum idolis; seu quæ pars fidelis cum infideli?* Quæcumque ergo communicatio in precibus, in ritibus, in sacrificiis, aliisque religionis exercitiis peccatum est contra fidem. Communicatio civilis absolute accepta non est vetita. Ex circumstantiis vero accidere potest ut hæc quoque communicatio illicita evadat: puta, si sit familiaris, & frequens, & ex ea imminet periculum subversionis: si personæ fideles infirmæ sint, minusque in fide stabiles. Eiusmodi autem pericula vitanda sunt, ut ex se constat, docentque omnes cum D. Thoma 2. 2. *g. X. art. 9.*

II. Quæst. I. *Licetum ne Christianis est vendere infidelibus ea quæ eorum sacrificiis, & vanæ religionis ritibus inserviunt?* Resp. Negant omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst. CLXIX. art. 2. ad 4.* ubi hæc statuit: *Si quis ars est ad faciendum aliqua opera quibus homines uti non possunt absque peccato; per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi: puta, si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.* Peccarent ergo illi omnes qui Iudæis fabricarent synagogas, & ceteris infidelibus idola, altaria, vestes sacerdotales, templa, delubra, & cetera id genus quæ ad religionem determinata sunt. Cetera vero quæ adiphora suapte natura sunt, quibusque bene, vel male infideles, sicut & fideles, uti possunt, licite eis vendi possunt.

III. Quæst. II. *Licet nemittere infideles ad sacramentorum participationem?* Resp. Sententia negativa communis est: quia nullum illi percipere fructum ex sacramentis valent; atque adeo ad eorumdem participationem admitti nequeunt. Hinc in tractatu de matrimonio dicitur, illicitum, & nullum esse

matrimonium fidelis cum infideli. Quod ad Missæ sacrificium attinet, si infidelis non sit denunciatus, & eiusdem conversionis probabilis spes habeatur, admitti potest: si nulla sit salutis spes, excludi debet, ut docet D. Thomas III. Par. quæst. LXXX. art. 4. ad 4. *Non baptizati autem non sunt admittendi, etiam ad inspectionem huius sacramenti.* Catechumeni autem ad conciones, preces, & Missam quæ catechumenorum est, admittuntur: quia isti candidati sunt christianæ religionis, & præfata religionis opera in eorumdem salutem conferunt.

IV. Quæst. III. *Quot sunt casus in quibus Ecclesia decreto vetita Christianis est communicatio cum infidelibus?* Resp. Decem sunt casus isti, numerati in cap. Nullus. Primo interdicta est cum illis habitatio. Secundo vetitum est illos invitare, aut ad eorum convivium accedere. Tertio eorum azymis vesci. Quarto cum iisdem balneum ingredi. Quinto medicinas ab illis accipere. Sexto eorum uti Medicis, & medicinis. Septimo Iudæorum filios a Christianis nutrir. Octavo famularum illis exhibere. Nono servitutis iugo se illis subiicere. Decimo Iudæos legatarios Christianorum instituere. Advertunt plures Doctores, eiusmodi interdictum, quamquam expresse latum sit adversus communicationem cum Iudæis, extendi tamen adversus Mahometanos, Saracenosque: immo aliqui Theologi addunt, protendi adversus omnes paganos, & infideles, eo quod eadem sit omnium ratio. Sanchez *Lib. II. cap. XXXI. num. 25.* contendit prohibitionem restringi ad solos Iudæos, præter duos casus in quibus leges ipsæ comprehendunt sub interdicto Mahometanos, & Saracenos. Porro primus casus est famulari Iudæis, & Saracenis: c. *Iudæis.* Probabilior porro sententia est, sub laudato interdicto illos tantum infideles comprehendendi ad quos sit expressa extensio pertextus citatos. Nec enim attendenda est semper ratio prohibitionis, sed verba legis prohibentis. Si lex loquitur de solis Iudæis, cur ad alios prohibitio extendi debet?

V. Nonnulla in singulos casus dicenda sunt. Ad primum quod attinet, ea cohabitatio prohibetur quæ veram societatem, & familiaritatem præfert. Quare vetitum minime est, Christianos habere in servos aut Iudæum, aut Saracenum, ut colligitur cap. *Iudæi,* de Iudæis. Iudæus tamen servus commorari cum domino, seu cohabitare haud debet. Servitus contemptum prodit; cohabitatio quamdam familiaritatem secum deferret: idcirco servitus

vitus permiffa, cohabitatio vetita est. Sarcenos vero, aliosque gentiles & fervos habere, & in propriis domibus detinere permiffum est Christianis. Hæc opinio communis est.

VI. Accessus ad Iudæorum convivia in secundo casu prohibitus ideo est, non modo quod nimiam familiaritatem præferat, verum etiam quod Iudæi epulas discernant, pluresque cibos ut immundos respuant. Hinc Christiani his conviviis assidentes periculo hunc superstitiosum approbandi ritum obnoxii forent. Quæ tamen intelligenda sunt de conviviis in proprio sensu acceptis, quæ videlicet in symbolum condicuntur, quæque instrui singulari solent apparatu; ut dum celebrantur nuptiæ, vel dum amici invitari solent. Quapropter non modo convivari, sed etiam choreas ducere, ludos, iocosque cum Iudæis his in circumstantiis exercere vetitum est. Licet vero in eadem taberna cum eisdem manducare; quin ad illorum quoque cauponam divertere licet. Quoniam hæc, & similia familiaritatem non indicant.

VII. In azymorum interdico id vetat Ecclesia quod iure divino vetitum est de idolothytis, aliisque cibis ad falsam religionem profitendam institutis. Ritu ergo iudaico azymos panes manducare vetitum est. Ceterum edere azyma, ablato scandalo, & potissimum necessitate impellente, ad famem exaturandam nullum peccatum est. Idque patet ex plurium Christianorum consuetudine quæ obtinet edendi azymos panes.

VIII. Similiter ingressus in balneum prohibitus est, si fiat die condicta, & tamquam familiares focii Christiani, & Iudæi illuc conveniant. Secus, si casu, & fortuito in balneum Catholicus, & Iudæus sanitatis causa ingrediantur. Tunc enim nulla familiaritas, nullum commercium intervenit.

IX. In quinto, & sexto casu prohibetur accersiri Medicos Iudæos ad Christianorum curam, necessitate urgente sublata. Si enim ex Christianis Medici deessent, ac sanitatis grave immineret periculum, tunc licitum esset opera Medicorum ex Iudæis uti. Hac penuria, seu necessitate sublata, usus Iudæorum in sanandis ægrotis catholicis illicitus est. Quid ergo de illis dicendum Catholicis qui ex ingenio, & mera illudente imaginatione, ad proprii corporis curam Iudæos Medicos se ligunt, tamen isti ut plurimum veram medendi artem ignorent, plusque illudere imperitis, fucumque facere zolis, quam restituendæ sanitatis scientiam comparare satagant?

Mirandam sane Catholicorum cæcitatem. Inveteratum, ac ardens Iudæorum in Christianos odium omnes experiuntur. Supina reproba gentis ignorantia in omni fere scientiarum genere cuique comperta est. Quis ergo ita desipiat, ut privilegium artis, quæ potissimum prudentiæ nititur, rudi ac infami popello adscribat? Quod Iudæorum aliqui quandoque medendi fama pollent, non hinc colligitur vel istos præferendos esse catholicis Medicis, qui communiter Iudæis doctiores sunt, & prudentiores; & quod magnopere notandum, maiori zelo, & sinceriori amore ægrotorum sanitati restituendæ operam navant. Nisi ergo gravis urgeat necessitas, neglectis Iudæis, Christiani Medici ad infirmos curandos vocentur: quod potissimum verum habet, & de cura quotidiana infirmorum sermo sit. In consultationibus vero & Medici Iudæi sententia audiri licite potest. Ad medicinas quod attinet, contendunt plures in decreto vetitum dumtaxat esse fidelibus, ne permittant sibi a Iudæis medicinas applicari; secus vero has medicinas ab eisdem emere: quia in medicinarum applicatione quædam familiaritas intercedit, ideo vetita est; emptio vero medicinæ nullam prodit familiaritatem, ideo sicut aliarum rerum, sic nec medicinarum emptiones prohibita sunt. Quam opinionem defendunt Sanchez, Palau, Leander, Salmanticenses, & alii. Ceterum contrarium mihi dicendum videtur. Duo quippe in decreto prohibentur, & Medicos Iudæos accersere, & medicinis Iudæorum uti. Medicinarum applicatio est ipsa medendi ars, quam in curandis Christianis exercere Hebræus nequit. Alterum quod prohibetur, non est medicinarum applicatio ab ipsa medendi arte haud distincta; sed est medicinarum emptio. Intentio quippe, & verba canonis eo spectant, ut in valetudine mala curanda Christiani Iudæis præferantur tum in medendo, tum in medicinas suppeditando. Quando ergo medicinis æque perfectis Christiani pharmacopola, ac Iudæi abundant, ab illis, non ab istis emendæ sunt. Sola itaque necessitas licitam efficere emptionem valet. Quod de Medico Iudæo, idem dicendum de Chirurgo est.

X. Acriter Theologi disputant de septimo casu, si ne in illo vetitum Christianis mulieribus in propriis Iudæorum domibus tantura, aut etiam extra illas, illorum lactare infantes. Salmanticenses tract. XXI. cap. III. punct. 4. num. 35. Castropalaus tract. IV. diff. II. punct. 9. n. 14. & alii contendunt, Chri-

111a-

CAPUT V.

De hæresi, & apostasia a fide.

I. Omnium primùm hæresis finitio promenda est, quam exhibet D. Thomas, & Theologi omnes, atque Iurisperiti amplectuntur. Est autem eiusmodi: *Hæresis error est intellectus voluntarius, & pertinax contra aliquam veritatem fidei catholicæ in eo qui fidem recepit.* Antequam datæ definitionis particulas singillatim explicem, hæresis etymologiam paucis prodo. Vox *hæresis* græca est, quæ electionem significat: dicitur ab eligendo, quemadmodum *secta* a sectando, ut inquit Isidorus *Lib. VIII. Etymol. cap. III.* Idcirco subdit Angelicus 2. 2. *quæst. XI. art. 1. ad 3. Hæresis, & secta idem sunt.* Nomina isthæc nullam mali speciem olim præferbant, sed in bonam partem accipiebantur. Inquit enim D. Paulus Act. cap. xxxiv. vers. 14. *Consteor autem hoc tibi, quod secundum sectam quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, & Deo meo, credens omnibus quæ in lege, & Prophetis scripta sunt.* Item cap. xxvi. *Quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* Temporis decursu, & dissidiis in fidei articulis subortis, communiter Patres, & Doctores in malam partem usurpare cœperunt *hæresis*, & *sectæ* nomina.

II. Explicandæ nunc sunt exhibitæ definitionis particulae. *Error intellectus* dicitur: quia sicut fidei assensus certus est in intellectu, licet obscurus; ita assensus falsus fidei contrarius in intellectu residet, vocaturque error. Dicitur *voluntarius*: quoniam sine voluntate peccatum nullum: & quemadmodum a pio voluntatis affectu fidei assensus pendet; sic a perversa voluntatis iniquitate hæresis fidei contraria ortum ducit. Additur *pertinax*: quia cum hæresis electionem significet, requirit obstinatam in errore deliberationem: qui enim deliberate errat, corrigi paratus, hæreticus non est. *In eo qui fidem recepit.* Qui fidem catholicam non suscepit, adversus fidem errat utique; sed error iste infidelem, paganum, aut Iudæum constituit, secus hæreticum. Fidei ergo professio hæresim præcedat necessum est.

III. *Quæst. In quo sita sit hæc pertinacia ad hæresim necessaria?* Resp. Ut quis pertinax in fidei negotio dicatur, requiritur ut sciens, & advertens aliquid deliberate teneat contra Ecclesiam catholicam. Quandoquidem sicut ad fidem veram exigitur ut quis veri-

H

tati-

stianas mulieres in Iudæorum domibus non posse eorundem filios lactare; extra illas vero domos posse. Siquidem lex poenalis extendenda non est ad casum in eadem expresse non contentum. Porro nutritio parvulorum Iudæorum in domibus Christianorum expresse prohibita non est; sed tantum in domibus Hebræorum. Accedit quod nutritio extra domos Iudæorum peracta non adfert familiaritatem, nec periculum perversionis. Hæc opinio sua non caret probabilitate.

XI. Probabilior mihi contraria est. Anima siquidem legis est illius finis proximus, & immediatus. Finis autem proximus quem lex intendit, est evitare familiaritatem Christianorum cum Iudæis. Porro sive intra, sive extra Iudæorum domos christianæ nutrices illorum pueros lactent, familiaritas vitari nequit; quamquam maior sit, si in eorundem domibus nutritio fiat. Parentes siquidem amore filiorum ducti sæpe nutricum domos adeunt, cum eisdem familiare commercium foveant: quin ipsa filiorum consignatio sub cura christianæ nutricis familiaritatis argumentum est. Hanc opinionem docent Azorius *Lib. VIII. cap. xxii. quæst. ix.* Angelus *verb. Iudæus num. 4.* Sanchez *Lib. II. cap. xxxi. n. 19.* Suarez, Trullench, & alii.

XII. Circa octavum, & nonum casum de famulatu & servitute, prohibetur Christianis famulari, & servitutem locare suam tam intra, quam extra proprias Hebræorum domos. Habitare namque extra domum non tollit rationem famulatus. Quin frequens est hæc habitatio extra dominorum domos, vel ob angustiam domorum, vel ob alias rationes. Terras Iudæorum colere non prodit rationem aut famulatus, aut servitutis. Quapropter coloni, operarii, alique opifices non comprehenduntur sub hac prohibitionem, ut cum D. Thoma communiter docent Theologi.

XIII. Institutio Hebræorum in heredes, vel legatarios vetita est, sive hereditas, aut legatum relinquatur universitatibus, vel collegiis, sive personis. Hebræo, vel infideli in extrema necessitate constituto potest aliquid vel legati, vel hereditatis relinqui. Extra hunc necessitatis casum hoc licitum minime est; quamvis Iudæi sint testatoris consanguinei. Catechumeni liberi sunt ab hoc interdico, quia catholici habentur. In mercatura, aliisque commerciis nulla est prohibitio: quoniam *exceptio firmat regulam in contrarium.* In laudatis casibus solus Pontifex dispensare valet, necessitate quæ moram non patitur sublata: tunc enim Episcopus dispensare possit.

Conc. Theol. Tom. I.

tatibus revelatis a Deo fidem adhibeat, Ecclesia proponente; ita ad reiiciendam hanc fidem auctoritas Ecclesiae proponentis respiciatur oportet. Propositio Ecclesiae attestantis veritatem aliquam esse a Deo revelatam, necessaria est ad fidem catholicam. Ergo istius auctoritatis Ecclesiae contemptio requiritur, ut quis dicatur susceptam fidem abiicere, & contrario errori adherere. Nec tamen necesse est ut errans directe, & expresse velit auctoritati Ecclesiae reluctari, & se se opponere; sed satis est quod sciens, & advertens aliquid teneat quod cognoscit Ecclesiae auctoritati adversari. Pertinacia isthac non sumitur pro obstinatione, & cordis obduratione contraria infirmitati; sed accipitur pro deliberatione voluntatis, sive ex infirmitate oriatur, sive ex passionis impetu. Nec mora temporis necessaria est ut quis pertinax, & haereticus habeatur; sed temporis momento, sicut alia crimina, haereticus flagitium perpetrari valet. Quae omnia communia sunt.

IV. Quæst. II. *Utrum propositio fidei catholica contraria ab ignorante prolata haeretica dicenda sit; quamvis qui illam profert, haereticus non habeatur?* Resp. Melchior Cano Lib. XII. de l. theol. cap. VII. satis diffuse hanc versat quaestionem. Et primo argumenta partis adversantis promit, quae hæc sunt. Nisi propositio fidei contraria haereticus esset, aliqua propositio ab uno adfirmata haereticus esset, secus si ab alio diceretur: ut si quis sciens Scripturam sacram docere Moysen Iudæum esse, assereret esse Ægyptium, haereticam proferret propositionem, haeretica vero non esset, si rusticus & idiota ignorans illam enuntiaret. Ita fieret ut propositionis natura ab asserente penderet. Accedit quod veritas catholica, ut catholica sit, haud pender ab asserente: a quocumque enim dicatur, catholica est. Ergo & haereticus a quocumque asseratur, haereticus est. Tandem Theologi rogati, si sine aliqua propositio haeretica, resolvunt esse, aut non esse, nulla eius qui asseruit, habita ratione. Hanc opinionem defendunt Ocamus I. Part. Dial. Lib. II. cap. XI. Cardinalis Turrecremata Lib. IV. part. II. cap. III. Hadrianus in IV. Gent. quæst. I. Alphonsus Castro Lib. I. de iust. haeret. pun. cap. I.

V. Contrariam sententiam docent D. Thomas I. Cor. cap. I. lect. IV. Caietanus 2. 2. quæst. XI. art. I. Plura pro hac opinione congeruntur ab eodem Cano argumenta; sed, ut ipse advertit, nominis potius quam rei controversia est. Paucis ergo expedienda res

est. Itaque si haereticus, & in vero sensu accipiat, non est absque pertinacia, & voluntatis malitia. Haereticus porro haereticum denominat. Propositio autem fidei catholicae contraria, voce, vel scripto enuntiata, haeretica vocatur ex genere, & obiecto, signumque haereticus esse solet; ut urina sana dicitur, quia sanitatis signum est. Ceterum sicut urina fallax quandoque signum est, ita propositio interdum ex genere haeretica est, quin ille qui eam protulit, haereticus sit. Plura occurrunt in Theologia exempla. Concupiscit Jacob cum Lia ex obiecto, & genere suo fornicarius fuit; re tamen fornicarius non fuit ob ignorantiae causam. Brevissime ab hac difficultate se se expediunt scholæ Theologi dicentes præfatam propositionem haereticam esse *materialiter*, secus *formaliter*. Non ergo quicumque error fidei contrarius haereticus est; sicuti non omnis color albedini adversus, ater est; sed gilvus, glaucus, & pallidus eidem contrarii sunt, imperfecte tamen. Error ergo perfectus, iunctus scilicet pertinaciae, haereticum constituit. Quapropter si fidelium quispiam per inscitiam, quin & flagitiose erret in fidei articulis, contradicit utique fidei, si dialecticorum leges spectentur; immo culpæ quoque reus efficitur: verum nisi vivus, ut dicitur, & videns pereat, hoc est nisi prudens, volensque se a catholico dogmate separaret, nec sectam facit, neque haereticum admittit. Quoniam error constituens sectam & haereticum, absolutus & perfectus, nempe pertinaci voluntate partus sit oportet. Ceteri errores a pertinacia seiuncti, sunt informationes, & inchoationes quaedam haereticæ pravitatis, ad cuius speciem indirecte, ut imperfecta ad perfecta, reducuntur, inquit laudatus Cano. Numquam sicut haereticus formalis habetur, nisi ratione asserentis habita. Ex his vero solutio patet ad argumenta prioris opinionis. Theologi rogati ut sententiam super aliqua propositione catholicae veritati contraria ferant, expediunt propositionem ex genere suo talem, & secundum quod ut plurimum accidit, & in exteriori foro illam definiunt. Et quia propositio fidei catholicae adversa, & ex obiecto haeretica, communiter animum prodit haereticum, idcirco haereseos censuram eidem inurunt; quamquam interdum haeretica materialiter sit; frequentissime vero formaliter, si ab homine docto prolata fuerit.

VI. Quæst. III. *Quid de eo sentiendum est qui exterius tantum fidem negat?* Resp. Sunt qui adfirmant, ut Caietanus 2. 2. quæst. XII. art. 2. & alii, hunc haereticorum poenas in-

currere, eo quod Ecclesia non iudicat de internis. Quod confirmari potest exemplo illius qui furatur, & occidit sine animo furandi, & occidendi; & nihilominus poenis furis, & homicidæ subiacet. Sed communis, & vera sententia negat, præfatum fidelem poenis in haereticos constitutis obnoxium esse. Quia haereticorum poenæ non nisi ob haereticum crimen infligi debent. Exterior autem fidei negatio haereticus non est, quia non est error in intellectu. A quolibet ergo Confessario absolvi poterit fidelis qui timore, aut alia ratione victus fidem exterius reiicit, firmam tamen in mente & corde retinet. Argumenta contrariae opinionis facile resolvuntur. Ecclesia punit eos qui exterius fidem negant: quia in foro exteriori præsumitur talem fidem interiorius repudiasse: prudenter quippe præsumitur factis animum respondere: idque communiter accidit ut qui exterius recedit a fide, animo quoque & mente ab eadem seiungatur. In foro ergo externo præfatus fidelis excommunicatus reputatur. Furtum, & homicidium actibus externis consummantur. Haereticus vero actus internus intellectualis est. Quare homicida solo externo actu obnoxius est irregularitati. Haereticus vero essentialiter pendet ab actu interno. Si quis tamen exterius fidem negaret, animo favendi haereticis, tamen poenas in haereticos latas non incurreret, subiaceret tamen excommunicatione lata in haereticorum fautores. Similiter qui exterius idololatriæ adoleret ex affectu erga idolum, absque tamen mentis errore, licet immunis esset ab excommunicatione lata in apostatas, incurreret tamen ceteras haereticorum poenas, præter bonorum publicationem: quia hic, tamen non esset verus haereticus, esset tamen verus idololatra, ut docent Bannez 2. 2. q. XI. art. 4. dub. 2. Aragon. 2. 2. quæst. XII. art. I. Petrus Ledesma Tom. II. tract. I. cap. VI. concl. 14. Sanchez Lib. II. cap. VII. num. 10. idque evincunt quaedam extravaganti Ioannis XXII. si tamen illa usu recepta sit, ut advertit Sanchez. Si vero non ex affectu erga idolum, sed metu, vel avaritia, aliave causa cultum idolo exhiberet, non incurreret istam excommunicationem, eo quod verus idololatra non foret.

VII. Quæst. IV. *Utrum dubius in fide haereticus habendus sit?* Resp. Non leviter controverfantur super proposita quaestione Iurisperiti, & Theologi. Partem siquidem affirmantem plures docent, probantque primo canonis auctoritate. Quoniam cap. I. de haer. dicitur: *Dubius in fide infidelis est*. Tum

D. Augustini testimonium promunt ex Enchirid. cap. XVII. *Quis enim nisi errans malum neget approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Item Concilium Viennense doctrinam omnem aut temere asserentem, aut verentem in dubium, quod substantia animæ rationalis non sit humani corporis forma, tamquam erroneam, ac veritati fidei catholicae inimicam reprobat. Præterea is qui dubitat, fidem amittit; alioquin infidelis non esset. At fides in baptismo suscepta, nisi per haereticum, non amittitur. Postremum fidei ratio firmam & constantem certitudinem requirit. Vacillatio autem, & dubitatio, maxime si pertinax sit, fidei firmitudinem corrumpit. Erit ergo, saltem indirecte, fidei contraria, atque adeo haereticus erit. Si enim ex infirmitate, non ex pertinacia quis dubitet, omnium una sententia est, hunc haereticum non esse. Dicitur namque Matth. XIV. *Modice fidei quare dubitasti?* Citari pro hac opinione solent Gabriel in IV. dist. XIV. quæst. II. art. I. not. 3. Angelus verb. *Haereticus*. Silvester verb. *Haereticus*. I. quæst. III. Caietanus 2. 2. q. XI. art. 2. Castro Lib. adver. haeret. cap. X. Corduba Lib. I. quæst. XVII. §. 7. Valentia 2. 2. disp. I. quæst. XI. punct. I. diff. 2. Azorius Lib. VIII. cap. IX. quæst. V. & alii plures.

VIII. Negat altera sententia, plurimorum Doctorum suffragio nixa, dubium in fide haereticum esse. Quod evincunt primo auctoritate Augustini qui Lib. I. de utilitate credendi cap. I. inquit: *Haereticus est qui falsas opiniones vel gignit, vel sequitur*. Porro qui dubitat, nec alterutram quaestionis partem sequitur, neque falsas opiniones gignit. D. Hieronymus in cap. V. Epistolae ad Galatas docet haereticum ab electione dici, illumque esse haereticum, qui sibi eligit disciplinam quam putat esse meliorem. D. Thomas I. ad Corinthios cap. XI. lect. IV. refert hanc Hieronymi auctoritatem, dein sic concludit: *Electio firmam importat inhesionem; & ideo haereticus dicitur qui pertinaciter proprium errorem sectatur*. Rationibus autem hanc firmant sententiam. Nam haereticus contrarie opponitur fidei, secus per negationem, aut privationem. At dubitatio, cum nec habeat assensum, nec dissensum, contrarie fidei non adversatur. Ergo dubitatio non est haereticus. Præterea haereticus est error fidei contrarius. Error autem assensus est, vel dissensus falsus. Cum ergo haereticus nec assensus, nec dissensus sit, nec haereticus quidem est. Denique dubitatio medium

dium quoddam est inter duas extremas controversiarum partes. Fides vero, & hæresis duo sunt extrema summopere pugnancia. Dubitatio igitur quæ inter dogma hæreticum & veritatem catholicam intermedia est, non est hæresis, sed illius particeps, atque vicina. Hæc sunt argumenta, concludit laudatus Cano, quibus Auctores sane nobiles confirmant sententiam.

IX. Prioris sententiæ argumenta facile resolvunt. Ad auctoritatem canonis statuentis dubium in fide infidelem esse, respondent, infidelitatem tripliciter accipi: uno modo negative, ut accidit illis qui nihil de fide audierunt: secundo modo contrarie, quando scilicet quis susceptæ fidei repugnat: tertio cum quis inter duas partes fluctuat, vacillatque, nec fidei veritati, nec errori contrario inhærens. Dubius autem in fide, hoc tertio modo infidelis est, non secundo, qui proprie fidei opponitur, hæresimque constituit. Testis ergo laudatus non evincit, dubium in fide esse hæreticum vere talem, sed iuris tantum fictione illum esse. Porro Stephanus Papa, cuius est decretum illud, voluit tantum hoc laudato canone docere, quibus testibus habenda fides sit, & illos a ferendo testimonio reiciit qui aut fidem ignorant, aut dubii in fide sunt: sive enim fidei veritates ignorent, sive de eisdem dubitent, indigni sunt ut in fidei controversiis testificentur. Ad auctoritatem Augustini subdunt, tunc illum errare qui certa pro incertis, aut e contrario habet, si aut affirmet incerta esse illa quæ certa sunt, aut neget esse certa quæ certa sunt. Error enim propositio falsa est, verbo sive affirmato, sive negato. Qui ergo nihil aut affirmat, aut negat, errare nequit: nisi ille dicatur errare qui scopum non attingit, cum sagittam quidem non eiicit, collineaturus tamen, si eiicisset. Ad Concilium Viennense dicitur, illud utique reprobare omnem doctrinam sive afferentem, sive vertentem in dubium, animam rationalem esse formam corporis. Verum ne quis putaret dubium & assertionem eodem gradu, & loco habenda esse, subiungit: *Definientes, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis humani, tamquam hæreticus sit censendus.* Neque existimandum, inquit Canus, Concilium sine causa prætermisisse eos qui in dubium verterent. Doctrina itaque illa quæ in dubium vertit catholicas veritates, inimica est fidei christianæ non consummate, & perfecte, sed imperfecte, & inchoate.

X. Ut ultimum argumentum solvam, quid ipse sentiam, exponam fas est. Et primo dissidium quod inter Auctores apparet, de nomine potius quam de re mihi videtur. Nam convenit inter eos, dubium ex fragilitate ortum hæresim non sapere. De solo ergo dubio pertinaci quæstio est. De hoc dubio laudatus Cano loquens subdit: Si metaphysicas leges inspicio, neque hoc dubium constituere formalem hæreticum assero. Quoniam dubium neque speciem habet, neque formam, sed quid medium est. Non ergo contrarium fidei est. Quæ enim contraria proprie sunt, ea duas esse formas maxime repugnantes constat. At si moralis Philosophiæ leges sequimur, quæ in id spectat quod frequentissimum est; incredibile est hominem pertinaciter dubitantem nullum habere errorem fidei contrarium. Clarius ergo rem expediam. Admissa hypothesi, quod intellectus pendulus maneat, & anceps, nullamque assensum, vel dissentium eliciat, certum est hunc non esse vere, & proprie hæreticum ob ea quæ dicta sunt. Verum quia re ipsa contingere vix potest ut homo pertinaciter dubitet, quin aliquod iudicium reflexum ferat quo iudicet res fidei dubias esse; idcirco in praxi hæretici communiter sunt illi omnes qui pertinaci animo in rebus fidei dubitant: & merito Theologi, Iurisperiti, Iudicesque ecclesiastici tamquam hæreticos eiusmodi iudicant. Addit Canus fidem amitti non modo per hæresim, sed etiam per dubitationem, sicuti colorem album expellit non modo ater, sed etiam gilvus, & glaucus. Quamvis, ut dixi, vix in praxi dubitatio pertinax ab errore seiuncta occurrat, seu a iudicio quo intellectus adversus fidei veritates sententiam ferat.

XI. Qui dubitat ob difficultates quæ in fidei articulis insurgunt, atque harum difficultatum pondere pressus, imperat suspensionem intellectus, peccat adversus fidem: quia dum deliberate assensum cohibet, eo ipso approbat difficultatum momenta contra fidem quam suo ratiocinio metiri audeat. Si vero intellectum ideo abstrahit a rerum fidei contemplatione, ut defatigationem, laborem, ac molestiam evitet, se seque a periculo pertinaciter dubitandi subducatur, nullo modo peccat; hæc si quidem dubitatio ex infirmitate, ac imbecillitate oritur. Quandoque tamen, potissimum si tentatio gravis sit, urget præceptum eliciendi fidei actum: & sane securior via est, ingruente simili fluctuatione, actu fidei expresso veluti sacra

an-

anchora intellectum firmare. Inspicienda tamen est dubitantium indoles. Nam si qui dubitationi obnoxius est, scrupulis angatur; tunc satius erit alio intellectum divertere; dubitationesque floccifacere, & contemnere; quemadmodum spernendæ omnino sunt tentationes blasphemandi Deum, Sanctosque conviciandi: his namque suggestionibus non raro dæmon animas Deo caras vexat, torquetque; cum opus minime habeat hæc, & similia flagitiosis, scelestisque hominibus suggerere; sua quippe sponte isti sanctorum Dei nomen profanant, polluuntque, Sanctorumque honorem conviciis prosciunt. Ex quibus colliges, ad hæresis rationem necessariam esse particulam in eiusdem finitione positam, nempe *voluntarius*.

XII. Qui deliberate dubitat ob difficultates quæ sibi occurrunt, paratus corrigi, si rationes sibi congruæ proponantur quibus suis difficultatibus fiat satis, secus vero ob auctoritatem Ecclesiæ similes difficultates reiciit, hæreticus habendus est. Non enim hic credit ob Dei, & Ecclesiæ auctoritatem, sed proprio suo ratiocinio nixus. Fidelis autem proprium est captivare intellectum in obsequium fidei.

XIII. Quæst. V. *Sit ne hæreticus qui privata revelationi divina dissentit, aut qui propositionem theologiam proxime ex propositione de fide deductam negat?* Resp. Non convenit inter Theologos, quin acriter dissentent super quæstionibus propositis. Ad primam quod attinet, Corduba, Lorca, Vivaldus, alique contendunt, hæreticum non esse qui revelationi sibi factæ a Deo, quamque divinam esse putat, fidem denegat, eidemque resistit: quoniam, inquiunt, hic non sese opponit veritatibus divinis ab Ecclesiâ propositis. Alii contra sultinent, hunc hæreseos crimen incurrere, eo quod fidem negat primæ veritati. Res tanti non est ut fufius eam pertractem; potissimum quod de nomine potius quam de re dissidium sit. Breviter ergo dicam, uno in sensu hunc hæreticorum maximum esse: quoniam ratio formalis fidei est divina revelatio, quæ obscura cum sit, visibili Ecclesiæ organo nobis proponitur. Porro si ipsa revelatio suo proprio lumine spectabilem se offerat, si Deus ipse Ecclesiæ proponentis conditionem supplet; quis dixerit gravissimum consummatæ hæreseos scelus non perpetrare illum qui Deo sic revelanti veritatem fidem non adhiberet? Quid? Hæreticus est qui Ecclesiâ resistit; secus qui Deo ipsi reluctatur, si

Conc. Theol. Tom. I.

propter Deum Ecclesiæ credimus? Opus non esset Ecclesiâ, si Deus se ipso vellet humano, & sensibili modo suas veritates manifestare; ut contigit, cum Christus carne indutus humana, cælestia dogmata explicuit. Non est ergo ambigendum quin hæreticus habendus sit qui convincitur Deo sibi revelanti fidem non adhibere. Accedit quod quæ divinæ sibi factæ revelationi resistit, eo ipso Ecclesiæ auctoritatem contemnit. Quomodo enim Ecclesiæ credere poterit qui Deo, fidem adhibendam Ecclesiæ suæ iubenti, fidem denegat?

XIV. De altera proposita quæstionis parte similiter Theologi dissentent. Canus Lib. XII. cap. VIII. Valentia 2. 2. *quæst. XI. punct. 1.* Bonacina *disp. II. de cons. quæst. v. num. 5.* hæreticum esse contendunt qui theologice veritati immediate ex propositione de fide elicite reluctatur. Contra negant alii plures. Et hoc dissidium nominis potius quam rei est. Quippe si metaphysicis legibus inhæreamus, utique hæreticus non est qui propositionem dumtaxat theologiam reicit. Ceterum si moralis Theologiæ præscripta inspiciantur, quæ id considerant quod communiter accidit, hæreticus habendus est qui propositionem theologiam, suapte natura fluentem ex propositione de fide, aspernatur. Tanta siquidem connexio inter utramque propositionem est, ut vix possit qui alteram negat, alteram affirmare. Qui enim Christum hominem fatetur, qua ratione risibilem negare ausit, & contra?

XV. Quæst. VI. *Est ne pertinax, & hæreticus qui Episcopo proponenti res fidei non assentitur, existimans se Ecclesiæ non contradicere?* Resp. Adfirmantem sententiam defendunt Salmanticenses *tract. XXI. cap. III. punct. 5. §. 2. num. 50.* Caltropalaus *tract. IV. disp. III. punct. 2. n. 6.* Lugo *disput. X. sect. v. num. 160.* alique plures, quos ipsi laudant, probantque. Qui veritatibus fidei sibi satis propositis resistit, hæresis reus evadit. Porro cum Episcopus, Inquisitor, alique Doctores fidei mysteria proponunt, sufficiens est earundem veritatum propositio. Tenetur ergo fidelis eisdem assentiri. Præterea cum fides per Episcopos, Inquisitores, aliosque Doctores declaratur, Ecclesiâ ipsa per hocce suos ministros eam declarat. Raro quippe Ecclesiâ se ipsa fidelibus credenda denuntiat; sed utitur ministrorum ope. Accedit quod qui veritatibus ab Episcopis, & fidei Quæstoribus propositis dissentit, in foro exteriori ut hæreticus pœnas luit: er-

H 3

go

go & in foro interiori pro hæretico habendus est, quia forum exterius interiori coheret.

XVI. Altera sententia negat, quempiam hæresim incurrere ob hoc quod Episcopo, vel Inquisitori proponentibus fidei articulos fidem adhibere recusat. Hunc tamen peccare concedit plus, minusve, prout maior, aut minor illius temeritas, & pertinacia fuerit. Hanc secundam sententiam tuetur Canus *Lib. XII. de loc. theol. cap. VIII. Valentia 2. 2. disp. 1. quest. XI. punct. 1. diff. 4. Vasquez 1. 2. quest. lxxvi. disp. cxxxvi. cap. III. num. 7. Sanchez Lib. II. cap. VII. num. 25. Sayrus Tom. I. Lib. III. cap. IV. num. 17. & alii.* Hæc sententia mihi probabilior est, & si vero in sensu explicetur, unice vera, & a nemine neganda.

XVII. Nemo inficias ire aufit, quemlibet Episcopum, quemque Inquisitorem errori obnoxium esse. Sola quippe Ecclesia, solus Romanus Pontifex ex cathedra loquens nec fallere, nec falli potest. Qua ergo ratione hæreticus dicendus ille est qui sive Episcopis, sive Inquisitoribus, quos vocant, fidem adhibere recusaverit? Quæ ratio ut clarior fiat, & ut paralogisimum, quo contraria laborat opinio, tollatur, considerandum occurrit; num Episcopi voce Ecclesiæ loquantur, & ut Ecclesiæ præcones ab eo qui audit habeantur; aut tamquam Doctores, & privati Pastores res credendas proponant. Si is qui Episcopum res fidei explicantem audit, existimat eum doctrinam Ecclesiæ catholicæ proponere, ac voce Ecclesiæ loqui, & nihilominus fidem adhibere recusat; hoc in casu nemo est qui ambigere iure possit hunc hæreticum esse. Contra si Episcopum ut privatum Pastorem, atque Doctorem habet, si eidem fidei dogmata edifferenti credere renuit, peccare utique audaciæ, & temeritatis potest, hæresis sane non potest: quoniam Episcopo sic loquenti dum contradicit, Ecclesiæ catholicæ se minime contravenire existimat. Quare admiratio quædam animum subit, Salmanticenses, viros alioquin acutos, in ipso quæstionis titulo proponere, fidelem hunc, dum contradicit Episcopo, existimare se in hoc non contravenire Ecclesiæ. Et tamen constituunt hunc hæreticum esse. Quod sane non coheret cum iis quæ paulo ante de pertinacia docent, videlicet pertinaciæ notionem in eo sitam esse, quod quis sciens, & prudens ab ea veritate recedat quam definitam esse ab Ecclesia cognoscit. Itaque, ut iusta hæresis feratur censura, præ oculis habenda pertinacia

est quæ ad hæresim constituendam necessario requiritur. Porro dictum supra, repetendumque nunc est, hæresim mentis assensu perfici ex voluntatis consensione in eo qui rem quam credere renuit, cognoscit esse catholicam veritatem: ergo & infidelitas intellectus dissensu perficitur in eo qui rem cui assentit, cognoscit esse contra Ecclesiæ communem fidem, ut post Caietanum optime advertit laudatus Canc. Contrariorum enim contrarias oportet esse notiones. Pertinax autem, si vel ipsam nominis notionem inspiciamus, is est qui plus nimio in propria sententia hæret. At qui opinionem suam intelligit communi Ecclesiæ sensui, & fidei repugnare, atque in ea perstat nimis, profecto in illa perseverat. Vere igitur est pertinax. Immo hæc sola consummata pertinacia est, quæ absolute cum fidei constantia pugnat; atque adeo sola ea simpliciter hæresim conficit. Hinc colliges, quam fallâ sit hæresis definitio quam Clarissimus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus in sua Eloquentia Italica tradit pag. 367. his verbis italicis; *L'esser eretico appunto consiste in dire erese con la persuasione di non dirle, ma bensì di proferire verità cattoliche.* Quæ verba sic latine redduntur: *Hæresis notio in eo scilicet sita est, ut quis hæreses proferat, persuasum habens se hæreses minime proferre, sed catholicas veritates.* Si hoc verum foret, quis certus esse posset se hæreticum non esse? Cuique enim excidere verbum valet re ipsa adversum catholicæ doctrinæ, quod eidem consentaneum existimet. In obsequium tamen eruditissimi viri cuius familiaritate, atque amicitia honore frui mihi licuit, id forsitan ille intellectum voluit, hæreticos nempe proferre hæreses quas Romanæ Ecclesiæ agnoscunt contrarias; existimant tamen veritates catholicas enuntiare, quod errare posse Ecclesiam impudentissime docent. Quo in sensu Lutherus, Calvinus cæcitas poena percussit, alique hæresiarchæ sciebant dogmata sua Romanæ doctrinæ adversari; putabant tamen, seu verius dicam, iactabant saltem extrinsecus, se veritates catholicas prædicare.

XVIII. Ad argumenta quæ opponunt Salmanticenses cum aliis, ex dictis responsio patet. Laborant siquidem aperta fallacia. Nam verum est Ecclesiam per Episcopos, fideique Quæsitores, aliosque Doctores credenda proponere. Qui his contradicit, Ecclesiæ reluctatur. Distinguendum est. Si qui fidem illis adhibere recusat, existimat illos

præ-

prædicare doctrinam Ecclesiæ catholicæ, & non propria sensa promere; tunc certum omnibus est hunc hæresis crimine infici. Quippe hoc in casu hic agnoscit, auctoritati Ecclesiæ se se opponere. Laudati tamen Auctores suam quæstionem huic sensui non illigant, immo in ipsius quæstionis titulo loco positionis constituunt, quod qui resistit Episcopo, existimat se in hoc Ecclesiæ non contravenire. Si vero fidem adhibere recusat Episcopis, & Inquisitoribus, existimans eos Ecclesiæ voce non loqui, nec doctrinam Ecclesiæ evulgare, licet ministri eius sint, hæresim non incurrit, si fidem illis denegat. Quoniam qui hac ratione eis reluctatur, minime existimat se cum Ecclesia catholica pugnare; atque adeo deest pertinacia quæ ad hæresis crimen perpetrandum necessaria est. Hac sola distinctione, seu explicatione nostræ sententiæ, omnia adversariorum obiecta resolvuntur.

XIX. Quæst. VII. *Esset ne formaliter hæreticus catechumenus, qui aliquos fidei articulos negaret?* Resp. Adfirmant Suarez, Bannez, Azorius, Palaus, Tapia, Salmanticenses tract. XXI. cap. III. punct. 5. num. 52. aliique, qui laudantur ab iisdem. Quoniam, inquiunt, hæresis in hoc sita est, quod veritati alicui revelatæ quis dissentiat. Sed ante baptismi susceptionem æque resistere quis potest veritati divinæ, ac post. Ergo ad hæresim incurramdam susceptio non requiritur baptismi. Idque patet in catechumeno qui vere in Christum credit, tamen tinctus sacro lavacro non sit.

XX. Contrariam sententiam defendunt Caietanus, Toletus, Aragonius, Hugolinus, Sayrus, & alii. Si Theologorum spectetur auctoritas, utraque opinio sua fruitur probabilitate. Si notio hæresis penitus consideretur, probabilior mihi est secunda opinio. Nam ultima particula definitionis hæresis hæc est, *in eo qui fidem recepit.* Porro qui aqua baptismatis ablutus non est, fidei christianæ professionem non emisit; neque in Catholicorum censum perscriptus est. Quamquam igitur catechumenus interius in Christum credat, dici tamen nequit quod fidem Christi professus sit, eamque receperit; sed solum in via est ad illam recipiendam. Verum utique est quod si credit, fidem habet; sed particula *in eo qui fidem recepit,* sensum prodit de eo qui christianam religionem professus est. Quemadmodum qui tyrociniū ponit in aliqua religione, & ab eadem, antequam profiteatur, recedit, a

nemine pro apostata habetur. Cur ergo tyro christianæ religionis apostata, vel hæreticus proprie, & formaliter dicendus est, si antequam catholicæ religionis professionem edat, ab eadem recedit, aut aliquos articulos denegat?

XXI. Ad contrariæ sententiæ argumenta facilis responsio est, & utraque opinio conciliari valet. Et primo falsum est in eo hæresis malitiam sitam esse, quod quis veritati divinæ revelatæ resistat: alioquin omnes pagani essent hæretici. Idque patet ex recentissima ultima particula in hæresis finitione posita. Catechumenus, inquis, non est infidelis, qui nullo modo fidem receperit, nec Iudæus: ergo hæreticus, cum tantum sint tres infidelitatis species. Resp. Communis Theologorum doctrina est, dupliciter peccatum aliquod in genere collocari, & in specie. Uno modo, inquiunt, formaliter, & directe; altero modo materialiter, & reductive. Hoc secundo modo Dialectici materiam in prædicamento substantiæ, punctum in genere quantitatis, embryonem in specie animantis, cuius gratia a natura paratur, ponunt. Idem in designanda peccatorum specie accidit. Dicimus ergo, catechumenus fidei catholicæ resistentem, hæreticum esse reductive. Quapropter in ipso quæstionis titulo propositum fuit, sitne dicendus hæreticus formaliter: quoniam in hoc difficultas vertitur. Dicimus ergo unanimi consensione, catechumenus ante solemnem fidei catholicæ professionem, si eidem fidei resistat, hæreticum esse initiative, & reductive; secus formaliter, & complete. Quod adeo verum est, ut is, si a fide recedat, in nullius sententia hæreticorum poenis subiacet; cum excommunicationis capax non sit, neque Ecclesiæ iurisdictioni subiectus. Fit quippe Ecclesiæ membrum professione in baptisate emissa. Sententia sic explicata mihi probabilior, & verior est.

XXII. Quid de eo dicendum qui fictæ baptismum suscepit? Ecclesia fictionis ignora eum ceu hæreticum damnat. Ceterum vere, & proprie, seu formaliter hæreticus non est: quia re ipsa fidei christianæ professionem non edidit, quando baptismum irritum fuit.

XXIII. Maior difficultas de illis est qui sincera voluntate ad sacrum lavacrum accesserunt, & defectu seu legitima materia, seu intentionis ministri baptismus irritus fuit; & nihilominus se se tamquam veros Catholicos gesserunt, putantes se vere baptizatos esse.

esse. Affirmant laudati Salmanticenses cum pluribus aliis. Verum ex iis quæ dicta sunt, non esse veros, & formaliter hæreticos colligitur. Quoniam revera baptizati non fuerunt, atque adeo fidei professionem solemniter non ediderunt. Quare nec excommunicationem, nec alias hæreticorum poenas incurrununt. Aliqui tamen docent, posse Ecclesiam eiusmodi cogere ad baptismum suscipiendum, eo quod ex parte sua illum susceperint. Ita Sayrus, Sanchez, Henriquez, & alii.

XXIV. Verum contrarium mihi dicendum videtur. Quoniam, quando contractus nullus ex quocumque defectu est, una pars vi talis contractus ius in alteram minime acquirit. Porro Ecclesia visæ baptismi nullum ius adipiscitur in eum qui tali baptismo tinctus est. Ergo nequit eum cogere ad baptismum denuo suscipiendum. Solos quippe subditos Ecclesie cogere valet ad ea præstanda quæ fidei christianæ sunt. Fide autem baptizatus non est, nec fuit subditus Ecclesie catholice. Quare concludendum est neminem puniri ab Ecclesia posse ut hæreticum, qui prius baptismatis sacramento eiusdem Ecclesie membrum non secesserit, & ab eiusdem corpore per hæresim se secesserit. Quæ resolutio est ipsius Concilii Tridentini confirmantis ea quæ hac de re dicta a nobis sunt. *Cum Ecclesia* (inquit sacra Synodus sess. XIV. cap. II.) *in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de his qui foris sunt, iudicare?* Quæ tamen intelligenda sunt, quando constat iuridice non esse baptizatum. Nam si quis publice baptismum susciperet, licet interna fictione illum respiceret, Ecclesia fictionis ignara præsumeret vere hunc baptizatum esse: idcirco eum tamquam hæreticum puniret, si in hæresim incidere.

XXV. Quæst. VIII. *Quid sit apostasia, & an specie differat ab hæresi?* Resp. Apostasia finitio hæc est, quæ ex D. Thoma colligitur 2. 2. quæst. XII. art. I. *Apostasia est recessio hominis baptizati a tota fide.* Hinc colligitur, apostatam ab hæretico discrepare, quod hic aliquam evangelicam veritatem sciens impudenter denegans, plures alias admittit, atque Christum, eiusque Religionem se profiteri iactat; ille universæ christianæ legi, atque Christo eiusdem auctori nuntium remittit. Hæc est vera, & potissima apostasia. Apostatæ quoque vocantur qui

retrocedunt ab Ordine, a Religione quam professi sunt. Non eo ipso tamen a Deo recedunt, sicut contra qui a fide christiana desciscunt, a sacris quoque ordinibus descidunt, & duplici reatu inficiuntur.

XXVI. Dissident Theologi, differat ne specie apostasia ab hæresi. Negant Bannez, Valentia, Aragon, Sanchez, Salmanticenses tract. XXI. cap. III. punct. 5. num. 58. Affirmant Turrecremata Lib. IV. Summ. part. II. cap. XIII. Sylvester verbo *Hæresis*, Canus de loc. theol. Lib. XII. cap. VIII. Quæstio potius nominis quam rei est. Si D. Thomæ mens spectetur, hæc secunda sententia verior est. Quippe apostasia motum quemdam importat discedentis a fide. Motus autem non habet speciem a termino a quo, sed a termino ad quem. Cum ergo apostata ad Iudæorum superstitionem, & errorem accedit, iudaicæ infidelitatis reus est: si ad paganismum deflectit, paganicæ infidelitatis culpam contrahit. Textum quem Salmanticenses pro sua opinione afferunt ex D. Thoma 2. 2. q. XII. art. I. a. 3. illis non favet, sed aperte officit. Dicit ergo Angelicus: *Unde apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggravantem.* Huius textus genuinus significatus est, apostasiam nullam præferre determinatam infidelitatis speciem; sed ad eam revocari ad quam apostata accedit. Ex eo enim quod a fide christiana recedit, speciem non habet, ut ait Angelicus, sed solum circumstantiam quamdam aggravantem iniquitatis. Melius quippe erat illi non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. Hæc clara sunt, & perspicua. Hæresis in definita infidelitatis specie collocatur. Si ergo Angelicus conceptis verbis ait, apostasiam non constituere peculiarem speciem intra genus infidelitatis, compertum est hæresim specie distingui ab apostasia. Sed levioris negotii quæstio est, quam ut longiorem illius discussione sermonem effundamus. Si plura cupis, consule Canum loc. cit.

XXVII. Quæst. IX. *Princeps propter apostasiam a fide amittit ne dominium in subditos?* Resp. Integrum articulum super hac quæstione D. Thomas instituit 2. 2. q. XII. art. 2. ubi evincit, Principem apostatam amittere propter apostasiam a fide dominium in subditos, simul atque Ecclesia excommunicationem denuntiavit ob tale crimen. *Quia, inquit, homo apostata pravo corde machinatur malum, & iurgia seminat, intendens*

dens homines separare a fide: & ideo quam cito aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti a domino eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur. Ad argumenta quæ opponi solent petita ex dominio infidelium Principum, & ipsius Iuliani apostatæ in Christianos subditos, respondet, aliam esse rationem quæ favet illis Principibus qui nunquam fidem susceperunt, ab ea quæ adversatur apostatis a fide suscepta. Quoniam ad Ecclesiam non pertinet punire eos qui foris sunt; sed contra iure punire valet eos qui fidem susceperunt. Ad id quod de Iuliano dicitur, respondet, *quod illo tempore Ecclesia in sui novitate nondum habebat potestatem terrenos Principes compescendi: & ideo toleravit, fideles Iuliano apostata obedire in his quæ nondum erant contra fidem, ut maius periculum fidei vitaretur.*

CAPUT VI.

Quoties sit hæresis, & quæ poenæ.

I. **P**rima hæresis partitio in *formalem* est, & *materialem*. Hæresis formalis iam supra finitionem dedimus. Ea siquidem est, cum quis prudens, & sciens veritati alicui catholice cum pertinacia resistit. Iuvat hic clarius explicare particulam *scientiæ* requisitæ ad hæresim formalem, cum scilicet ignorantia crassa, & affectata satis sit ne quis in hæresim incidat. Dicimus ergo ad hæreseos culpam contrahendam ita necessariam esse scientiam, qua quis advertat se catholice Ecclesie auctoritati resistere, dum aliquam revelatam veritatem negat, ut ignorantia etiam crassa ab hac culpa excuset. Quamvis ergo quispiam ignorans aliquam veritatem dogma esse catholicum, admonitus ab Episcopo, aliisque viris doctis persistat in suo errore tali dogmati contrario; adhuc tamen hæreseos notam non contrahit. Insolens utique, audax, præceps, contumax, sapiens hæresim, & quid aliud simile compellari poterit; hæreticus vero non poterit. Quoniam pertinacia eius nondum cum fide catholica, & Ecclesie auctoritate pugnat. Illius reluctatio, & obfirmata ignorantia peccatum est, maxime post admonitionem Episcopi, aliorumque Doctorum: quodque peccatum ad hæresim reduci utique potest, seu erit reductive hæresis; scilicet formaliter, & complete. Hanc sententiam defendunt Canus, Bannez, Tolletus, Vasquez, Sanchez, alique plurimi.

Quid vero de ignorantia affectata dicendum? Excusat ne etiam ista ab hæresi nota? Negat Canus cum aliis, ignorantiam affectatam ab hæresi excusare. Affirmant Bannez, Ledesma, Azorius, alique. Optime Vasquez 1. 2. q. Ixxvi. art. 3. disp. cxxvi. c. II. distinctione utitur. Qui suum affectat errorem ex auctoritatis Ecclesie contemptione, hic dubio procul hæreticus est. Idem dicendum, si errorem affectet ob finem liberius vivendi: quia in amore istius pravæ libertatis includitur recessus ab ipsa Ecclesie auctoritate, & pertinacia, qua sic affectans errorem suum, renuit sese subicere eidem Ecclesie. Si quis vero ignorantiam affectaret ex negligentia & tædio addiscendi veritatem catholicam, is hæreticus dicendus non esset: quia tum pertinacia adversus Ecclesiam deesset, quin potius adesset animi præparatio ad correctionem. Et hæc opinio mihi probabilior est. Ad hæresis partitionem nunc revertamur.

II. Hæresis *materialis* est cum quis aliquid contra fidem credit, aut profert, ignorans illud ad fidem pertinere. Si ignorantia sit invincibilis, hæresis materialis est sine culpa; si vincibilis, cum culpa, dummodo non sit affectata modo iam explicato. Hæresis quoque materialis est cum quis propositionem aliquam fidei contrariam exterius pronuntiat, absque tamen assensu interno. Aliqui hæresim formalem distinguunt ab objectiva. Illam dicunt esse actum quo hæreticus renuit assentiri veritati catholice; hanc objectivam ipsum quod falso quis credit. Sed superflua videtur divisio hæc. Tribuitur secundo hæresis in *mentalem*, seu *pure internam*, atque in *utramque*, *internam* nempe *simul*, & *externam*. Hæresis mentalis, seu interna, ea est quæ ita intra animum, mentemque sistit, ut nullo signo exteriori manifestetur. Tunc vero externa evadit simul, & interna, quando aliquo signo exteriori palam fit, ita ut ab iis qui adsunt, dignosci valeat. Ad hæresim quippe externam satis est ut manifestetur signo exteriori, quod suapte natura aptum est eam patefacere. Datur denique hæresis mere externa (si tamen hæresis iure appellari possit) quæ tunc est cum quis aliquam veritatem catholicam externis tantum verbis negat, aut falsam sectam signo, veste, aut facto profertur, seu potius simulat. Huiusmodi hæretici coram Deo neque hæresim formalem contrahunt, nec excommunicationem incurrununt, sed tantum peccant contra præceptum

confessionis fidei. In foro tamen exteriori Ecclesiae pro haereticis, & excommunicatis habentur. Rursus haeresis formalis interna simul, & externa dividitur in eam quae est manifesta per se, quae etiam publica dici solet, quae non modo signo, verboque manifestata est, sed etiam coram pluribus videntibus, & audientibus prolata est; & in eam quae occulta per accidens est, quae etiam privata dici potest: quae licet verbo, aut signo manifestata sit, sitque vere externa; tamen hoc evenit nemine vidente, aut audiente. Denique dividitur in affirmativam, & negativam: illa est dum quis errorem contra fidem in mente conceptum libere palam verbo, signove coram omnibus proficitur; haec est cum quis de haeresi iuridice convictus, haeresim hanc suam fateri pertinaciter recusat, immo exterius fidem catholicam proficitur.

III. Duo sunt poenarum genera in haereticos constituta. Primum spiritualium, alterum temporalium. Prima spiritualis poena est excommunicatio, ut colligitur ex cap. Quicumque de haereticis, in 6. & cap. Noverit de sentent. excommunicationis, ubi lata, non ferenda, declaratur; quamquam olim tantum ferenda fuisset, ut colligitur ex cap. Si quis Episcopus, l. q. VII. Haec poena non divina, sed ecclesiastica iuris est, ut communis fert opinio.

IV. Secunda poena in haereticos lata irregularitas est, ut colligitur ex cap. Nos consuetudinem dist. XII. & ex cap. Convenientibus l. quest. VII. Tertia poena est privatio potestatis spiritualis in illis qui sacris ordinibus sunt insigniti. Haec itaque poena non ordinem auferit, sed usum licitum illius interdicit. Id colligitur ex c. Arianos l. quest. I. cap. Convenientibus, & cap. Si quis voluerit l. quest. VII. Quarta poena spiritualis est privatio dignitatum, beneficiorum, atque ad ea in posterum obtinenda inhabilitas, ut habetur in cap. Quo iure dist. VIII. & alibi. Quinta est privatio sepulturae, ut colligitur ex cap. Quicumque de haereticis, in 6. Neque ad hanc poenam subeundam requiritur quod sint expresse denunciati; sed satis est quod publice in haeresi mortem occumbant; quin illi ipsi excommunicationi obnoxii sunt, qui notos haereticos sepultura donant.

V. Temporalium poenarum princeps est, omnium bonorum quae haeretici sunt, confiscatio, ut patet ex leg. Manichaeos cod. de haereticis. Nemo tamen huic poenae ante

latam sententiam subiacet. Secunda est infamia qua haeretici indigni quocumque honore, dignitate, & officio evadunt, ut patet ex cap. Infames q. I. cap. Statutum II. de haeretic. in 6. Iltius infamiae haereticorum quoque filii rei sunt, ut patet ex cap. Statutum de heret. in 6.

VI. Proximam instituit quaestionem P. Sanchez super poenis filiorum qui a parentibus reis laesae maiestatis divinae, vel humanae progenerati sunt. Queritque, utrum obnoxii sint eiusmodi filii poenis in eosdem statutis, si geniti sint ante parentum crimen: & hanc quaestionem celeberrimam vocat, eamque superiore calamo versat Lib. II. c. XXVII. a n. 5. Primo recenset argumenta sententiae affirmantis, quae eiusmodi sunt. Ratio constituendi poenas in filios progenitos a parentibus maiestatis divinae, aut humanae reis, non est aliqua sanguinis parentum infectio qua virus iniquitatis derivetur in filios. Nam parentes rei laesae maiestatis peccatum proprium transfundunt in filios. Quin si ratio sanguinis spectetur, plus iniquitatis a matre quam a patre filius participaret. Accedit quod ratio potissima constituendi poenas debitas parentibus in filios, est praesumptio quod filii parentum mores sint imitaturi. Frequens quippe est tales fore filios quales parentes; quod pluribus argumentis evincit Tiraquellus Lib. VII. connubiali par. VII. gloss. I. & D. Ioannes Chrysostomus hom. XXV. in Matth. D. Gregorius Nazianzenus carmine ad Nicobolum:

*Gloria namque patri natorum fama, de-
cusque,*

*Ut rursus natis est gloria fama paren-
tum:*

*Gratia communis, labes communis utrius-
que.*

Plautus in Pseudolo act. I. scen. 5. Homerus Iliadum XVII. Ovidius Lib. I. de trist. eleg. VII. Virgilius ecloga VIII. Catullus Lib. III. eleg. IV. alique Auctores tam sacri, quam profani communiter. Denique ideo parentum poena plectuntur filii, ut inde maiorem dolorem parentes sentiant. Quae rationes evincunt, filios obnoxios parentum poenis esse debere, sive ante, sive post delictum laesae maiestatis geniti fuerint. Has rationes confirmat Sanchez innumeris pene auctoritatibus ab utroque iure petitis.

VII. Contrariam tamen ille sententiam, tamquam probabilioram, defendit; quam evincit primo, quia ad optimos, aut prae-
con-

conceptionis tempore bonis moribus instructi sint, ut docet Ovidius Lib. IV. Metam.

*Et patrum in natos abeunt cum semine
mores.*

Aristoteles Lib. I. Polit. cap. IV. *Ut ex hominibus hominem, ex bestiis bestiam, sic ex bonis bonum generari. Sed natura quidem hoc vult; attamen plerumque non potest.* Quamvis optima educatio plurimum valeat ad conformandos puerorum mores, plus tamen in id confert optima parentum indoles, ac sanguis purus, praevisque affectionibus defecatus tempore quo filii concipiuntur, ut inquit Plato in orat. funeb. *Boni autem fuerunt, quia ex bonis nati sunt. Generis igitur praestantiam prius laudemus, deinde educationem, & doctrinam.* Quoniam mores boni, aut pravi ex sanguine parentum vel infecto, vel puro, quali naturales sunt; ex educatione vero accidentarii. Naturalia autem fortiora sunt. Et hinc concludit, filios conceptos ante crimen laesae maiestatis a parentibus perpetratum, minime obnoxios fore parentum poenis, sed tantum illos qui post perpetratum delictum concepti sunt. Idque confirmat rationibus, & auctoritatibus undequaque quaesitis. Non vacat diutius in hac re immorari. Utraque opinio probabilis est. Problema illud, num optima indoles praevaleat educationi, an educatio optima pravae indoli, difficilis est solutionis. Optimam tamen indolem praefendam esse mihi probabilius est.

VIII. Tertia est poena carceris, quae tamen poena infligenda non est, antequam reus per testes convictus sit. Qui vero ut haeretici deprehensi fuerint, etiam si poenitentiam libere spondeant, seseque ad subeundam offerant; perpetua nihilo facies carcerum poena damnandi sunt, ut colligitur ex cap. Excommunicamus II. de haeret.

IX. Ultima, & omnium gravissima poena est capitis damnatio, ut habetur in L. Ariani, cod. de haeret. leg. Culpa. Longa hic instituenda quaestio foret de potestate Ecclesiae ad infligendam haereticis mortis poenam. Verum eam pro dignitate plures celeberrimi Theologi versarunt: ideo ne actum agamus, ab illius discussione abstinemus. Brevissime dumtaxat, & per transennam rationem indicabimus quae evincit Ecclesiae potestatem in haereticorum caput. Crimen haeseos, inquit Angelicus 2. 2. q. XI. art. 3. est morte dignum, utpote crimen laesae maiestatis divinae. Unde si falsa-

vii pecunia, vel alii malefactores statim per saeculares Principes iuste morti traduntur; multo magis haeretici statim ex quo de haeresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed & iuste occidi. Potestatem vero hanc mortis poenam infligendi esse penes Ecclesiam, sive penes illius supremum caput, nihil est quod obstat. Quandoquidem & Elias propheta Baal apprehendit, & duxit ad torrentem Gison, & interfecit eos ibi: III. Reg. XVIII. vers. 40. Divus quoque Petrus a Christo Iesu summus Pontifex constitutus Ananiam, & Saphiram verbo interfecit ob fidem Deo datam laesam in surreptione bonorum quae ipsi consecrata iam erant, ut habetur Act. V. Id tamen quod certo statui-
mus, non est, quanam potestate, ecclesiastica ne, an saeculari, exequenda haereticorum mors sit; sed quod isti morte plectendi sint. Quin addimus, hanc mortis poenam in haereticos infligendam non exerceri ab Ecclesia, sed a laicorum Principum gladio, ut tradit D. Thomas loc. cit. *Relinquit eum iudicio saeculari a mundo exterminandum per mortem. Dicit enim Hieronymus. . . . Resecanda sunt putride carnes, & scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Verum de hoc alibi.

CAPUT VII.

De iis qui excommunicationi in haereticos late obnoxii sunt.

I. Primum omnium de illis dicendum qui ab hac excommunicatione liberi sunt. Itaque qui haeresim mere internam concepit, seu haereticus internus, excommunicationi in haereticos late non subiaceret. Quia ut commune fert axioma, Ecclesia non indicat de occultis, quae scilicet sunt omnino intra mentem abdita: & ideo iudicio Ecclesiae non subsunt. Similiter haereticus mere externus praefatam poenam non incurrit: quoniam hic non est verus haereticus, cum nullo intellectus errore infectus sit. Porro excommunicatio lata est in eos qui revera haeretici sunt. Quod tamen intelligendum est in foro interiori, & coram Deo. Nam si ad tribunal Ecclesiae iste denunciaretur, haeseos fontem praesumerent iudices. Quisque ergo Confessarius absolvere eum potest qui aut haereticus est omnino internus, nulloque signo manifestatus, aut haere-

reticus mere externus nullo interiori errore pollutus.

II. Quæst. I. *Hæreticus internus, simulque externus, occultus tamen, subiacet ne excommunicationi in hæreticos lata?* Resp. Compertum penes omnes est excommunicationis poenam in eos constitutam esse qui interius simul & exterius hæretici sunt. Sed contingere potest quod aliquis secreto, nullo præfente, in aliquo secreto cubiculo, vel angulo hæresim mente conceptam verbo proferat, Christi divinitatem denegat, Crucem conculcet, idque genus similia perpetret. Hic esset utique hæreticus tum internus, tum externus; sed tamen occultus: atque adeo eius crimen deferri ad forum externum nequit. Communis sententia adfirmat, hunc esse excommunicationis poenæ obnoxium; quoniam hæresis quæ vere externa est, iudicio Ecclesiæ subiacet. Quod vero occulta sit, per accidens est. Et hinc tantum infertur, quod, dum peccatum occultum est, non possit tribunal iudicium singulare ferre, iurisque formulis servatis illud punire: ad hanc namque punitionem actualis cognitio causæ, seu delicti requiritur. Secus tamen res se habet, quando iudex per sententiam generalem in illos constituit poenam qui tale delictum perpetraverint; potissimum quando poena spiritualis est, & medicinalis. Tunc enim poena lata est sub conditione perpetrati delicti, quod genere suo subiectum sit iurisdictioni exteriori. Porro, ut dictum est, quoties delictum hæreseos externum est, natura sua constitutum est sub iurisdictione tribunalis exterioris. Quod ergo occultum sit, minime tollit quin subiaceat poenis constitutis in eos omnes qui eiusmodi perpetrant flagitia. Sed difficultas hæc ex instituto in tractatu de sacramento Pœnitentiæ discutietur.

III. Quæst. II. *Quanam verba, & signa requiruntur, ut hæresis exterius manifestata dicatur?* Resp. Ut verba, seu signa exterius hæresim manifestent, duo potissimum necessaria sunt. Primum, ut verba ista, vel signa expresse, & complete hæresim prodant, ita ut si aliquis præfens foret, posset hæresim internam dignoscere. Porro eiusmodi verba, signa, aut scripta queunt hæresim manifestare vel proprio significato, vel ob consuetudinem, vel ob circumstantias loci, temporis, personarumque qualitates. Hæresis quippe intra mentem latitans, & prorsus interna, fieri manifesta nequit humanæ cognitioni, nisi per sensibilem signi-

ficationem. Hæc autem sensibilibus significatio percipi nequit, nisi verbis, signis, scriptisque, quæ integre, pleneque talem significationem repræsentent. Alterum, quod signum externum ex se sit grave peccatum in materia hæresis: quæ gravitas non sumitur ex comparatione actus, seu signi exterioris cum actu interiore; sed ex eiusdem actus natura. Excommunicatio enim gravissima poena est, quæ nisi ob grave crimen non infligitur. Hinc communiter Theologi docent, non incurrere excommunicationem illum qui leviter clericum percuteret; quamquam gravissimo odio interno adversus clericum percussor arderet. Requiritur ergo quod in propria hæresis materia actio, seu id quod hæresim internam manifestat, sit grave peccatum. Quapropter si quis hæresi interna teneret die Veneris, contempta Ecclesiæ auctoritate, licitum esse carniem esum, & exterius levem tantummodo carnis quantitatem ederet, hæreticus externus non esset. Denique verba quæ manifestare hæresim internam debent, necessum est ut reipsa exterius ita repræsentent, quo adstantes percipere hæresim valeant. Quare si quis intus in corde crederet sacramenta quæ conferunt gratiam, nulla reperiri, atque exterius hæc quibus hanc hæresim exprimeret, verba proferret, *Ita est, sic credo*; non esset hæreticus externus: quia præfata verba non satis exprimunt internam hæresim, nec existem colligere quisquam hæresim illam valeret. Contra si exterius quisquam interrogaretur, crederet ne Christum reperiri sub speciebus panis, vini que in altaris sacramento, & interius crederet reipsa non adesse; si interrogationi responderet: *Ita non est, non credo*, hæreticus proculdubio esset: quia ex circumstantia interrogationis satis superque responsio hæresim internam exterius proderet.

IV. Quæst. III. *Verba æquivoca sunt ne apta ita manifestare hæresim internam, ut externus hæreticus evadat, & excommunicationem incurrat qui istiusmodi verbis suam patefaceret hæresim?* Resp. Negat prima sententia, esse hæreticum illum qui verbis æquivocis suam proderet hæresim: quam opinionem defendit Castropalans cum aliis tract. iv. disp. III. punct. 3. num. 3. Verba enim ambigua, seu æquivoca duplicem habent sensum, alterum catholicum, hæreticum alterum; neque unum præ alio esserunt. Quid ergo est quod in sensu hæretico accipienda sint verba ista? Secunda sententia

tia adfirmat, eum qui ambiguis seu æquivocis verbis hæresim internam manifestat, vere incurrere in hæresim externam, & excommunicationem. Quoniam verba hæc satis hæresim internam patefaciunt, quamquam per accidens ob aliam significationem hæresis interna occultetur. Ergo per se, seu absolute talia verba perfecte hæresim manifestant. Ergo hæreticus externus habendus est qui eiusmodi verbis suam prodit hæresim. Verum utique erit hunc esse hæreticum occultum, non manifestum: quia forum exterius iudicium ferre nequit in eum qui verbis tantum ambiguis accusatur ut hæreticus.

V. Hanc secundam sententiam defendunt Suarez disp. XXI. sect. II. num. IV. Sanchez Lib. II. cap. VIII. num. 26. Salmanticenses tract. XXI. cap. III. punct. 7. num. 57. alique apud ipsos. Prior sententia in foro exteriori certa est. Ad forum internum quod attinet, secunda sententia probabilior apparet. Quoniam licet verum sit verba æquivoca duplici frui significato; hinc solum infertur, in foro exteriori convinci tamquam hæreticum illum non posse qui similibus verbis suam promittit hæresim; & hac ratione non erit hæreticus manifestus. Verum erit hæreticus externus, occultus licet: quia verba illa, respectu saltem proferentis, vere & proprie manifestant hæresim mente conceptam. Et hæc externa manifestatio comperta est proferenti verba æquivoca eodem modo ac si verbis perspicuis uteretur. Quid ergo impedit quominus hæreticus habendus sit externus homo iste? Ne multa; verba æquivoca, & ambigua aliis occultant hæresim loquentis; at respectu eiusdem illam satis superque exterius manifestant. Accedit quod in hæresim controversiis pro hæresi in dubio iudicandum est. Crimen quippe est læsæ maiestatis divinæ, & catholice societati infestum. Qua de causa, omissa prævia admonitione, revelari valet. Secunda itaque sententia amplectenda est.

VI. Quæst. IV. *Qui consulens virum doctum, aut in sacramentali confessione suam internam hæresim patefacit, incidit ne in hæresim externam?* Resp. Negans opinio communis, & certa est. Et ratio ex iis quæ sunt dicta, patet. Actio quippe quæ exterius hæresim manifestat, mala esse debet, & peccatum grave. Præfata autem revelatio bona est. Ergo non efficit hæreticum exteriori, neque hæreticorum poenis illum subiicit. Quapropter qui legens, transcribens,

disputans hæresim pronuntiat quam in mente habebat, sine animo tamen illam pronuntiandi, non est hæreticus exterior: quia manifestatio eiusmodi animus non prodit hæreticum; neque transcriptio, lectio, disputatio genere suo apta sunt ad hæresim internam patefaciendam. Sicut qui narrat se fornicasse, non indicat se nunc fornicatorem esse. Similiter hæreticus non est qui scribit hæresim characteribus sibi tantummodo cognitis: quia tunc hæresis illa integra manet in mente. Siquidem characteres illi nullam, ut supponitur, penes quoscumque alios habent significationem. Quod non est idem de verbis ambiguis, quæ reapse externum significatum habent in seipsis, licet cum alio significato coniunctum. Neque pro hæretico exteriori illum habent Sanchez, Filliucius, Bonacina, Salmanticenses, qui verbis manifestaret se olim hæreticum fuisse: quia hæc narratio non est præfatis hæresis confessio, sed elapsæ hæresis manifestatio. Quin nolunt esse hæreticum externum, etiam si complaceret sibi in hæresi præterita: quia hæc complacentia non patet. Pariter qui animo interiore crederet fornicationem, adulteriumque licitum esse, illudque perpetraret animo hæreticali, in hæresim externam non incidere; quia actio adultera suapte natura non manifestat, nec apta est manifestare hæresim internam. Hæreticus vero esset qui Christi imaginem verberaret, quocumque errore adversus incarnationem Verbi divini ductus id præstaret. Idem dicendum de eo qui errore Anabaptistarum interiore infectus, alique rebaptizaret. Quoniam eiusmodi actiones abunde hæresim interiorem patefaciunt. Essent quoque hæretici externi tum qui credentes polygamiam licitam esse, duplici uxori iungerentur, tum qui ex animo hæreticali Missæ sacrificio numquam assisteret, vel ad hostiæ elevationem genua non flecteret: quandoquidem & hæc actiones satis manifestant hæresim internam.

VII. Quæst. V. *Esset ne hæreticus externus qui hæresim mente sola conceptam in somniis illam proderet, si experientia præcedente didicit illam se manifestaturum, nullamque adhibuit diligentiam ad illam occultandam?* Resp. Negat communis, & vera sententia, eo quod eiusmodi manifestatio non ex hæresi oritur, neque ex animo hæreticali, sed ex prava consuetudine. Porro actio externa quæ hæreticum externum constituit, ab hæresi interna oriri debet. Si enim disparata sit, nullamque cum eadem exprimat connexionem,

nem, non dicitur actio manifestativa hæresis. Accedit quod prolatio illa in somniis materialis esset, non formalis hæresis. Excommunicatio autem lata est in hæresim formalem, non in materialem. Nec alicuius momenti est quod obiici solet, nempe excommunicationem incurrere illum qui per somnium clericum verberaret, si prævidens non impedivit. Quippe ratio evidenter dispar est. Quia percussio exterior clerici, quoties voluntaria est, sive in se sive in sua causa, excommunicationi obnoxia est. Crimen autem hæresis in intellectus errore situm est, & ab intellectu egredi debet; seu media actione quæ connexionem cum intellectu habeat, prodire exterius debet. Prolatio autem quæ per somnium accidit, a quadam prava consuetudine dimanat: minime vero ab ipso intellectu ortum ducit; idcirco inepta est ad constituendum hæreticum externum.

CAPUT VIII.

De excommunicatione lata in credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, deque communicatione cum iisdem.

NON modo excommunicationis poena lata est in hæreticos, verum etiam in eorumdem fautores, receptatores, defensores, & illos qui fidem iisdem adhibent. Explicandæ sunt voces sub quibus comprehenduntur illi qui cum hæreticis communicare existimantur, quique hæreticorum excommunicationi subiacent: quæ omnia ut clarius pateant, per distinctas quæstiunculas explicabimus.

II. Quæst. I. Qui dicantur hæreticis credentes? Resp. Quæ forum externum spectant, missa facimus, & ad solius conscientie forum responsionem restringimus. Duplitter quis hæretico fidem adhibere potest. Primum ut homini politico, & humanæ societatis membro, bonam de illo existimationem habendo. Secundo ut homini hæretico, quatenus illius erroribus quis adheret, & assentitur, sive omnibus, sive uni, aut alteri, sive confuse, & implicite, sive clare, & expresse; dummodo verbis, signisve externis hunc consensum indicet, & manifestet. Qui hoc modo hæreticis credunt, appellantur *credentes*, & hæreticorum excommunicationi subiacent. Porro illi dicuntur confuse *credentes* qui bonam esse hæretici huius, vel illius fidem assererent; quamquam nullum peculiarem errorem proferrent;

aut qui se se credere profiterentur quicquid hæretici credunt, aut istorum conciones audirent, scriptionesque legerent, animo illis assentiendi. Omnes isti hæreticorum loco habendi sunt, & illorum poenis obnoxii. Ita communiter Doctores.

III. Quæst. II. Qui sint hæreticorum fautores? Resp. Voces istæ *fautoris*, *receptatoris*, *defensoris* &c. intelliguntur in rigido sensu, seu formaliter, quatenus favor exhibetur hæreticis ut hæreticis, vel ut in eorum hæresim quoquo modo confert. Quare qui hæretico amico, consanguineo, ob titulum amicitie, consanguinitatis, aut paupertatis, clementie &c. auxilium aliquod præstaret, excommunicationem non incurrerent; quidquid in oppositum scribat Toletus, Sayrus, alique pauci. Quoniam dum quis ob recensitos titulos hæreticis succurrit, nullo modo hæresim fovet, aut in hæresim favorem beneficium collatum cederet, ut supponimus. Et ita docet Sanchez *Lib. II. cap. x. num. 5.* ubi laudat Caietanum, Sotum, Navarrum, & alios. Quod de fautoribus dictum, idem dicendum est de receptatoribus, defensoribusque, quod scilicet sint receptatores *formaliter* hæreticorum, quatenus hæretici sunt. Item notandum, probabilius esse requiri ad subeundam excommunicationem ut effectus subsequatur. Non desunt tamen qui sustineant excommunicationem illum incurrere qui faveret hæretico, ne caperetur a iudice; etiam si post exhibitum favorem in manu incideret vindicantis iustitie. Verum cum poenæ istæ sint, ut dicitur, odiosæ, non videntur, nisi effectu secuto, infligendæ.

IV. Fautores itaque hæreticorum illi dicuntur qui hæreticis ut hæreticis suppetias porrigunt, ne a iudicibus comprehendantur, aut quoquo modo illis in hæresi propaganda, tuendaque favent. Idque duplici via contingere valet, commissione scilicet, & omissione. Omissionem quis *fautor* hæreticorum dicitur, si hæreticum occultum revelare interrogatus a iudicibus omittit; si propriæ custodie concredidit negligit eundem custodire; si magistratus, iustitieque ministri omittunt capere, punire hæreticos, eaque peragere quæ iuris leges præscribunt. Personæ privatae sola omissione non dicuntur favere hæreticis, nisi in ipso tribunali rogatæ iuridice omittent veritatem dicere. Personæ publicæ sunt illæ quæ sola omissione iisdem favent. Commissione *fautores* hæreticorum dicuntur qui aut verbis laudant, defendunt,

pro-

protegent eosdem; aut auxilio iuvant, ut fugiant, & condemnationem evadant. Pro hæreticorum fautoribus illi quoque habentur qui defunctos hereticos in loco sacro sepeliunt. Quæ omnia communia sunt.

V. Quæst. III. Qui dicantur hæreticorum receptatores, & defensores? Resp. Qui fugientem hereticum, aut se occultantem hospitio recipiunt in domibus, provinciis, regnisque propriis, sive etiam alienis. Nec est necessaria repetita receptatio, sed unica sufficit ad excommunicationem incurrendam. Requiritur tamen quod hereticus causa hæresis fugiat, & causa hæresis se se occultare fatagat. *Defensores* vocantur qui vel errores defendunt hereticorum, vel personas quoquo modo tuentur, & protegent, sive in iudicio, sive extra illud. Qui tamen extra hæresis causam hæreticum defendunt, ut in causa civili, vel contra vim a privato illatam, non incurrunt excommunicationem.

VI. De communicatione cum infidelibus dictum est supra. Pauca hic de communicatione cum hereticis delibabimus. Itaque qui cum hereticis communicaret in sacris ceremoniis, signis, ritibus, peccaret mortaliter, & excommunicationem incurreret, si animo interiore heresi infecto id ageret; si vero fidem integram interius servaret, solumque exterius religionem hereticorum simularet, peccaret mortaliter, excommunicationem tamen in hereticos latam non incurreret. Quæ omnia intelligenda sunt hoc in sensu, quod nempe communicatio vere interveniat. Tunc autem communicatio reperitur, quando quis hereticorum sacris ritibus assistit, quasi unus de illis, ac si esset illius communionis, seu sectæ membrum, aut simularet se esse membrum eiusdem. Alioquin si quis hereticorum conciones audiret, si eorum administrationem spectaret ob aliquem honestum finem, videlicet ut illorum errores, ritusque penitus dignosceret ad confutandum; sublato scandalo, nullum, ut mihi videtur, peccatum foret; si ob quamdam curiositatem, levitatemve, peccatum veniale; dummodo & scandalum, & periculum quodlibet abesset.

VII. In Germania ad sacra Catholicorum, puta ad conciones, sequeias, heretici tolerati admitti solent, excluso scandali, & irreverentiæ periculo. Hæc communicatio passiva vocatur, quatenus heretici nullam actionem habent in sacris Catholicorum, sed tantummodo assistunt veluti spectatores. Qui enim eos ad communicationem acti-

vam admitteret, gravissime delinqueret: puta si Catholicus in baptismo, aut confirmatione in patrinum, vel ministrum, hereticum adhiberet. Quippe patrini munus est pueros in rebus fidei imbuere; atque adeo pueri isti periculo perversionis expositi essent.

VIII. Communicatio quoque in matrimonio vetita est. Licet enim matrimonia Catholicorum cum hæreticis valida sint; illicita tamen per leges ecclesiasticas declarata sunt, & graviter peccant qui illa, potissimum gravi necessitate sublata, contrahunt. Idque tum divino, tum ecclesiastico iure compertum est. Periculum namque subversionis animæ vi legis & naturalis, & divini quisque declinare tenetur. Porro grave occurrere periculum in coniugibus diversæ religionis, divina Scriptura testatur **III. Reg. cap. xi. vers. 2. De Gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum. His quippe copulatus est Salomon ardentissimo amore. . . Cumque iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos.** Si infidelium mulierum connubia vel ipsum Salomonem perverterunt; quid de illis qui Salomones non sunt, sperandum erit? Quare eiusmodi coniugia expressius Deus vetat **Deut. vii. vers. 3. Neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis.** Iuri divino concinit ius ecclesiasticum. Concilium Iberitanum **can. xvi.** definit: *Hæretici, si se transferre noverint ad Ecclesiam, nec ipsis dandas catholicas puellas.* Concilium Laodicense **cap. xiv.** statuit: *Non oportet cum hæreticis unversis nuptiarum fœdera celebrare, aut eis filios dare, vel filias, sed magis accipere; si tamen Christianos se fieri promittant.* Plures alios hac de re canones missos facio, quod obvii sunt. Recentiorum plures docent, eiusmodi connubia licita esse in Germania, ubi cum Catholicis hæretici permixti sunt: idque consuetudine diu obtinente evincunt; servatis tamen conditionibus quatuor, nempe 1. quod matrimonium secundum leges Ecclesiæ catholicæ celebretur. 2. quod liceat coniugi catholico quiete vivere in propria fide. 3. quod pactum expressum adit, ut proli educatio in fide, moribusque sit penes coniugem catholicum. 4. quod adit necessitas, seu gravissima difficultas matrimonia.

nia ineundi cum Catholicis, vel utilitas spiritalis, nempe si conjux hæretica spondeat fidem se suscepturam catholicam. Verum vix, ac ne vix quidem, adduci ego possem ut licita permitterem similia connubia. Quomodo enim caritas evangelica conjungere potest quos fides diversa separatos tenet? Quamnam sincera, & mutua conjunctio agglutinare corda illa valet, quæ a Deo seiuncta religionis diversitate sunt? Quare numquam ego assentirem ut quorum una fides non est, unum per matrimonium corpus fiat. Verum de hoc plura in libro de Matrimonii sacramento.

IX. Communicatio in rebus politicis, in mercatura, & commerciis licita est, periculo sublato perversionis. Et quia in familiaris communicatione facile periculum est, idcirco cauta omnino sit oportet eiusmodi communicatio, ut licita dici queat. Quare auscultandum Apostolo est dicenti ad Titum. 111. vers. 10. *Hereticum hominem post unam, & secundam correptionem devota, sciens quia subversus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.*

CAPUT IX.

Quam Catholicorum cum infidelibus, & hæreticis licite disputare de rebus divinis fidei valeant?

I. **Q**uestionem hanc versat Angelicus 2. 2. quæst. x. art. 7. adeo perspicue, ut illius verba isthuc transcribere opportunum esse censeamus. In disputatione (inquit) fidei duo consideranda sunt. Unum quidem ex parte disputantis, aliud ex parte audientium. Ex parte quidem disputantis est consideranda intentio. Si enim disputat tamquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; procul dubio peccat, tamquam dubius in fide, & infidelis. Si autem disputet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est. Ex parte vero audientium considerandum est, utrum illi qui disputationem audiunt, sint instructi, & firmi in fide, aut simplices, aut in fide titubantes. Et quidem coram sapientibus in fide firmis nullum periculum est disputare de fide. Sed circa simplices est distinguendum. Quia aut sunt solliciti, sive pulsati ab infidelibus, puta Iudæis, vel hæreticis, sive paganis, nitentibus corrumpere in eis fidem: aut omnino non sunt solliciti super hoc, sicut in terris in quibus non sunt in-

fideles. In primo casu necessarium est publice disputare de fide, dummodo inveniantur aliqui ad hoc sufficientes, & idonei, qui errores confutare possint. Per hoc enim simplices in fide firmabuntur, & tollitur infidelibus decipiendi facultas; & ipsa taciturnitas eorum qui resistere deberent pervertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio. Unde Gregorius in II. Pastoralis: Sicut incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. In secundo vero casu periculosum est publice disputare de fide coram simplicibus: quorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt ab eo quod credunt. Et ideo non expedit eis ut verba infidelium audiant disputantium contra fidem. Hac Angelici doctrina declarata omnia fere remanent quæ disputari hoc de argumento a Theologis solent. Idcirco pauca adiciemus.

II. Duplex itaque disputationis distinguenda est. Altera quam formalem appellant, quæ eo spectat ut fidem defendat ab hæreticorum cavillis; altera materialis, quæ inter ipsos Catholicos instituitur, ut fidei dogmata clarius patefiant, ipsique disputatores acuantur, & ad bellum cum hæreticis, occasione data, peragendum aptiores fiant.

III. Quæst. I. *Vetum ne laicis est publicam cum hæreticis disputationem habere?* Resp. Decretum hoc prohibens habetur in cap. Quicumque §. Inhibemus de hæreticis in 6. ubi non modo publice, verum etiam private interdictum laicis est cum hæreticis disputationem habere sub excommunicatione lata, non ferenda. *Inhibemus quoque ne cuiquam laicæ personæ liceat publice, vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Inter ipsos Catholicos licita disputatio est, quoties ex fine altius confirmandi res fidei ortum ducit. Si enim ex trepidatione, ac dubitatione de fidei articulis quis disputationem institueret, ut periculum faceret, sint ne reapse vera fidei dogmata, atque ut argumentis, & ratiociniis veritatem exploraret; infidelitatis peccatum perpetraret, ut ex adjecta D. Thomæ doctrina patet.

IV. Quæst. II. *Laudatum decretum vetat ne laicis tum doctis, tum indoctis disputationem cum hæreticis?* Resp. Negant non pauci Theologi. Caietanus 2. 2. quæst. x. ar. 7. dub. 1. Bannez 2. 2. quæst. VII. Ledesma in Sum. Tom. II. tract. 1. cap. 5. concil. 13. Granados tract. xv. disp. IX. num. 5. Reginaldus Lib. XVII. num. 22. Petrus Hurtado disp.

DISS. II. DE INFIDELITATE. 129

disp. lxxv. sect. III. §. 24. & alii. Quoniam, inquit, cum cessat finis legis, lex ipsa cessat. Finis præfata legis est periculum desciscendi a vera fide, ac in hæresim prolubendi. Porro huic periculo obnoxii frequententer sunt laici ob doctrinæ inopiam. At, cum aliqui docti sunt, periculum istud abest; atque adeo finis a lege intentus evanescit: ergo tunc lex non urget.

V. Verum contraria sententia, cui subscribo, communis, & probabilior mihi est. Si quidem falsum est principium illud cui adversarii innituntur, cessare nempe legem, si ne legis cessante in aliquo peculiari eventu. Id verum ad summum habet, cum finis adquequatus, & universalis respectu omnium cessat; secus si tantum in hoc, aut illo eventu evanescit. Lex quæ communiter occurrunt, vetat: quæ raro contingunt, per se a lege non inspicuntur, seu propter eiusmodi legem non instituitur. Si solos indoctos præfata lex spectaret, frustranea esset, nihilque vetaret. Lege quippe naturali indoctis cum hæreticis interdicta disputatio est; quemadmodum & clericis ipsis illitteratis. Etiam legis naturalis fornicationem vetantis ob pravam, incertamque proli educationem aliquando finis particularis cessat; non ob id tamen quicumque dixerit legem ipsam cessare. Quoniam, ut diximus, lex ea spectat quæ communiter eveniunt. Et quia communiter laici indocti sunt, & consequenter frequens periculum deficiendi a fide, aut ex inepta, atque ignorantii disputatione pusillorum, & adstantium scandalum, & fidei contemptio, derisioque accidunt; idcirco omnes laici tum docti, tum indocti sub vetante lege comprehenduntur. Hanc sententiam defendunt Glossa in cap. Quicumque. Navarrus Lib. V. cons. tit. de heret. Sanchez Lib. II. Sum. cap. VI. n. 5. Azorius Lib. VIII. cap. xxvi. Lugo disp. xxii. sec. v. Bonacina dis. III. quæst. II. punct. 4. Castropalaus Tom. IV. disp. II. punct. 4. num. 5. Salmanticenses tract. XXI. cap. II. punct. 12. & alii. Sanchez probabiliter contrariam sententiam censet. In tractatu de legibus fuisius indicatum principium explicabimus. Nec enim adeo nobis certum est principium illud, quod suas non patitur appendices, necessariis circumstantiis sublati, si de legibus mere humanis sermo sit.

VI. Quare addimus, occurrere eventus posse in quibus licite laici queant, si docti sint, cum hæreticis disputare, quin etiam teneantur. Nam si hæretici conjunctionibus, disputationibus pervertere Catholicos tentarent, & clericus aptus non adesset; tunc laici docti possent, quin & deberent periclitantibus Catholicis succurrere, eosque in fide confirmare, atque hæreticos sive publice, sive privatim aggredi, eorum errores repellere, oraque loquentium mendacia obstruere. Tunc enim finis legis prohibentis cessat, ut aiunt, contrarie, quatenus contraria lex naturalis præcipit opem ferre indigentibus, atque in fide vacillantes firmare. Hæc sententia communis est penes laudatos Auctores.

VII. Clarissimus Lamindus Pritanus in suo opere *delle Riflessioni sopra il buon gusto par. II. cap. VII.* Caietani, Bannez & Ledesma opinionem defendit, & rationibus ab eruditione accessitis confirmare contendit. Et primum animadvertit, doctum laicum, clericum vocari ceptum fuisse, & contra Ecclesiasticos ignorantes laicos appellatos: allegatque auctoritatem Oderici Virale. Galli quoque olim doctum pro clerico accipiebant. Possent adiaci varii significatus quos refert Du-Fresne in suo latino Glossario ad vocem *Clericus*. Tandem Glossa in hanc concedere sententiam videtur. Pace doctissimi viri, quem magnopere suspicio, dixerim, Ecclesiam in suis canonicis textibus condendis numquam laicum, tametsi doctissimum, pro clerico; neque clericum, licet ignorantem, pro laico usurpasse. Quis dixerit, Ecclesiam adhibuisse voces *Clericus*, vel *Laicus* iuxta significatus peculiare cuiusdam nationis, & plebis, iuxta acceptiones varias adductas in Glossario Du-Fresne? Ecclesia semper præfatis vocibus usa est secundum communem, universalemque significationem usurpatam a Patribus, & a Conciliis cuiusque ætatis. Porro Patres, & Concilia clericorum nomine homines intellexerunt semper a mundo seiunctos, & sacris altaribus addictos, nec unquam sub clericorum nomine laicos vel doctissimos comprehenderunt. *Clericus* (inquit S. Hieronymus epist. II. ad Nepot.) interpretatur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim *κλῆρος*, græce, fors latine appellatur: propterea vocatur clericus, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus fors, idest pars, clericorum est. Quid quod vel ipsi doctiores Sectarii transalpini Binghamus, Doddvellus, Pearson contra Lutherum, Kemnitium, aliosque, a laicis seiungunt clericos? Nec alteri opinioni Glossa favet his verbis ad dictum caput *Quicumque*. *Dicunt quidam, quod non est licitum laicæ personæ, idest illitteratæ de fide catholica publice disputare:*

zare: & istud est vulgare Gallicorum. Alii dicunt, quod non licet laicis, quantumcumque litteratis disputare de fide catholica. Et hæc est verior opinio. Quidam, inquit Glossa, recensitæ opinioni adhæresere; sed alii oppositum propugnant: & hæc opinio verior est. Nec alicuius momenti reputanda consideratio illa est qua indicatur tempore Alexandri IV. canonis conditoris laicos maxima laborasse ignorantia: quoniam in quolibet fere sæculo laici terrenis curis dissenti Theologiæ studio communiter caruerunt. Quid quod vel in hoc nostro sæculo, quantumvis litteratissimo, laici in rebus theologicis communiter non eminent? Qui enim ex laicis, litteris dant operam, liberalibus artibus, eruditioni, rei antiquariæ, secus Theologiæ student: & non raro accidit ut qui ex istis, controversiis theologicis se se immiscere audent, in errores labantur. Quare sententia, ut a nobis explicata est, sola videtur vera.

VIII. Quæst. III. Nomine laicorum intelliguntur ne Religiosi qui laici, conversi, donati, aliisque vocibus appellari solent? Resp. Negant comprehendi plures, gravesque Theologi. Suarez disp. xx. num. 10. Sanchez Lib. II. cap. v. Coninchius disp. xviii. dub. 9. Fagundez Lib. I. cap. viii. num. 10. Salmanticenses tract. xxi. cap. ii. punct. 12. num. 137. Castropalaus, Leander, & alii. Si textui litterali legis insistendum sit, vera est sententia isthæc. Quippe præfati Religiosi privilegio canonis fruuntur, suntque vere Religiosi; cum non minus ac clerici saltem in pluribus Religionibus vota solemnia emittant. Si anima legis spectetur, quæ finis est ob quem lex condita fuit, cum eiusmodi Religiosi sint, ad litteraturam quod attinet, laicis ipsis communiter inferiores, disputare prohibentur. Ad laborem namque vocati isti sunt in Religionem, & ut plurimum rudes sunt, & imperiti. Quare etiam istos sub prohibitione comprehendi, defendunt Lugo disp. xxii. num. 138. Petrus Hurtado disp. lxxiv. §. 32. Gaspar Hurtado disp. x. difficult. II. Egidius disp. xviii. dub. 9. num. 148. & alii. Opinio hæc satis probabilis apparet. Illos ego pro certo habeo comprehensos sub lege vetante esse qui solemnem professionem votorum non edunt, ut in quibusdam Ordinibus accidit.

IX. Quæst. IV. Quibus clericis licitum est de rebus fidei publice, aut privatim disputare? Resp. Illis omnibus qui necessaria litteratura ornati sunt, qui fidei controversias callent, sacramque eruditionem tenent. Notandum tamen, scientiam eruditionemque ad

disputandum cum hæreticis requiri, ut licita omnino sit disputatio, lege tum naturali, tum positiva inspecta. Rudes quippe clerici, & illitterati, licet vi legis canonicæ non prohibeantur disputationem inire cum hæreticis; illis tamen lege naturali vetitum est. Quare si isti disputarent, non peccarent contra legem canonicam, nec excommunicationi ferendæ subiecti forent; peccarent tamen adversus legem naturalem. Permissum est ergo clericis omnibus disputare, lege positiva inspecta: quia ut laici communiter reputantur indocti, sic clerici pro doctis eruditisque habentur: quod, attentata utriusque status conditione, sic res esse deberet. Verum si clerici indocti, & ignorantes litterario certamini se cum hæreticis committant, peccant graviter, ut dictum est, contra legem naturalem. Doctis ergo clericis licitum undequaque est manus cum hæreticis de rebus fidei conferere, certamenque subire. Nomine clericorum veniunt illi qui choro destinati, primaque tonsura insigniti sunt; quin communiter docent Auctores, clericos destinatos choro in Religione approbata, etiam si prima tonsura non sint initiati, posse cum hæreticis disputare, quod vere Religiosi sint.

X. In publica disputatione Catholicorum cum hæreticis Principes sæculares ut iudices admittendi non sunt. Quoniam, quamquam Principes sint fidei protectores, & defensores, iudices tamen non sunt fidei controversiarum, ut constat ex cap. Si Imperator dist. xcvi. Illicitum ergo est coram illis pro tribunali sedentibus disputare; secus si ut protectores adsint. Quare D. Ambrosius ab Imperatore Valentiniano accitus ad disputandum cum Auxentio Episcopo Ariano comparere recusavit, rationemque prodit epist. xxxii. In causa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis ille iudicare debet qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? At certo vel si Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora tractemus, quis est qui non audiat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?

CAPUT X.

De libris hæreticorum prohibitis in Bulla Cœne.

I. **Q**uemadmodum libri qui veritates fidei, & morum continent, maximam legentibus utilitatem conferunt;

runt; sic libri qui errores fidei, aut moribus adversos proponunt, extremam animarum perniciem inferre solent. Iure igitur tum naturali, tum divino, cum adest perverfonis periculum, vetita est eorum lectio qui fidei nostræ contrarios errores edocent. Iniuste hæretici conqueruntur, Romanos Pontifices eorum libros prohibere. Quoniam experientia compertum est, plurimum valere librorum hæreticorum lectionem ad illos intilandos errores qui in præfatis libris continentur. Qua ergo ratione errores vitare debemus, eadem periculum gravissimum errandi, quod affert errorum lectio, declinare astringimur. Nec recens hoc in Ecclesia est, sed ipso Apostolorum tempore libros vana, & curiosa docentes flammis addictos fuisse, legimus Act. xix. vers. 19. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. Quam combustionem, ipsis Apostolis imperantibus, factam fuisse nemo negaverit. Socrates Lib. I. cap. iv. narrat Concilium Nicænum hæresiarchæ Arii libros comburi iussisse, Magnumque Constantinum Imperatorem poenam capitis in eos qui præfatos libros occultassent, constituisse. In Concilio Calchedonensi act. iii. Decretum Valentiniani, & Marciani Imperatorum extat de concremandis Nestorii libris, & lex Theodosii in Concilio V. Constantinopolitano. Dicenda nonnulla forent de indice librorum prohibitorum, de quo plura scripsere Cardinalis Abizi in responsione ad historiam Inquisitionis Pauli Sarpi, P. Libelli in indicem Alexandri VII. & VanEspen I. Part. iuris eccl. pag. 191. Bellarminus Lib. III. de Laicis cap. xx. refert primum librorum indicem confectum a Gelasio Papa anno 456. Verum de his nostra nunc differere haud interest.

II. Duplici ratione hæreticorum libri vetiti sunt: nempe ut malum quod parere eorum lectio solet, impediatur; & ut hæretici confundantur, subeantque infamæ poenam in propriorum partium damnatione. Hæreticorum libri prohibiti sunt in Bulla Cœne. Sub hac tamen prohibitione non comprehenduntur libri Iudæorum, Mahumetanorum, aliorumque ethnicorum: quia in Bulla de hæreticorum libris tantum expresse mentio fit. Prohibitio facta est sub excommunicationis poena. Quatuor conditiones occurrere debent ad excommunicationem incurrendam. Prima, ut libri sint hæreticorum. Secunda, ut hæresim doceant, aut de religione tractent. Tertia, ut scienter legantur, aut im-

primantur, aut retineantur. Quarta, ut absque auctoritate summi Pontificis id contingat. II libri res religionis tractant qui divinam Scripturam exponunt, Theologiam sive scholasticam, sive dogmaticam, aut moralem tradunt, qui de clericis, monachis, Sanctorum cultu, aliisque rebus quæ ad christianam religionem attinent, sermonem habent. Sæcui illi qui philosophicas quæstiones versant, historias continent, aut interiores artes explicant.

III. Si Catholicorum librum in quo essent descripti errores alicuius hæretici, quis legerit, poenis Bullæ non subiacet: eo quod liber non hæretici, sed Catholici sit: idque verum habet, etiam si legentis intentio præcipua esset hæretici errores noscendi. Idem dicendum de eo qui legeret librum Auctoris catholici, in quo aliqua hæreses essent ob ignorantiam scriptæ. Pariter excommunicationem non incurrit qui legit librum catholici Auctoris, in quo scholia sint, & annotationes hæreticorum, etsi præfata scholia legat: quia liber Catholici, non hæretici est. Si vero hic liber alias prohibitus sit, tunc legens, vel retinens evadet quidem excommunicationem Bullæ Cœnæ; secus vero excommunicationem contentam in catalogo librorum prohibitorum, quæ nulli reservata est. In excommunicationem vero incidet qui librum hæretici legerit, etiam nondum typis excusum: æque enim liber dicitur calamo scriptus, ac typis impressus. Antequam ars typographica inventa esset, libri calamo exarati ab hæreticis perinde ac nunc prohibiti erant.

IV. Quæst. I. Qui legit concionem hæretici, orationem, epistolam, brevemque disputationem hæreses continentem, incurrit ne excommunicationem? Resp. Negat cum aliis P. Thomas Sanchez Lib. II. cap. x. num. 29. quod præfata nomine libri non veniant. At laxa, & ratione destituta hæc nobis videtur opinio: tum quod epistolæ, conciones, sermones manuscripti, libri etiam nuncupantur, ut patet ex ipsis Patribus, qui frequenter sermones aliorum libros appellant: tum quod vel ipsæ theses Romanæ curiæ stilo libelli nuncupantur. Denique quid nuncupatio libri refert ad hæreseos virus propagandum? Quare nimis laxa est opinio quam P. Sporer tract. II. in I. Præcept. cap. III. sect. iv. num. 39. ex Sanchez, Layman, & aliis docet, videlicet non incurrere excommunicationem Bullæ qui legeret scripturam hæretici minorem decem foliis: quia, inquit, lex odiosa est li-

bertati humanæ, ideo stricte interpretanda. Laxa, inquam, nimium est opinio isthæc, falsoque nititur principio, quod sæpius perperam obijciunt Probabilistæ. Lex quippe ista & fidei, & libertati a peccato favet. Quapropter hæc opinio communiter rejicitur.

V. Quæst. II. *Datur ne materię parvitas quæ legentem hæreticorum libros ab excommunicatione excuset?* Resp. Hugolinus cum aliis paucis negat quamcumque materię parvitem in hæreticorum librorum lectione, contenditque excommunicationem incurrere illum qui vel unam vel alteram lineam legat. Sed communis, & vera sententia etiam in hac lectione librorum materię parvitem admittit. In designandis huius materię levitatis terminis non una est Auctorum opinio. Azorius unum vel alterum versiculum designat: Suarez duas aut tres lineas; Sayrus decem: Sanchez folii paginam: Fagundes extendit hæc materię parvitem ad paginam cum dimidia, ita ut qui minus quam integrum folium legerit, non censetur limites levis materię transiisse. Alii denique autumant eam dicendam esse materiam parvam quæ absolute accepta liber non existimatur. Quisque pro arbitrio loquitur, & ultimæ opinionis nimis laxæ sunt. Vix assignari regula generalis valet. Sententia quæ unum, aut alterum versiculum statuit pro materię parvitate, nimis rigida videtur. Dicerem itaque, id ex pluribus circumstantiis pendere: videlicet ex conditione legentis a periculo seductionis alieni, vel in errorem proclivis; & ex qualitate controversiæ quæ legitur: quippe accidere potest ut virus hæresis in paucis lineis occludatur. Quare cum limites designari prudenter nequeant, via unica tuta est a talium librorum lectione abstinere. Nisi enim inconsiderantia, aut subreptio excuset, talis lectio vix culpa saltem veniali vel curiositatis, vel inobedienciæ carere valet. Quin si quis aperiens librum hæreticum statim offenderet in hæresim, & curiositate, aut levitate ductus lectionem persequeretur paucarum linearum in quibus tota contineretur hæresis, noxam mortalem non evaderet. Contra, si plures lineas legeret in quibus nulla esset hæresis, nullumque subversionis periculum, gravis culpæ non videretur damnandus. Igitur, ut paucis rem omnem conficiamus, circumstantiæ & personæ legentis, & materię quæ legitur, finisque legendi spectanda sunt, ut gravitas materię definiatur.

VI. Quæst. III. *Incurrit ne excommunicationem qui legit librum hæretici qui nec de religione tractet, nec hæresim contineat?* Resp.

Ut iam supra indicatum est, ille dicitur liber religionis controversias tractare qui Scripturam quoquo modo interpretatur, qui conciones, aut disputationes theologicas de fide, sacramentis, purgatorio, Sanctorum cultu, libertate, iustificatione, clericorum, monachorumque statu, ceterisque id genus argumentis quæ ad religionem attinent christianam, versat. Qui librum eiusmodi hæretico confectum legeret, peccaret mortaliter, & excommunicationem incurreret, etiam si in tali libro nulla haberetur hæresis. Quoniam similes hæreticorum libros Ecclesia prohibet in iustissimam eorumdem hæreticorum contemptionem, & detestationem. Ut autem recta quæstioni respondeatur, libri hæreticorum qui nec de religione tractant, nec hæresim continent, non videntur, vi saltem Bullæ Cœnæ, vetiti; exceptis libris hæresiarum, Lutheri, Calvini, Zuinglii, Bucerii, & similium. Prohibiti ergo sunt hæreticorum libri, aut quia de religione tractant, aut quod hæresim contineant. Ceteri vero libri historiales, vel positionis litteraturæ, qui nullam hæresim continent, non sunt prohibiti vi Bullæ Cœnæ.

VII. Quæst. IV. *Quæ ignorantia excuset legentes hæreticorum libros?* Resp. In B. aperte sermo est de illis qui scienter hæresim præfatos legunt. Duplex itaque notitia necessaria est, iuris nempe, & facti, ad culpam contrahendam, poenamque contra legentes constitutam; debet namque legens scire, libros hæreticorum esse veritos; & librum quem legit, esse hæretici. A culpa, & poena excusat ignorantia sive iuris, sive facti. Si ignorantia sit invincibilis, excusat ab omni culpa, & poena; si ignorantia sit leviter culpabilis, excusat a lethali, & ab excommunicatione; si sit culpabilis lata, supina, & crassa ignorantia, non excusat a mortali, ab excommunicatione tamen eximit ob particulam scienter.

VIII. Quæst. V. *Incurrit ne excommunicationem qui alium legentem audit?* Resp. Qui librum hæreticum legendum alteri tradit, ut ipsum legentem audiat, peccat, & excommunicationem incurrat. Hic quippe re ipsa iuxta moralem existimationem legit, medio scilicet instrumento alterius linguæ: quod non facit ille qui alium legentem audit, cum ad legendum non induxerit: quia tunc revera tantum audit; contra vero audientes lata excommunicatione non est. Audiens vero peccare valet, si periculo perversionis se se exponat, si in doctrina hæretica sibi complacere, si faventem hæreticis se se pro-

prodat. Quin tunc excommunicationem incurreret latam in credentes, & fautores hæreticorum. In quo numero illi quoque habendi essent qui librum hæreticum aliis legendum traderent, quamvis ipsi non audirent: quia licet non subiacerent excommunicationi latae in legentes, excommunicationem tamen incurrerent latam in credentes, aut faventes hæreticis. Ad hoc tamen opus esset ut hic exterius proderet suam in hæreticos propensionem, suumque favorem. Ob solam namque libri exhibitionem non incurreret excommunicationem. In similibus ergo casibus circumstantiæ spectandæ sunt.

IX. Quæst. IV. *Contingere ne potest ut quis libros hæreticorum legere licite valeat absque expressa licentia?* Resp. Quælibet lex positiva episcopalem excipit. Theologus, Confessarius, Concionator aliquando licite legere hæretici librum valent, cum scilicet necessitas urget aut confirmandi Catholicos in fide, aut confundendi hæreticos ipsorum librorum textibus: quod non ita frequenter occurrit; occurrere tamen potest, maxime in eis regionibus in quibus Catholici hæreticis permixti sunt.

X. Quæst. VII. *Qui licentiam habent a summo Pontifice, seu Congregatione S. Officii legendi libros hæreticorum, peccant ne, si absque necessitate illos legant?* Resp. Natalis ab Alexandro Lib. IV. art. 8. reg. 25. docet illos qui ex librorum lectione subversionis periculum fidei imminere animadvertunt, mentemque suam dubitationibus concuti, peccare mortaliter, si in eorumdem lectione perseverent. Natale totidem verbis excipit P. Paulus a Lugduno *dissert. 11. de Virtutibus quæst. v. art. 1. quæst. 6. resp. 3.* Quæ sententia verissima est. Nulla quippe pontificia licentia a fugiendæ occasionis quæ ad peccatum inducit, onere eximit. Sed falsa est sententia quam ibidem docet præfatus P. Paulus Lugdunensis, nempe graviter peccare eos qui eiusmodi libros ex sola curiositate legunt, tamen si facultate legendi donati sint. Licentia legitima concessa tollit omnem prohibitionem. Quæ ergo ratione dici potest gravioris culpæ ream esse lectionem ex sola curiositate? Graviter ergo peccabunt omnes qui ob solam curiositatem quosque libros minime veritos legerint? Hoc nemo dicere ausit. Ut falsa itaque rejicienda est hæc opinio. Consulendum tamen est ut a præfatorum librorum lectione abstinere, rationabili causa sublata, etiam illi qui legitima auctoritate fruuntur.

XI. Quæst. VIII. *Quid dicendum de illis qui libros retinent hæreticorum?* Resp. Peccant, & excommunicationem incurrunt non solum qui retinent hæreticorum libros ut illorum lectione fruantur, verum etiam qui absolute retinent ob quamlibet causam, sive ad pompam, & ornatum, sive ad bibliothecas implendas. Adeo severe nonnulli loquuntur, ut non excusent nec aromarios, nec librarios, qui foliis talium librorum merces involvunt, quamvis usus talium librorum contemptionem prodat. In hac retentione materię parvitas reperitur. Quæ mora excuset a gravi culpa, & ab excommunicatione, ex circumstantiis pendet. Non semper oportet unum tempus, & obvia occasio est præfatos libros superioribus tradendi: nec semper illorum combustio expedit. Cum quis primum advertit se libros habere hæreticorum sine licentia, statim tradat Inquisitori, vel Ordinario: & si facultas præsto non est, Confessarium consulat.

XII. Quæst. IX. *Quid de impressoribus dicendum?* Resp. Peccant, & excommunicationem incurrunt typographi librum hæreticum imprimentes, omnesque illi qui manus adiutrices exhibent, qui librum imprimendum tradunt, qui corrigunt. Qui expensas pro impressione facerent, qui atramenta, & characteres subministrarent, peccarent, si ut imprimentes, quia valde remote ad id concurrunt (quamquam mihi remota cooperatio hæc haudquaquam videtur) saltem ut hæreticis faventes. Denique peccato, poenisque obnoxii illi forent qui librum hæreticum defenderent, laudarent, commendarent verbo, aut scripto, aut impedirent ne Superiorum manibus eiusmodi libri traderentur.

XIII. Quæst. X. *Hæc Bulla Cœnæ est ne ubique recepta?* Resp. Non pauci Doctores contendunt, pluribus in locis hæc esse receptam. Hanc ego quæstionem discutere nolo; sed aio, iis in regnis ubi recepta Bulla est, obligare iuxta omnes. Plura sunt quæ lege divina, & naturali vetita ibi reperiuntur.

XIV. Quæst. XI. *Præter prohibitionem latam in Bulla Cœnæ, est ne alia lex adversus libros hæreticorum, aliorumque scriptorum lata?* Resp. Ut supra num. 1. indicatum est, sub initium nascentis Ecclesiæ Apostoli libros fidei, aut morum integritati noxijs prohibere, flammisque addixerunt. Indicem, in quem vetiti libri perferberentur, primum confecisse Gelasium, asserunt communiter eruditi. Sæculo sexto decimo plures confecti fuere. Academia Parisiensis & Lovaniensis anno 1546. catalogum edidit hæreticorum librorum.

Paulus Papa IV. in mandatis dedit Inquisitioni Romanæ, ut hæreticorum librorum indicem texeret, ut testatur Archiepiscopus Fontaninus in sua Eloquentia nuper typis edita pag. 507. Alter index confectus fuit a Patribus Concilii Tridentini, ut liquet ex *sess. xviii.* in qua ad hoc munus peragendum delecti Episcopi, & Theologi fuere. Designati Patres integro anno huic operi desudarunt, Conciliumque in ultima sessione decrevit, confectum indicem a summo Pontifice, post absolutum Concilium, examinandum, approbandumque esse: quod & præstitit Pius IV. anno 1564. librumque typis edidit Paulus Martinus eodem anno. Hunc indicem auxit Sixtus Papa V. sed Clemens Papa VIII. præ ceteris librorum *indicem regulasque*, per Patres in Tridentino delectos confectas examinari, & recognosci curavit. Editus est anno 1596. Temporis decursu plures adiectæ fuere accessiones.

XV. Quæst. XII. *Qui libri prohibiti sunt in indice Tridentino, seu Romano, & sub qua pœna?* Resp. Duplicis classis sunt libri qui in laudato indice prohibentur. Primæ classis sunt hæresiarcharum omnes libri, ut Lutheri, Zuinglii, Calvinii aliarumque similium, quæcumque sit materia quæ ab istis tractatur. Eo ipso quod liber sit alicuius hæresiarchæ, nulla argumenti quod in eodem libro discutitur, ratione habita, proscriptus censetur. Deinceps in eadem classe prohibiti sunt omnes hæreticorum libri qui aut religionis puncta tractant, aut heresim, vel propositiones sapientes heresim, male sonantes, temerarias, scandalosas continent. Omnes eiusmodi hæreticorum libri editi, vel in posterum edendi proscripti sunt sub pœna peccati mortalis, & excommunicationis Romano Pontifici reservate.

XVI. Secundæ classis sunt libri Catholicorum qui errores continent, vel doctrinam fidei, morumque integritati infestam, aut qui suspicionem gravem, solidamque erroris ingerant, aut scandalum, aut quippiam bonis auribus male sonans præferant. Eiusmodi libri non propter Auctores, sed propter errores prohibentur. Prioris classis non modo propter errores, sed propter Auctores ipsos proscripti sunt. Posterioris classis aliqui prohibentur absolute; alii adiecta conditione, *donec repurgentur*. Præfati Catholicorum libri proscripti non intelliguntur, usquedum in censum librorum proscriptorum ipsorumque relationem non sint. Prohibentur sub peccato mortali, & excommunicatione non reservata.

XVII. Quæst. XIII. *Sunt ne alia librorum prohibitorum genera?* Resp. Plura alia sunt genera librorum qui in præfato indice proscripti sunt. Primum omnes libri Magiam tractantes. Secundo libri de Astrologia. Tertio omnes libri ex professo obsceni sunt ipso iure prohibiti. Antiquiorum Poetarum latini libri propter sermonis elegantiam permittuntur. Verum pueris, & iuvenibus minime permittendi sunt. Quamvis enim legentes eiusmodi antiquorum Poetarum, nempe Ovidii, Catulli, aliorumque similium libros nullam incurrant censuram; si tamen grave periculum experiantur in lectione, sub gravi culpa abstinere tenentur. Denique in quarta regula indicis Romani vetita est lectio Bibliorum sacrorum in lingua vernacula absque Superiorum licentia.

XVIII. Quæst. XIV. *Libri Catholicorum prohibiti in uno, sunt ne in alio idiomate vetiti?* Resp. Ut certam exhibeam responsum, regulam transcribo Clementis Papæ VIII. quæ habetur §. 6. de prohibitionem librorum. *In universum autem de malis, & perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa lingua initio editi, & deinceps prohibiti, ac damnati a Sede apostolica sunt, eosdem quæcumque in quacumque postea vertantur linguæ, censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eadem pœnis interdictos, & damnatos.* Exemplo quæstionem illustro. Colloquia P. Gabrielis Daniel adversus Epistolas provinciales vetita sunt a Sede apostolica latine reddita. Numquid prohibita sunt lingua gallica, in qua eadem primum edidit P. Daniel? Dubio procul. Immo si in latina, potiori iure in gallica lingua prohibita sunt. At regula indicis eos libros in quacumque lingua damnatos asserit qui initio certa lingua damnati sunt. Dialogi P. Daniel anno 1695. latine editi delati ad tribunal S. Officii prohibiti fuerunt. Si gallice scripti denuntiati fuissent, eadem proscripti pœna essent. Ex Anglorum libris vix unus in lingua anglica, sed aut in gallicam, aut in latinam verbi proscripti sunt. Tunc liber in una tantum versione proscripti, quando versio hæc quidquam peculiare continet prohibitionem dignum, quod in prima lingua editus liber non continebat. Colloquia, seu Dialogi Patris Daniel adversus Provinciales sincere, nulla additione facta, redditi latine sunt a P. Iuvenci, ut aiunt, seu ab alio Iesuita (super quo factis nolo me vadem exhibere.) In utraque ergo lingua proscripti sunt. Scripturæ sacræ (argutur Probabilista quidam) versio italica, seu vulgaris, veti-

vetita est; secus latine edita. Peregre. Ergo si latine editi Dialogi Patris Daniel proscripti sunt, potiori iure damnati reipsa sunt in lingua gallica. Versio latina sacræ Scripturæ, non item vulgaris, omnibus concessa est. Prohibita vulgaris versio est ob peculiare rationes. Ineptissime a quodam Probabilista Dialogorum P. Gabrielis Daniel versio cum Scripturæ divinæ versionibus comparatur. Doctrina junioris Probabilistæ qui eximere a prohibitionem præfatos Dialogos lingua gallica editos ausus est, quod latine redditi proscripti sunt, omnem librorum prohibitionem eludit. Si quidem Romana Sedes non librorum idiomata (sola excepta Scriptura divina) sed doctrinam eorundem, calumnias, falsitatesque damnat. Evidens ergo, compertumque, Dialogos P. Gabrielis Daniel in quacumque lingua proscriptos esse.

CAPUT XI.

De librorum impressione: de Superiorum licentia: de eorundem librorum censoribus.

QUÆ hoc in capite dicenda sunt de librorum impressione, potissimum Regulares spectant: nam de ceteris scriptoribus qui Regulares non sunt, nulla fere difficultas occurrit. Porro ut maiori qua fieri potest perspicuitate res declararetur, primum omnium decreta quæ a Concilio hoc de argumento edita sunt, in medium promam. Primum decretum editum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. x.* & habetur in Bulla eiusdem Leonis *n. 12. Tom. I. Bullarii.* Verum censura late in præfato decreto contra impressores librorum non fuerunt usu receptæ, ut contendunt Caietanus, & Navarrus in *Manual. cap. xxvii. num. 111. & 149.* nec in laudato Lateranensi decreto Regularium mentio fit.

II. Concilium Tridentinum innovasse videtur decretum Concilii Lateranensis, atque de Regularibus expresse sermonem habet: ideo transcribendum isthuc est ex *sess. iv.* ubi regulæ statuuntur pro sacrorum librorum editione, ut ex titulo decreti, & decreto ipso colligitur: totus siquidem sermo est de sacris Bibliis tum interpretandis, tum imprimendis. Sub initium ergo decreti decernitur, quænam sacra Scriptura pro authentica habenda sit. Deinceps subdit: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit ut nemo sine prudentie innixus in rebus fidei, & morum . . . sacræ Scripturam ad suos sensus contorqueat.* Postremum

de impressione librorum sacrorum hæc iubet: *Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis, & pecunie in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur; atque adeo in fronte libri vel scripti, vel impressi authentice appareat.*

III. Nonnulla animadversione digna in hoc decreto. Primum ex scopo ibi præstituto, atque ex contextu eiusdem de solis sacris Bibliis sermo est; quæ scilicet in rebus fidei, & morum interpretari nequeunt iuxta proprium cuiusque sensum. Quare dum subdit: *Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris &c.* de iis Libris sacris loquitur, Concilium quorum in decreto fit mentio. Porro in toto illo decreto nec verbum habetur nisi de sacris Bibliis. De his ergo solis sermo haberi videtur. Communiter Theologi interpretantur de quibusvis sacris Libris in quibus theologicæ quæstiones discutuntur. Verum hæc omnia nullum faciunt negotium, cum regula indicis prohibitionem extendat ad omnes libros sive sacros, sive profanos, nedum theologicos.

IV. Alterum quod occurrit meditandum, est sint ne omnia usu recepta quæ in Tridentino de librorum impressione præscribuntur. Martinus Navarrus in *Man. cap. xxvii. num. 148.* hæc habet: *Nescimus, an sit receptum, vel an recipitur: quia videmus, libros impressos sine illius observationis solemnitate insignium virorum Dominici Soto, Bartholomei Caranca, & Ambrosii Catharini, qui eidem Concilio interfuerunt. Quamquam nunc in recentioribus editionibus cernimus impressos cum dicta solemnitate.* Hac etiam nostra tempestate aliqua laudari decreti non videntur usu recepta. Et certe libelli manuscripti vulgantur absque ulla approbatione, quin aliquis, quantumlibet pius, id religioni sibi vertat. Et tamen in decreto citato dicitur: *Qui autem scripto eos (libros) communicant, vel evul-*

gant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Hoc præscriptum refertur etiam in regula x. Indicis Romani, his verbis: Eos vero qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem poenis subiacere debent, iudicaverunt Patres deputati, quibus impressores. Quis nunc sanctionibus Tridentini, aut Indicis adversari se suspicatur, si librum manuscriptum communicet, aut vulget nulla insignitum approbatione? In dies circumferri manuscripta videmus, eadem legimus omnes absque ulla vel levis culpæ suspicionem. Idem contingit in proprii nominis appositione. Plurimi enim cuiusque fere scientiæ in lucem prodeunt anonymi. Istorum plures doctrinam sanam, & undique Evangelio consentaneam continent, Auctoresque integris moribus ornati sunt; immo in ipsa nominis occultatione pietatem redolent, quod humilitatis, demissive animi ergo id peragant. Neque Superiores adversus hanc nominis occultationem reclamarunt umquam, quoties cetera quæ in præfato decreto, & regula pro legitima editione continentur, servata fuerunt: neque liber aliquis superiorum licentia typis editus proscriptus est, ob id præcise quod absque Auctoris nomine in lucem prodierit. Et hoc commune est apud Auctores.

V. Tertium quod in hoc decreto, & regula Indicis animadvertendum occurrit, est, quidnam sit in eodem sub lege obligante impositum. Hoc porro est quod liber, antequam typis edatur, a Superioribus examinatus, approbatusque sit. Si autem quæras, quinam sint Superiores isti quorum interest libros examinare, & approbare, iuxta Tridentinum sunt locorum Ordinarii, & iuxta regulam Indicis in urbe Roma sunt Vicarii Pontificis, & Magistri sacri Palatii; extra urbem vero in Italia pluribus in locis sunt Inquisitores, alicubi Episcopi. In pluribus vero regnis usus obtinuit ut per regiam potestatem, non per Ecclesiasticos, examinentur, summi Pontificis, inquit plures Doctores, tacita approbatione. Qui absque hac approbatione libros typis cuderent, poenis in Tridentino constitutis subiecti essent.

VI. Quæst. I. *Regulares qui libros quosvis typis edunt cum approbatione Ordinarii, seu Inquisitoris iuxta morem Patriæ in qua libri eduntur, subiecti ne sunt poenis a Tridentino, seu a regula Indicis latis, si Prælatorum suorum Ordinum approbationem impetrare omittant?* Resp. Nec Tridentinum, nec regula Indicis censuram aliquam infligunt Regularibus im-

primentibus libros absque Prælatorum Ordinibus licentia. Verba Tridentini hæc sunt: *Si Regulares fuerint, ultra examinationem, & approbationem huiusmodi licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum.* Nulla hic adiicitur poena, vel censura. Nec nos ergo eam adiicere debemus; potissimum quod poenæ sunt restringendæ. Regularis ergo qui absque Ordinarii, seu Inquisitoris iuxta Patriæ usum libros imprimeret, poenis in Tridentino constitutis obnoxius esset: obtenta vero Ordinarii, seu Inquisitoris approbatione, si Prælatorum sui Ordinis approbationem negligat, eiusdem Ordinis legum transgressor evadet, poenasque solum in præfatis legibus constitutas subire debet. Et hæc est communis, quoad mihi perspicere licuit, sententia, quam defendunt Suarez Tom. V. in III. part. disp. xxiii. sect. vii. n. 1. Peirinus de Præfato quæst. III. cap. ix. num. 2. Pellizarius tract. vi. cap. iv. num. 4. Lezana Tom. II. verb. Libri num. 6. Antonius a Spiritu sancto in Direct. Reg. tract. III. disp. vi. sect. 6. §. 17. num. III. Callianus a Sancto Elia in sua Arbore opinion. verb. Impressor num. 8. Portel in Dub. Reg. verb. Libri num. 6. & alii, neminemque oppositum asserentem mihi videre licuit.

VII. Regulares ergo, habita approbatione Superiorum extra Ordinem secundum Patriæ morem, consulere suas debent constitutiones. Lezana loc. cit. prodit sui Ordinis constitutiones quæ poenam privationis loci, vocis, & gradus statuunt in eos qui absque Prioris Generalis licentia libros edunt.

VIII. Quæst. II. *Quid hac de re constitutiones Ordinis Prædicatorum decernunt?* Resp. Textus originalis præscribit, nulla scripta prælo committenda esse, nisi prius per Fratres peritos, quos aut Magister Generalis, vel Prior Provincialis in sua Provincia designaverit, examinata, & approbata fuerint: dist. II. cap. XIV. de Student. text. XI. *Nulla scripta facta, vel compilata a Fratribus aliquatenus publicentur, nisi per Fratres peritos, quibus Magister Ordinis, vel Prior Provincialis commiserit, fuerint examinata.* Hanc potestatem ademptam esse Provincialibus nulli lego. P. Fontana tit. de lib. imprim. num. 2. promittit ordinationem nonam Capituli Generalis Metis celebrati anno 1313. ubi hæc leguntur: *Inhibemus etiam districte, ne scripta, tractatus, compilationes, reportationes quæstionum quarumcumque a Fratribus nostris edita, vel edenda, extra Ordinem pub-*

licentur, quousque per venerabilem P. Magistrum examinata fuerint, & correctæ; communicata vero extra Ordinem, per eundem examinari, & corrigi volumus diligentur. Hæc ordinatio adiecta est Constitutionibus dist. II. cap. XIV. ad text. XI. sub lit. V. Verum hic Provincialibus facultas quæ illis in textu conceditur, nullo modo adimitur, sed tantum una textus pars quæ Magistrum Generalem spectat, adducitur; altera quæ ad Provinciales attinet, silentio præteritur. Propterea ne retractatur, revocaturque? Quid quod etiam si expresse retractaretur, non ob id præfata lex, quæ interpretatione ob suam perspicuitatem non eget, abolita intelligeretur, propter legem generalem quæ cavet, ne textus originales immutentur, nisi per tria Capitula Generalia continuata, & in eundem finem celebrata? Verum quod rem conficit, est quod præterito sæculo in Capitulo Generali Vallisoleti celebrato anno 1505. & in Capitulo Generali Romano anno 1688. confirm. 5. Provincialibus eorumque Definitoribus hæc potestas asseritur, concedendæ scilicet licentiæ imprimendorum librorum, ut habetur apud ipsum Fontana loc. cit. num. 5. *Confirmamus ordinationem quintam Cap. præcedentis Vallisoletani, qua statuitur, ut nullus deinceps liber typis mandetur, quin prius examinatus, & approbatus fuerit a duobus vel tribus Patribus in unaquaque Provincia, a Provinciali, & Definitoribus Capituli Provincialis nominandis.* Hæc ordinatio inserta habetur Constitutionibus dist. II. cap. XIV. ad text. x. sub lit. T.

IX. Quæst. III. *Constitutiones Regularium quas poenas infligunt librorum editoribus, ommissa Ordinis approbatione?* Resp. Aliquorum Ordinum leges privant subditos edentes libros loco, voce, & gradu. Quisque sui Ordinis leges consulat. Textus originalis, qui solus vim Constitutionis in Ordine Prædicatorum habet, nullam peculiarem poenam imponit præter illam quæ cuiusque constitutionis violationi annexa est. In hoc quippe Ordine nulla lex est præter tria vota, eaque præcepta quæ vota comitantur, quæ sub culpa gravi, vel levi genere suo obliget. Temporis decursu poena gravioris culpæ constituta fuit in eos qui sine Ordinis approbatione libros ederent, ut colligitur ex Capitulis Mediolani 1505. Romæ 1518. celebratis, ut videre est apud Fontana tit. de grav. culp. num. 10. & tit. de lib. imprimendis num. 3. & 4. Adducitur præceptum formale, & excommunicatio latæ sententiæ Capituli Ro-

mæ celebrati anno 1644. in eiusmodi editoribus, etiam illos qui alieno nomine, vel proprio suppresso, aut fictitio apposito, libros typis ederent. Verum eiusmodi censuræ, & præcepta cum ipsis Capitulis desinunt, & nisi renoventur in sequentibus Capitulis, nullam vim habent, ut expresse decernit Textus Constitutionum in Prolog. text. IX. *Ordinationes tam Capitulum Generalium, quam Magistri Ordinis, quoad vim præcepti, & censurarum ecclesiasticarum, cum ipsis expirare intelligitur.* Laudatum præceptum, & censura nec in sequentibus Capitulis confirmata sunt, nec in Glossam Constitutionum relata. Quin in Glossa Constitutionum eiusmodi poenæ quæ transgressoribus debentur, indefinita relinquitur Prælatorum arbitrio determinanda. *Qui autem contrarium fecerint, debita poena plectantur iuxta id quod etiam apud Treverim fuit ordinatum 1266. ord. 60. const. dist. II. cap. XIV. text. XI.* Constat etiam quod nemo hodie sibi conscientiæ vertit, libros debita Superiorum facultate obtenta, suppresso proprio nomine, aut fictitio adiecto typis cudere. Ut enim supra indicavimus, quod privilegium peragendæ editionis in fronte libri apponatur, ut in Tridentino præscribitur, non est, nec fuit usû necessario receptum.

X. Quæst. IV. *Peccaret ne Regularis qui scripta sua seculari traderet imprimenda cum licentia Ordinarii sub eiusdem secularis proprio, veroque nomine?* Resp. Concors est Auctorum opinio, quod Doctor secularis non violaret Tridentini legem, si occultato proprio nomine, sub alterius hominis vero nomine suos libros typis cuderet: quia ille Auctor libri habetur sub cuius nomine in lucem liber prodit; isque rationem Superioribus reddere tenetur: qui propterea admoneri, antequam edatur, debet, & ille libere consentire, aut refragari valet. Siquidem illo resistente, iniusta editio foret ob iniustam eiusdem nominis usurpationem. Ad Regulares autem quod attinet, communiter Auctores docent, posse Regularem extraneo sua scripta edenda sub extranei nominæ communicare, quin peccet saltem graviter, eo quod honor quo Religio caret ob suppressum Regularis nomen, tanti non est ut inde Religio grave patiatur damnum. Isti Auctores supponunt, quemque Scriptorem, etiam Regularem, dominium in sua manuscripta habere. Nos autem in nostra Disciplina Apostolico-Monastica differt. v. oppositum demonstravimus. Quare si manuscripta essent tanti valoris qui materiam gravem con-

situeret; tunc peccaret Regularis, si, invita Religione, illa distraheret. Quid si petitam a Religione licentiam editionis obtinere non posset? Tunc præsumitur, Religionem præfata manuscripta parvi facere: ideoque eiusdem iura non læderentur ob præcisam alienationem. Possent vero occurrere iusta alia momenta negandi talem licentiam, & tunc distractio illicita foret. Si Conventus, ad quem dominium in sui Regularis manuscripta pertinet, consentiret in alienationem; tunc dubio procul sub vero nomine secularis consentientis, Ordinariorum facultate impetrata posset Regularis edere librum suum. Hæc omnia tamen ex circumstantiis diiudicanda sunt. Nec enim adeo frequens est ut manuscripta sint magni valoris; ita ut iustitia, vortumque paupertatis violetur, si alienentur. Contra nec tam frequenter, quin raro occurrit ut Religio non consentiat in manuscriptorum editionem. Et cum resistit, argumentum est quod manuscripta non sint luce publica digna.

XI. Quæst. V. *Peccaret ne qui approbato, & subscripto manuscripto aliqua adiceret?* Resp. Si in fraudem id faceret, indubitate peccaret. Si absque fraude aliqua adiceret, vel ad maiorem explicationem, ornatum, & confirmationem, certusque scriptor esset, hæc quæ adicit, nihil continere improbandum; tunc non peccaret, maxime si Censor facile consuli non posset, quia tunc rationabiliter consentiens Approbator præsumitur. Cautè tamen procedendum, bonaque fide, & æquitate: nec tam spectanda est quantitas scriptionis quæ adicitur, quam puritas doctrinæ quæ nulli sit subiecta censura.

XII. Quæst. VI. *Censura quam infligit Tridentinum, & regula Indicis, est ne reservata alicui?* Resp. Certum est nemini reservatam esse: quia nec in Concilio Lateranensi, nec in Tridentino, nec in Indice reservationis mentio fit. Quapropter Confessarii ordinarii absolvere suos poenitentes valent. Poenis autem, præter excommunicationem, ante iudicis sententiam, nemo subiectus est. Hæc omnia communia sunt apud Auctores, contra Barbosam qui de *potest. Epis. alleg. 90. num. 13.* scribit excommunicationem reservatam Episcopo esse, cum nullibi vel verbum talis reservationis habeatur.

XIII. Quæst. VII. *Quo devinciuntur onere Superiores in facultatis concessione pro libris edendis?* Resp. Tenentur Examinatores, seu Censores designare pro libri edendi revisione. Ex arbitrio negare licentiam neque-

unt: actus quippe iurisdictionis est, qui iustitiæ legibus dirigi debet. Peccarent, si aliqua peculiari affectione, aversione, invidentia, aliove sine ducti facultatem imprimendi libros denegarent; puta, quia argumenta quæ in libro tractantur, illis displicent, quoniam eorum rationibus, & cupiditatibus minime quadrant. Inspecere ergo debent aut seipsis, aut revisorum opera, sit ne sana doctrina quam liber promit, sitne prudenter, ac serio explicata, & utrum liber utilis sit bono publico, reique litterariæ proficuum. Hæc si adsint, quamvis non essent Superiorum negotiis consentanea, licentiam denegare nequeunt.

XIV. Quæst. VIII. *Quid si Regularis petita licentia a suo Superiore, & ob iniustam causam non obtenta, librum ederet?* Resp. Primum omnium Regularis obedientiæ, quam labiis suis solemniter ritu Prælati suis spondit, recordari debet. Illud etiam fere certum est; Prælatos suorum Ordinum incrementum, & decorem summopere cupere; atque adeo facillime licentiam impressionis concedunt, quoties prudenter deprehendunt, librum edendum in Ordinis decorem, & gloriam cessurum fore. Quare si licentiam edendi libri denegant, communiter iustam esse negationem præsumi debet. Si res dubia sit, præsumptio favere Superioribus certo debet. Si in utramque partem negotium probabile sit, adhuc Superioribus parendum: quidquid asserant recentiores Casuistæ, qui contendunt in occursum istius probabilitatis, subditum adhærere illi probabilitati licite posse quæ sibi magis favet, quamvis probabilior opinio contraria stet a Prælati. Quæ omnia nos improbamus. Si vero evidens esset, Prælatum iniuste licentiam denegare, eo quod suspicatur librum edendum suis progressionibus, commodisque privatis infestum fore, tunc si liber revera suapte natura magnæ esset utilitatis, quod argumentum grave, & ad bonum publicum promovendum magnopere aptum dispiceret, petita, & non obtenta licentia, posse licite librum edi, docent laudati Probabilistæ. Quomodo autem scire potest in propria causa Auctor, sit ne suus liber recentis prærogativis ornatus? Ut hoc assequi secure valeat, doctis piisque viris examinandum librum subiiciat, rogetque ut evangelica sinceritate sententiam sibi dicant suam. Si docti isti Censores candide testentur, post severum examen, nihil se in libro animadvertisse sive contra fidem, sive contra bonos mores, sive contra splendorem,

CAPUT XII.

Stulta est persuasio tum Politicorum asserentium quemquam in sua religione, tum hæreticorum docentium omnes in propria secta christiana, dummodo credant articulos fundamentales Evangelii, salvari posse.

I. **N**ihil unquam dementius excogitari potuit quam futile illud commentum, videlicet quemquam in sua religione salutem assequi æternam posse. Hoc delirium somniasse referunt Marcum Antonium de Dominis. Qui hoc errore infecti sunt, *Neutrales* appellantur, quod indifferenter quamque religionem admittant, nullam damnent, sed data occasione illam amplectuntur quam suis appetitionibus magis experiuntur consentaneam. Inter Catholicos Catholici, inter Lutheranos Lutherani, inter Calvinistas Calvinistæ, inter Turcas Turcæ, inter Paganos Pagani sunt. Hæc est impietas quæ hac tempestate latius dominatur, quod pietatis furo se delinuat, obtegitque. Siquidem scelestissimi hi Politici inquirunt, se neminem damnare velle eorum qui conscientiam suæ dictatis adherent, religionisque, quam veram reputant, regulis parent. Quid, addunt, pietati, caritati congruentius quam omnes in statu constituere salutis, omnibusque viam aperire qua ad æternam felicitatem pertingant? Hoc quippe divinæ bonitati quam maxime consentaneum videtur.

II. Sub hac ementitæ caritatis larva erumpit in medium monstrum istud impietatis, quod ex impotenti libidine indulgendi carnalibus desideriis ortum ducit. Nullam siquidem religionem profitetur qui in dies religionem mutare paratus est, cuiusmodi sunt impii Politici, *Indifferentes*, seu *Neutrales*. Porro quam falsa, & erronea sit opinio illa quam deprædicant, statim compertum fit cuique singulas sectas antichristianas in examen vocanti. Nam Paganismus, qui quinto sæculo exterminatus potissimum sub Romano Imperio fuit, salutem certe non confert, sicuti nec Polytheismus qui lumini naturæ repugnat, ut in primo prolegomeno ostensum est. Quid de Indæorum perfidia dicam? Illi ipsi se damnatos assererent, si Messias quem expectant, advenisset in mundum. Porro Messiam a septemdecim & amplius sæculis de cælis in terram populum suum redempturum descendisse, ut factam certum compertumque nunc habemus. Nequeunt ergo Iudæi salutem assequi, dum si-

dem denegant salutis principio & fini. Mahumetismus vero, qui sinu suo innumeras sectas comprehendit, quique totus carnalis est, futuramque felicitatem in lascivæ voluntatibus collocat, adeo repugnat vel ethnicorum sapientum honestati, ut absque ulla confutatione se ipso corruat.

III. Secundo convellit *Neutralium* impietas. Deus unicus est, ut in primo prologo evicimus. Porro Deus iste hunc mundum regit, gubernat, sustinet: imperat se a suis subditis coli; legem suam impleri. Cum autem sapiens sit, sibi repugnare, & contraria præcipere minime valet; sed quæ honesta sunt approbet, quæve turpitudinem produnt, excretur necesse est. Quæ ergo fronte impii *Neutrales* effutire ausint, quemquam in sua religione fieri salvum posse? Ut quis salutem, & felicitatem teneat, placeat oportet illi cuius tantum est felicitatem, & salutem conferre. Tam autem repugnat omnes sectas Deo placere, quam repugnat easdem se invicem probare. Una enim alteram improbat, quod ritus, leges, moresque contrarios profiteatur. Quæ siquidem honesta sunt uni sectæ, alteri turpia existunt, & cultum quem una religio Deo offert, altera detestatur. Quid si omnium sectarum pugnantem mores, contrarias leges, oppositos ritus recenserem? Quæ ergo ratione Deus unius religionis cultum suscipit ut sibi gratum, eadem alterius sectæ contrarium ritum ut sibi infensum repudiat. Contraria & pugnantia approbare nequit. Deum ut trium colunt Catholici, Mahumetani Trinitatem ut vanum Christianorum commentum reiiciunt. Hæc duo summopere distant, pugnantque. Si Deus trinus est, sicuti certe est, in personis; quomodo Turcarum religionem approbare valet? Quomodo Deo placere potest Turcarum odium in Christianos, quod Mahumetem ut impostorem exhibent; vel Christianorum odium in Turcas, quod Mahumetem ut supremum Prophetam Christo, & Moysæ superiorem adorent? Quis sanæ mentis dixerit, hæc omnia grata Deo fore? Grati ergo Deo utriusque sectæ professores esse nequeunt. Quæ ratio urget adversus omnes sectas, una sola excepta. Quandoquidem sicuti una veritas est, ita unica sola religio vera, Deoque cara sit necessum est. Fieri ne potest ut inter plures oppositas propositiones plus una vera sit? Non audes hoc affirmare. Qui ergo contingere valet ut plus una pugnantium religionum vera, sancta, & im-

maculata existat? Si una sola sancta, una sola intemerata, & vera; ergo ceteræ omnes falsæ, impia, & maculatæ. Porro numquid falsitas, numquid impietas, numquid turpitudine placere Deo potest? Sed quid ludimus operam, ut id convellamus quod seipso in nihilum occidit? Dicamus ergo cum nostro divino Salvatore Iesu: *Qui non est mecum, contra me est; & qui non coligit mecum, dispergit*: Lucæ 11. & cum Apostolo Paulo ad Ephes. iv. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*.

IV. Obiicies. Dei bonitatem dedecet tam immensa hominum damnandorum multitudinem. Nonne Deus vult omnes homines salvos fieri? Incredibile igitur videtur omnes Iudæos, Turcasque damnandos fore. Illi namque Deum pie colunt, eique iuxta ritum quem a teneris unguiculis didicerunt, placere student, iustitiam servant, proximum diligunt. Resp. Si sola naturæ ratione fidei religionisque arcana referenda essent, aliquam veri æquique speciem præberet oppositio isthæc. Sed Dei mysteria doctrinis illis explicanda sunt quas Deus nobis revelavit. Porro in una tantum religione salvos fieri homines posse Scripturæ divinæ nobis testantur. Quippe si Tuca, Iudæus, & quisque in sua religione salvari potest; frustra Apostoli in fide Christi asserenda laborarunt, frustra Martyres sanguinem fudere, frustra Christus factus homo, frustra passus, ut Apostolus arguit ad Galat. 11. *Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*; videlicet, si unius Dei cognitione obtineri iustitia potest, haud necessaria erat Christi mors. Verum quæ infra dicturi sumus, clarius palam facient obiectam difficultatem purum putumque esse sophisma.

V. Quod ad hæreticos qui Evangelium profitentur, attinet, non minus evidens est, non posse scilicet quemquam in sua secta salvari. Nam præterquamquod æque adversus illos ratio præcedens, ac adversus Ethnicos, urget, accidit quod verbum Dei, cui ipsi fidem adhibent, sectarum pluralitatem detestatur. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devota; sciens quia subversus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*; ad Tit. 111. Epistola quoque ad Hebræos cap. XIII. doctrinarum varietatem prohibet: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*. Quid quod hæretici plura superstitionis, idololatriæ, iniquitatis damnant, ut Sanctorum cultum, sacrificia, preces in defunctorum suffragium,

aliaque id genus, quæ Catholici ut pia, sancta, Deoque grata habent, defenduntque? Quorumnam sententiam confirmabit Deus? Numquid idololatriam, superstitionemque adprobabit? Quod si verus, sanctus, debitusque est cultus ille quem Catholici pani eucharistico consecrato, divisque cum Deo regnantibus offerunt; numquid non animadvertet in illorum impietatem qui hoc obsequium Deo subtrahunt, & in sacros cultores sacrilege debacchantur?

VI. Recentiores hæretici eo cæcutire haud potuerunt, ut in catholica Ecclesia salutem obtineri posse negarent. Hinc excogitarunt inventum non valde illi dissimile quod in Politicis, seu Neutralibus impugnatum est supra. Distinguant itaque articulos fidei catholice in substantiales, seu fundamentales, & non fundamentales. Quæ sane distinctio, prout ab illis inventa, commentitia est, & chimerica. Quippe contendunt illi fundamentalium articulum fidem ad salutem necessariam esse; secus vero fidem articulum non fundamentalium. Si vero ab illis quaeras, unde didicerint illorum, secus illorum, fidem ad salutem requiri; si urgeas, ut textum Scripturæ assignent qui hæc prodat diversitatem, vel ex quo colligi aperte possit disparitatis necessitatis ratio: silent omnino, & obmutescunt. Et sane ex textu sancto, in quo illi omnia credenda, non modo re, & virtute, seu implicite, ut dicitur, sed explicite, & aperte haberi contendunt, distinctio articulum fundamentalium, & non fundamentalium colligi nullo modo valet: multo minus vero illinc eruitur illorum, secus illorum, necessitas. Quin oppositum conceptis verbis docetur, reum esse infidelitatis omnium articulum qui vel unum respuit articulum, ut habetur Epist. Iacob. cap. 11. vers. 10. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non Mæchaberis, dixit & Non occides. Quod si non mæchaberis, occides autem, factus es transgressor legis*. Hæc divi Iacobi doctrina, cui forsitan non acquiescunt heterodoxi, pluribus in aliis eiusdem Scripturæ locis inculcatur. Quid quod ipsi hæretici plenis buccis nobis improperant, auxille nos fidei articulos, repugnante Scriptura, quæ prohibet vel verbum aut addere, aut detrachere fidei articulis quos Deus nobis revelavit. Cur? Quia sicuti nihil superflui, ita nihil non necessariis nobis credendum proposuit Deus.

VII. Oppones. Nonne Catholici distin-

guunt articulos credendos: & quorundam necessariam esse fidem contendunt necessitate mediæ, sine qua salus obtineri nullo modo potest; aliorum vero fidem necessariam defendunt necessitate præcepti, quorum proinde ignorantia invincibili laborare quis potest, & absque istorum expressa fide salutem assequi æternam? R. Nemo neget, immo quisque rationis compos admittat fas est, in christiana professione, sicut in qualibet facultate, principia quædam esse generalia, & alia peculiariora, quæ ex illis profluunt. Quis negare ausit, Deum esse, illumque effectorem omnipotentem universi, providentiam, gubernium, & iudicium tum in bonos ut remuneret, tum in malos ut puniat, exercere: quis, inquam, negare ausit, articulum hunc credendum fundamentalem esse? Quis negaverit, in lege gratiæ articulum fundamentalem esse fidem Trinitatis, incarnationis, nativitatis, mortis, & resurrectionis Christi Domini; ceteros vero articulos minus fundamentales, & generales? Adfirmant Catholici contingere posse ut quis invincibiliter ignoret aliquem ex his minus præcipuis articulis, quorum fidem necessariam tantum defendunt vi præcepti. At numquid Catholicorum aliquis docet, eum qui pertinaciter vel unum minimum articulum neget, fieri salvum posse? Omnes Catholici docent, omnium articulum fidem necessariam ad salutem esse vel expresse, vel in promptitudine animi; eos vero omnes qui pertinaciter cuiquam divinæ veritati a Deo revelatæ, & ab Ecclesia catholica propositæ resistunt, extra statum salutis omnino reiiciunt. Non ideo ergo hæreticos improbamus, quod articulos distinguant in *fundamentales, & non fundamentales*: hæc quippe distinctio vera est: sed abusum huius distinctionis detestamur. Contendunt quippe illi non modo ignorari invincibiliter posse, sed contumaciter reiici articulos quos non fundamentales appellant: quandoquidem Calvinistæ præsentiam realem Lutheranorum, & transubstantiationem Catholicorum execrantur, nedum ignorant; & tam Lutherani, quam Calvinistæ, Sociniani, Anabaptistæ, ceterique hæretici articulos quos Romana Ecclesia credendos proponit, improbant, impugnantque. Quapropter dicimus, illos extra salutis statum reperiri. Aliud ergo est asserere, rudes aliquos ignorare sine æternæ salutis dispendio unum vel alterum articulum posse qui christianæ religionis principia non tangit: aliud longe maxime diver-

sum docere, articulorum fundamentalium fidem satis esse ad salutem æternam; quamvis articuli minus præcipui reiiciantur, & impugnentur. Primum docent Catholici; secundum heterodoxi, univèrsa Scriptura sancta, antiquis Patribus, & Conciliis repugnantibus. Quin ratio ipsa naturalis inanem commentum falsitatem deprehendit. Quoniam si Deus approbat cultum quem Catholici corpori Christi Domini sacris symbolis velato, Sanctis in cælo regnantibus, ligno sanctissimæ Crucis offerunt; quomodo gratam habere potest Lutheranorum, & Calvinistarum voluntatem, ne dicam impietatem, qua, ceu idololatriæ macula pollutum, cultum istum execrantur? Extrema adeo pugnantia Deo grata erunt? Si alterum extremum diligit, alterum odio habeat necesse est. Aut enim articuli isti non fundamentales revelati a Deo sunt; aut secus. Si revelati, veri sunt; si veri sunt, Deo, qui veritas est, non placere nequeunt. Si falsi, falsitatem a Deo probari repugnat. Accedit: si articulorum non fundamentalium fides haud est ad salutem necessaria; quid ergo Lutherani, & Calvinistæ cum ceteris sectis ab Ecclesiâ Romana, in qua nati, sanctificati, & salutaribus pharmacis resecti erant, descivere? Cur tot schismata, tempestates, bellaque concitarunt? Si doctrina sacramentorum, iustificationis, bonorum operum, purgatorii, cultusque Sanctorum ad fundamentales articulos non pertinet; ut quid a Romana recesserunt communi? Ex his nemo non videt, quam vanum sit hoc recens hæreticorum inventum. Quemadmodum enim pro delirio haberetur, si quis vellet aliquod divinum præceptum contumaciter violare, ea ductus erronea opinione, quod mandatum istud fundamentale non sit; ita sane locum monstri habenda pertinacia illorum est qui plures divinæ fidei articulos pernegant eo prætextu quod fundamentales non sunt. Canamus ergo cum Ecclesiâ in suo Symbolo: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.*

CAPUT XIII.

Extra Catholico-Romanam Ecclesiam nulla datur salus. Laxa Casuistarum Busembaum, Cavamuelis, La-Croix, Sporer, & aliarum opinio reiicitur.

I. **Q**uestionem impeditam, arduam, subtilimem, tremendissimamque examinandam aggredimur: eoque mihi difficilius est, quod pro dignitate enucleatam nondum invenerim. Convenit inter Catholicos, salutem extra Ecclesiam catholicam non reperiri. Sed quinam dicendi sint extra Ecclesiam catholicam, non est una Doctorum sententia. Nam recentiores non pauci, potissimum ex Casuistis, extra Ecclesiam catholicam reiiciunt dumtaxat hæreticos quos vocant *formales*, nempe qui pertinaciter oppugnant aliquos articulos fidei. Alios appellant hæreticos *materiales*, qui utique separati sunt ab Ecclesiâ Romanæ communionem; sed contendunt istos reperiri in Ecclesiâ catholica universali, seu etiam Romana, animo, & desiderio, eo quod invincibiliter ignorent articulos fidei Ecclesiæ istius. Idcirco hæreticos materiales vocant, quod pertinaces non sunt in impugnando aliquo fidei articulo. Horum in numero ponunt Lutheranos montosos, silvetres, rudes, simplicesque, qui bona fide ea in religione vivunt quam a teneris unguiculis didicerunt. Isti nihil de Romano Pontifice, nihil de Romana Ecclesiâ, nihil de purgatorio, nihil de Sanctorum cultu audierunt. Quapropter istorum articulorum ignoratio invincibilis, & innocens in istis reputanda est. Salvabuntur ergo, si articulos præcipuos, & fundamentales crediderint.

II. Illud ut certum ponendum est, quemadmodum inter Catholicos, sic inter hæreticos, aliquorum articulorum invincibilem ignorantiam reperiri posse. Eam in rudibus quibusdam Catholicis admittunt communiter Theologi. Potiori ergo iure concedenda aliquibus hæreticis est, non minus quam Catholicis imperitis, rudibus, & ignavis. Hoc ego extra controversiam positum existimo. Porro isti qui hac invincibili laborant ignorantia, quique extra Catholico-Romanam Ecclesiam reperiuntur, fieri ne salvi valent, seu obtinebunt ne re ipsa salutem æternam? Hæc est controversia dirimenda.

III. Nemo adutorum extra arcam Ecclesiæ Romano-Catholicæ e vivis decedens salutem consequitur. Tremendissimæ sententiæ veritas,

DISS. II. DE INFIDELITATE. 143

tas, non ratiunculis humanis, sed divinis testimoniis ostendenda, firmandaque est. Porro innumera sunt Scripturarum documenta quæ propositam confirmant veritatem. Brevitati indulgens unum promo ex Petri Epistolæ cap. III. *Cum fabricaretur arca, in qua pauci, idest octo anime salvæ factæ sunt per aquam: quod & vos nunc similis formæ salvat baptismus.* Arca Ecclesiâ est, in quam quisque medio baptismate ingreditur. In diluvio omnes extra arcam, nemine excepto, perierunt. Ergo omnes extra Ecclesiam æternam periclitantur naufragio. Quid ad hæc novi Casuistæ? Ignorantia invincibilis quempiam ne salvum fecit extra arcam noeticam? Vi itius decantata ignorantia, animo ne aliquis fuit intra arcam, ut animo, & corpore a naufragio liber evaderet? Et audebunt extra veram Christi arcam aliquem in paradisum evehere? Ob oculos tibi siste omnes Christi parabolas. Nullum triticum, nisi ex designata area, mittitur in horreum: nulla piscium electio, nisi ex sagena: nullæ virgines, nisi ex decem illis ad nuptias deliguntur. Nullus ergo, nisi ex vera Ecclesiâ, ad æternum sumitur regnum. Audi Hilarium Pictaviensem in Matth. cap. XIII. *Sedens in navicula &c. In parabolis enim erat locuturus: & facti istius genere significat eos qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiæ typum præferret, intra quam verbum vitæ positum, & prædicatum, hi qui extra sunt, & arenæ modo steriles, atque inutiles adiacent, intelligere non possunt.* Audi Cyprianum Lib. de unit. Eccles. *An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales enim si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiables, & gravis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr non potest qui in Ecclesiâ non est: ad regnum pervenire non potest qui eam que regnatura est, derelinquit.* Audistis? Sanguinis effusio ob Christi nominis confessionem abluere haud valet separationis maculam. Hanc vero delebit ignorantia invincibilis a vobis invecata? Quænam maior ignoratio, immo quænam maior veritatis persuasio, illa quæ ad effundendum pro Christi nomine sanguinem impellit? Et tamen firmissima hæc persuasio, atque adeo veræ Ecclesiæ ignoratio nihil teste Cypriano prodest ad æternam salutem. Argumentatur iterum ibidem S. Martyr Cyprianus. *Habere iam non potest Deum patrem*

qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Legas velim integrum laudatum Cypriani librum: interim audi Augustinum Lib. de patientia cap. XXVI. & seq. ubi fuso calamo explicat patientiam, & constantiam quam in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammam, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum: quæ omnia laudat; subdit tamen, *nihil prodesse ad regnum ælorum obtinendum; non ad extremi iudicii tolerabilius supplicium subeundum.* Hanc fortitudinem, & patientiam Dei donum esse adfirmat; continuo tamen admonet: *Cavendum est enim ne forte, si Dei donum istam patientiam dixerimus, hi quibus inest, etiam ad regnum Dei pertinere credantur.* Quid clamant Cavamuel, Busembaum, La-Croix, ceterique? Hæretici isti materiales sunt, non formales. Adeo quippe heroica illorum patientia, ut ad mortem pro Christi fide subeundam adducat. Si Ecclesiam Catholico-Romanam ignorant, invincibilis ignorantia isthæc? Contra definiunt Patres Cyprianus, Augustinus. Patientia hæc donum quidem Dei est; at non filiorum illius Hierusalem quæ sursum libera est mater nostra; sed ex iis quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Iudæi, schismatici, vel hæretici comparantur. Quamvis enim scriptum sit: *Eiice ancillam, & filium eius: neque enim heres erit filius ancilla cum filio meo Isaac:* & *Abraham dixit Deus: In Isaac vocabitur tibi semen. . . . ut intelligeremus, semen Abraham secundum Isaac propter Christum ad Dei filios pertinere, qui sunt corpus Christi, & membra, idest Ecclesiâ Dei, una, vera, germana, catholica. . . . tamen etiam filios concubinarum suarum quando a filio suo Isaac divisit Abraham, nonnulla eis largitus est munera, ne relinquerentur omnino inanes, non ut tenerentur heredes &c.* Alterutrum ergo dicendum infert perdoctus P. Michael Elizalde in suo opere inscripto *Forma vere Religionis* quæst. xxxvi. pag. 481. *vel sanctissimos hos Patres audacissimos, ac temerarios fuisse, qui pro Christo etiam occisos condemnarint, vel eos qui hic aliud sentiunt, & tam facile salvant, esse, ne quid dicam acerbius, inconsideratissimos, & in hac parte ignorantissimos.* Confirmat hanc suam sententiam P. Elizalde, cuius iudicium magni facio, quæst. præambul.

bul. ad opus illud auro, cedroque dignum de recta doctrina morum §. 4. pag. 4. ubi hæc habet. Probe equidem scio, non modo in amovissimis gentibus, sed in ipsis etiam Italia fructibus, & ipsos inter Catholicos commixtis hereticis, admitti a quibusdam infidelitatem negativam, & hereses invincibiles, & sceleris innoxias. Sed quidquid de his erit, illud mihi firmum est, & præter omnem opinionis formidinem certum, indubitatumque, extra Ecclesiam catholicam tam salvari neminem, quam in diluvio extra arcam evasit nemo. At salvari omnes homines possunt, ut concedunt omnes. Ergo & catholicam Ecclesiam, ac veram religionem invenire, sine qua scilicet salvatur nemo. Invenias mihi vel unum Theologum paris doctrinæ, & probitatis qui oppositum doceat.

IV. Martyres de quibus loquuntur Patres, ex obstinatione, non veritatis amore sanguinem fundunt: idcirco eos non salvari merito Patres docent. Bene habet. At unde tibi exploratum est, præiatis viros, dum ob Christi confessionem sanguinem fundunt, id obstinato, non forti animo peragere? Ediffere: unde tibi hoc constat? Cordium ne scrutator es tu? Minime, inquis. Unde ergo tibi nota est obstinatio isthæc? Quod hi potuerint veram assequi religionem? At ut eam assequerentur nullum non movisse lapidem testantur, & tam certo persuasi sunt se veram profiteri religionem, ut pro illius confessione sustineant mortem. Non ergo aliunde tibi constat, hos obstinatos esse martyres, nisi quia extra Ecclesiam veram non reperitur verum martyrium. Sed ultra pergamus. Concilium Florentinum hæc statuit. Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, nullos extra catholicam Ecclesiam exeuntes, nec paganos, nec Iudæos, nec hereticos, nec schismaticos, æternæ vitæ fieri posse participes, sed in ignem æternum ituros, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati; tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut nemo, quantascumque elemosynas fecerit, possit salvari, nisi in catholica Ecclesiæ gremio, & unitate permanerit. Idem colligitur ex cap. Firmiter de Sum. Trinit. Lib. I. tit. 3. §. 3. Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. Cardinalis Turrecremata plures in istius sententiæ confirmationem congerit canones, Sum. de Eccles. Lib. I. cap. XXI. D. Augustinus in Psalm. lvi. In multis erant mecum. Baptismum habebamus, utique in eo erant mecum. Festa Martyrum celebra-

mus, erant ibi mecum. Pascha solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum. Sed non omnino mecum: in schismate non mecum, in heresi non mecum. Sed in his paucis in quibus non mecum, non eis profunt multa in quibus mecum. Etenim, fratres, videte quam multa enarravit Apostolus Paulus: unum, dixit, si defuerit, frustra sunt illa. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, (ait) si habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem scientiam, si montes transferam, si distribuam omnia mea pauperibus, si tradam corpus meum, ita ut ardeat: quam multa numeravit! His omnibus multis desit una caritas: illa numero plura sunt, hæc pondere maior est. Ergo in omnibus sacramentis mecum, in una caritate non mecum. Similia repetit Augustinus epist. ad Cath. de testim. contr. Donatist. Quicumque credunt quidem quod Iesus Christus, ita ut dictum est, in carne venerit, & in eadem carne in quæ natus, & passus est, resurrexerit, & ipse sit Filius Dei apud Deum, & cum Patre unum, & incommutabile verum Patris Verbum, per quod facta sunt omnia; sed tamen ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiant, ut eorum communio non sit cum tuo corpore, quocumque diffunditur, sed in altera parte separata inveniantur; manifestum est eos non esse in catholica Ecclesia, nec in salutis via.

V. Non minus perspicue hanc veritatem docet D. Fulgentius Lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. xxxviii. Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum omnes paganos, sed etiam omnes Iudæos, hereticos, atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Item cap. xxxix. Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet hereticum, sive schismaticum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque elemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini qui Ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus, neque elemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo heretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.

VI. Ratio quoque assertionis positæ manifesta est. Quoniam sola Ecclesia Romano-Catholica vera Ecclesia est. Sed extra

veram Ecclesiam nulla reperitur salus, omnibus fatentibus hæreticis ipsis. Igitur extra Ecclesiam Romano-Catholicam nemo potest salvus fieri. Prima propositio alias demonstrata est. Istius Ecclesiæ caput est Christus, qui eam & visibili sui Vicarii, Romani scilicet Pontificis, regimine, & interiori atque exteriori gratia gubernat, irrigat, & alit, tamquam pastor gregem suum. Porro qui hic in terris extra ovile, extra gregem, seu Ecclesiam est, Christum pastorem non habet: quoniam pastor non est nisi gregis unius. Fiet unum ovile, & unus pastor: Ioan. x. Qui autem hic pastorem Christum non habet, nec illum in cælis glorificatorem habebit. Plura adduci ex Scripturis exempla solent. Extra arcam Noe, quæ Ecclesiam Christi adumbrabat, omnes naufragio perierunt. Domum quoque Raab in qua mortem evaserunt soli qui in eadem congregati fuere, ceteris omnibus pereuntibus, Ecclesiæ figuram fuisse docent Interpretes sacri; illique adscribunt, quod Iosue cap. xi. dixit mulieri Raab: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam: omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit mortis suæ. Alia plurima exempla tum ex veteri, tum ex novo foedere petita omitto, quod obvia sint.

VII. Quæ hæcenus dicta sunt, libenter omnes concedunt; sed remanet difficultas solvenda de hæreticis qui materiales appellantur. Isti extra Ecclesiam Romanam reperiuntur: in iisdem plurium articulorum ignorantiam invincibilem possibilem esse, iam concessum est supra n. 2. Salutem ne isti consequentur, si cum hæc ignorantia invincibili decedant e vivis? Hic nodus sane tremendus, ac difficilis discendendus est. Ut omnia clare, & usui deservientia explicemus, illud primum pro certo habendum, quod tametsi fieri possit ut in quibusdam sectariis ignorantia quorundam articulorum fidei catholicæ sit invincibilis; vix tamen id reipâ contingit, potissimum si sermo sit de hæreticis Lutheranis, & Calvinistis. Vix enim reperire licet in Germania, Hollandia, aliisque conterminis regionibus Lutheranum, aut Calvinistam, qui nihil de Ecclesia Romana audierit, cum ministris hæreticis nil altius populorum animis intillare studeant quam odium adversus Catholicam Romanam Ecclesiam, eiusdemque Pontificem summum. Hac autem auditione posita, facile hæreticis illis est, & quantumlibet rûdibus

& imperitis, dubitare de suæ sectæ falsitate. Numquid Deus auxilia sufficientia illis non confert, quibus excitentur ad cogitandum, & inquirendum de vera Religione, & Ecclesia? Adversarii auxilia sufficientia, vel ipsis obcæcatis & obstinatis, Deum conferre, nedum offerre docent; & postea, ut ignorantia invincibilis confinia amplificent, hæc auxilia prætereunt. Fides donum Dei est, cuius utique collationem auditus credendorum præcedit. Et cum difficile, & rarum sit reperire aliquem ex Lutheranis, Calvinianisque, cui ignota omnino sit Ecclesia Romana; ideo vix contingit ut eorum aliquis ignorantia invincibilis privilegio fruatur.

VIII. Sed hypotheseam admittamus, reipâ aliquos reperiri qui baptismate suscepto, & adulti effecti, credentes Unitatem, & Trinitatem Dei, immo omnes Symboli apostolici articulos, laborent ignorantia invincibili Ecclesiæ Romanæ, eiusdemque articulorum particularium. Quid in istos sententiæ profers? Salvabuntur ne, an damnabuntur? Resp. Extra arcam si moriantur, illos æternum perire, Scripturæ, Concilia, & Patres, ut ego quidem arbitror, asserunt. Sed extra arcam Ecclesiæ Romanæ non sunt, inquis, nisi corpore, & ut aiunt, materialiter, animo enim, & desiderio intra Ecclesiam Romanam reperiuntur. Si animo, & desiderio communionem Romanæ Ecclesiæ anhelant, dubio procul salvari illos, sentire nos convenit; quemadmodum salvos fieri illos dicimus qui baptismum non re, quia impediti, sed voto, & desiderio suscipiunt. Quare si Lutheranorum, & cuiusque sectæ adultus homo in extremis constitutus in communionem Romanæ Ecclesiæ decedere cupit, contritusque moriatur, nemo ambigit, hunc fieri salvum. At in hoc difficultas vertitur, fieri ne possit ut Lutheranus, Calvinista &c. qui nihil omnino neque in vita, neque in morte cogitat de Romana Ecclesia, sed illius ignorantia laborans moritur, suæ sectæ adherens, portum salutis sit consecuturus. Fieri posse salvum tu contendis, quod principalium mysteriorum divinæ fidei lumine persuaso innoxia illi sit aliorum articulorum ignorantia. Clarius rem exponamus.

IX. Obiicies 1. Lutheranus sacro tinctus lavacro, fideique habitu imbutus a Deo, adultus effectus nulla per totam vitam gravi culpa inficitur; sed vitam intaminatam cuiusque criminis expertem ducit: nihil nunquam de Romana Ecclesia, nec de articulis

qui in eadem creduntur, audivit: cum eiusdem ignorantia moritur: quid de hoc pronuntias?

X. Resp. Priusquam directe difficultati occurrerem, dico casum hunc satis metaphysicum esse. Rara quippe in terris avis undequaque alba. Primum ergo perpende, quam vana sit illorum argumentatio, qua fucum facere imperitis solent qui sic sermocinantur. Immensa est Dei benignitas, infinitaque illius misericordia. Non ergo perire sinet plebem illam montosam, rudem, simplicemque Lutheranae, & Calvinianae sectae: quoniam miseri illi homines bona conscientia credunt vera esse quae a suis audiunt pastoribus. Nulla illi contumacia Romanae refragantur Ecclesiae; immo dicendi sunt in sinu Ecclesiae Romanae quiescere, cum nihil in neutram partem audierint. Crudelis ergo, & tetrica videtur sententia illa quae rudem illum populum ad unum usque damnat. Damnabuntur utique qui flagitia perpetrant: secus innocentes, probique. Quam vana, inquam, sit eiusmodi argutatio, quamque Evangelio, & potissimum D. Pauli Apostoli ad Romanos Epistolae contraria, nemo non videt. Discursus quippe praefatus non principiis evangelicae legis, sed humanis ratiociniis, & naturae aeterna supplicia horrentis sensibus nititur. Hoc autem evidenter ostendo. Quot adultos inter Lutheranos, ne dicam inter Catholicos, reperire licet nullius gravis culpa fontes? Vel ipse concedis, vix unum ex millibus immaculata splendore innocentia baptisimatis. Porro si adulti illi communiter in aliquod prolabantur flagitium; quo purgabuntur remedio, si sacramentorum medicinali gratia carent? Damnantur ergo, sin minus propter infidelitatis crimen, certe propter alia peccata, quae sacramento poenitentiae, quod non agnoscunt, delere nequeunt. Habent, inquis, remedium perfectae contritionis. Verum, praeterquam quod perrarum, atque difficillimum est eiusmodi homines perfecta contritione, & caritate consummata ardere; de hac contritione nec cogitant quidem plures eorum, cum firmiter teneant, sola fide, fiduciaque in Christum iustificationis donum se reipsa consequi. Quare hoc de iustificatione obtinenda per fidem errore decepti, nec contritionem elicere student, nec dolere de suis peccatis curant, nec poenitentia expiare crimina sua, divinamque sibi propitiare iustitiam conantur. Clarum ergo est omnes adultos haereticos Lutheranos, Calvinistasque, qui aliquod peccatum mortale perpetrant, in

infernum descendere; cum nullum propria culpa remedium habeant, seu habere nolint, quo commissum delictum deleant: de contritione enim nec cogitant quidem. Et quia vix in integra populosa provincia occurrit aliquis illorum adultus ab omni gravi flagitio purus; ideo planum est communiter haereticos omnes, quantumlibet rudes, & imperitos, aeternas duros poenas. Ratiocinium ergo ab humana illa commiseratione, & ab infinita misericordia arcessitum, vanum est. Quapropter etiam admittenda contraria opinio quae contendit possibilem esse rudium haereticorum quorundam salutem ob privilegium ignorantiae invincibilis, paucissimis, aut nullis illa suffragatur ob defectum remedii quo perpetrata scelera deleantur.

XI. Ut autem propositae difficultati directe faciam satis, dico primum, propositum casum pugnantia includere. Pugnant enim haec duo, scilicet quod haereticus adultus credat mysteria Trinitatis, & Incarnationis, quorum fides necessaria est necessitate medii ad salutem; & quod ignoret Romanam Ecclesiam. Nonne communis est Theologorum sententia quae asserit, proponendos esse ab Ecclesia Catholico-Romana Articulos credendos? Nonne communiter Theologi tantquam conditionem necessariam exposcunt Ecclesiae propositionem, ut fide divina articuli credantur? Omnes Catholicos defendunt fidem divinam in haereticis non reperiri, propterea quod Trinitatem, Incarnationem, & cetera arcana non credant ob testimonium divinum ab Ecclesia propositum. Si ergo iuxta communissimam Theologorum sententiam in haereticis nulla est fides divina ob defectum pie affectionis, & Ecclesiae proponentis; qui fieri potest ut illorum aliquis salvetur? Numquid sine fide Trinitatis, & Incarnationis ad paradysum quisquam perveniet? Istorum articulo- rum in aliquibus haereticis, & Catholicis infidelitatem negativam cum D. Thoma admittimus. At sine istorum articulo- rum fide neminem salvari, omnes docemus. Hinc est quod D. Thomas subdit, adultum qui gratia divina adiutus a quaque culpa se abstinet, legemque naturalem implet in prosecutione boni, & fuga mali, illuminandum a Deo fore vel per hominem, vel per Angelum. Idem in casu proposito dicendum est. Si rudis, & imperitus haereticus vitam cuiusque culpa innoxiam ducat, legemque Decalogi impleat, Deus ad illum ministrum Ecclesiae Romanae mittet, qui nomine verae Ecclesiae credenda necessario proponat. Si hoc

non

non evenit, dicamus oportet, rudem haereticum in aliquod peccatum prolapsum esse, indignumque factum fidei divinae dono.

XII. Obiicies 2. D. Thomas adstruit, infidelem negative illuminandum a Deo fore per hominem, Angelumve de fide Trinitatis & Incarnationis, quod fides istorum mysteriorum necessaria sit necessitate medii. Haeretici materiales de quibus in praesentia sermo est, Trinitatem, Incarnationem, omnemque Symboli apostolici articulos credunt. Mysteriorum Ecclesiae Romanae, transubstantiationis, purgatorii, cultus Sanctorum, fides non est necessitate medii necessaria ad salutem: quamobrem eorundem innoxia ignorantia laborant. Salvati illos ergo dicendum est.

XIII. Resp. Ex his quae diximus, difficultas soluta est. Admittimus, ut saepius concessimus, plurium articulo- rum Ecclesiae Romanae ignorantem invincibilem. At negamus sine Ecclesiae Romanae proponentis auctoritate haberi fidem divinam posse illorum articulo- rum fundamentalium quorum fides necessaria est necessitate medii. Quoniam, ut dictum est, auctoritas Ecclesiae proponentis conditio necessaria est ad fidem divinam.

XIV. Obiicies 3. Rudis ex populo haeretico credit suo pastori, articulos Trinitatis, & Incarnationis proponenti; quemadmodum rudis Catholicus credit suo Parocho eos articulos annuntianti. Cur fides Catholicis divina est; secus fides haeretici? Ambo adiungunt, ille a Parocho suo, hic a ministro. Tam Parochus, quam minister nomine Ecclesiae proponunt credenda. Ergo vel neutrius, vel utriusque fides divina dicenda erit.

XV. Resp. Fides Catholici divina est, quod Parochus nomine verae Ecclesiae Romano-Catholicae credenda annuntiat; minister Lutheranus nomine Ecclesiae reformatae, a catholica separatae, mysteria proponit: ideo fides audientis, & credentis divina non est. Sed rudis haereticus credit, suam Ecclesiam esse veram. Ita est, at falso credit. Mens adhuc non quiescit, nec rationis discrimen percipit, cur divina sit fides Catholici idiotae credentis suo Parocho manifestanti articulos; humana vero sit fides idiotae haeretici credentis mysteria divina sibi a suo pastore proposita. Ut mens tua omnino quiescat, lege caput ix. & xi. D. Pauli Apostoli ad Romanos, quibus hoc ineffabile, tremendumque mysterium explicans exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius,*

& investigabiles viae eius! Integro hoc capite narrat Apostolus Hebraeorum, & Gentium vicissitudines in religionis negotio. Ostendit divinam bonitatem erga Gentes, severitatemque adversus Iudaeos, qui cum essent oliva electa, tamquam aridi rami praecisi fuerunt, ut Gentes excisae ex oleastro, bonae olivae infererentur. Istius porro mutationis non aliam rationem affert quam inscrutabilia iudicia Dei. Hinc omnes nos hortatur ut timeamus, mentemque nostram in obsequium divinae Sapientiae subdamus. *Tu autem fides istas. Noli altum sapere; sed time: vers. 20.*

XVI. Obiicies 4. Pueri haereticorum habitum infusum fidei divinae in baptismate recipiunt. Adulti facti nullum actum infidelitatis eliciunt: quoniam articulos quos a suis pastoribus audiunt, constanti fide credunt. Articulos Romanae Ecclesiae non audiunt; atque adeo illis non resistunt. Cur ergo non salvabuntur, si legem Decalogi impleverint?

XVII. Resp. Ad salutem aeternam fides actualis necessaria est. Porro ut quis actus fidei internos edat, praecedat oportet exterior credendorum propositio. Prudens est actus divinae fidei. Haec autem propositio, ut ad fidem divinam satis sit, ab Ecclesia catholica fieri debet. Haec conditio necessaria est, ut alias ostensum fuit. Nequit ergo idiotae haeretici adultus actum fidei divinae ad salutem necessariae elicere, usque dum nomine catholicae Ecclesiae proposita eidem sint mysteria credenda. Consistit ergo conclusio nostra, neminem salvum fieri extra arcam Romanae Ecclesiae.

XVIII. Quoniam tamen maximi momenti res est, lubet iterum rationem potissimam quam ad eam firmandam adduxi, clarius exponere. In fide divina non tantum quid credatur spectandum est, verum cum primis etiam quo fundamento credatur: quod & in quaque humana fide servatur. Qualis namque est credendi ratio, talis est fidei natura. Si illa certa, haec quoque certa; fallax haec, si & illa. Porro omnes sectae extra catholicam Ecclesiam fallaciter nituntur fundamento in credendis fidei arcanis: quod omnes enumerando palam facio. Turca credit esse unum Deum, quia Alcoranus, quem divino afflatu exaratum putat, sic docet. Quod credit, verum est, sed credendi ratio fallax: quae propterea plura vera mysteria, ut Trinitatem, Christum & cetera divina arcana, impie reiicit. Protestantes credunt Deum, Trinitatem, Incarnationem, Symbolum &c. vel auctoritate nixi suorum apo-

ftolorum, Lutheri, Calvini, Zuinglii, Bezae, & ceterorum; vel quia proprio privato iudicio ea in Scripturis contineri iudicant, vel quia Spiritus sanctus peculiari afflatu illis testatur praefata mysteria esse vera. Haec sunt fundamenta fidei Lutheranae, Calvinianae, aliarumque sectarum. Nemo autem non videt eiusmodi fundamenta fallacia esse. Et ad primum quod attinet, quis inficias iverit, Lutherum, Calvinum, Bezam, ceterosque istius fursuris apostolos falsi potuisse, & reapse in putidos, impiosque errores fuisse prolapsos? Non minus vacillat secunda credendi ratio. Quot enim falsa reputamus vera, & contra, dum proprio iudicio illa metimur? Tertium denique omnium est ineptissimum, & illusorium. Spiritus Dei unus est, sibi que constans; quae docet, pugnantia minime sunt, sed unitatem, & veritatem spirat. Porro inter Calvinistas, Lutheranos, Anabaptistas tot fere sunt Spiritus sancti, quot capita. Quis numerare sectas omnes poterit, & factiones, quas peperere Lutherus, Calvinus, Zuinglius? Sunt qui ultra centum supputarunt. Singulae iactant suum Spiritum sanctum; tamen sibi mutuo contradicant, & contraria doceant. Quaelibet suo privati spiritus testimonio sulata veram esse propriam religionem credit. Fateantur ergo oportet aut Spiritum Dei secum pugnare, & opposita docere; aut se divino Spiritu destitutos, plenosque esse spiritu erroris, & mendacii, ut D. Paulus de similibus testatur II. Thessal. II. *Eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

XIX. Nec est quod respondeas, sectarios istos credere non proprio iudicio, aut privato spiritu, sed divinis Scripturis, quae errare nequeunt, nisi. Inanius est ceteris effugium istud. Utique divinae Scripturae errare nequeunt. Sed probandum est errare non posse qui eas legunt. Catholici, Lutherani, Calviniani, Sociniani, Anabaptistae, Quakeri, & ceterae sectae omnes Scripturas legunt: quaelibet a se stare Scripturam mordicus asserit: & tamen, cum una sit veritas, unitantum favere posse Scripturam liquido constat. Catholicis sensum Scripturae intelligunt iuxta interpretationem Ecclesiae, cui Spiritus Dei assistit: quapropter nulla inter istos in iis quae fidei sunt, divisio, nulla oppositio; omnes idem omnino sentiunt. Ceterae sectae omnes proprio iudicio Scripturarum sensum metiuntur, fidemque mysteriis in iis-

dem contentis adhibent, propria ratione praeeunte. Idcirco tot factiones, quot capita: nulla unitas, nulla fides. Qui enim deficit in uno, factus est omnium reus.

XX. Haec manifesta sectarum multitudo sub vexillis Lutheri, Calvini, Socini, aliorumque haeresiarum, sola sufficere deberet ad evincendam illarum falsitatem. Huiusmodi namque sectarii Christum, divinamque legem profitentes, nihilominus intra unius saeculi intervallum ab Ecclesia catholica seiuncti, tot fere sectis, quot familiis constant. Altera alteram damnat, omnesque invicem conficiuntur. Quod sane perspicuo, luculentissimo argumento est, spiritum erroris & mendacii illorum infatuare mentem, animum pravitate inficere, rationemque omnem in religionis negotio adimere, idque est eo admirabilius, quo sunt ceteris omnibus infidelibus eruditiores, doctioresque. Sed quo ad vana acutiores, eo sunt hebetiores ad divina. Infideles populi, ut Turcae, Iudaei, ceterique, credunt propriae religionis arcana propter auctoritatem vel Alcorani, vel Scripturae, doctorum suorum interpretatione propositae. Summam Turcae Mahumeto fidem praestant, siveque Rabbini plebei Iudaei. Quare istorum credendi regula minus fallax est, quidque rationi consentaneum praefert. Novatores nostri selectiori doctrina praediti, ac splendidiore perfusi lumine non adeo magnificiunt suum Lutherum Calvinum, Zuinglium, Melancthonemque, ut religioni sibi ducant ab illis dissentire. Homines & ipsi sunt, inquit: ergo mendaces. Quod si mendaces magistrum, numquid veraces discipuli? Cum igitur aut magistrorum, aut proprio iudicio in fidei assensu ducantur, planum est spiritu mendacii, & inconstantiae illos teneri. Et tam sum excusatione minus digni, quam supra aliis lumine, & doctrina praestant. Ex quibus omnibus elicitur, nullam apud eos divinam splendens fidem: quia omnis credendi ratio fallax est, vana, & deceptorum. Et profecto, nisi excacati prorsus essent, & in Catholicos satanae furore abrepti, continuo deprehenderent spiritum illum quem interius sese sentire effutiunt, non esse Spiritum Dei, sed daemoneis.

XXI. Accedit: si qui Christum, eiusque praecipua dogmata consententur, ignorantiae invincibilis scuto se tueri possent, salutemque assequi aeternam; cur tanta inter religiones dissensio? Cur mutuis anathematis se se perstringunt, discerpunt, damnant? Cur Lutherani Calvinistas insectantur? Cur Calvi-

nistae Lutheranis adherere recusant? Postremum si ignorantiae invincibilis effugium valeret, superflui forent tot labores in illorum conversione, superflue praedicationes, & maxime ille sollicitudines quae Ecclesia catholica adhibet, ut ad ovile Christi errantes oves revocet. Firma ergo & certa videretur sententia nostra, neminem aduulorum extra Romanam Ecclesiam e vivis de edentem, & suae sectae adherentem posse fieri salvum. Ille vero extra Romanam Ecclesiam moritur qui eam ut veram matrem, & magistram expresse non agnoscit.

XXII. Oppones 5. Extra Ecclesiam Catholico-Romanam reperitur verum baptismum, quo tincti infantes Christo regenerantur. Ergo aliae Ecclesiae separatae a Catholico-Romanam regenerant filios aeterna gloria dignos. Si generant, ergo sponsae: si sponsae, ergo aeterno sponso Christo coniunctae. Si aliae Ecclesiae separatae, seu earum ministri verum baptismum conferunt, quidni & divina proponere mysteria credenda poterunt ut Ecclesiae ministri?

XXIII. Resp. Hoc inane sophisma pluribus in locis sibi oppositum a Donatistis explodit Augustinus, potissimum Lib. I. de baptis. c. XIV. & XV. *Frustra ergo nobis dicunt: Si baptismum nostrum acceptatis, quid minus habemus, ut nobis de vestra communione consulendum putetis? Respondemus enim: Nos baptismum vestrum acceptamus, quia non est baptismum ille haereticorum, vel schismaticorum, sed Dei, & Ecclesiae, ubicumque fuerit inventus, & quocumque translatus. Vestrum autem non est, nisi quod prave sentitis, & sacrilege agitis, & impie separamini. . . . Ecclesia quippe omnes per baptismum parit sive apud se, id est ex utero suo; sive extra se de semine viri sui, sive de se, sive de ancilla. Sed & Esau de uxore natus propter fraternam discordiam separatus est a populo Dei. Similia habet cap. X. Sed videntur sibi argutissime querere, utrum generet filios baptismus Christi in parte Donati (Lutheri, Calvini, Zuinglii &c.) an non generet: ut si consenserimus quod generet, suam esse asseverent Ecclesiam matrem qua filios potuit de Christi baptisate generare: & quia unam oportet esse Ecclesiam, ex hoc iam nostram non esse Ecclesiam criminantur. Si autem dixerimus, Non generat: Cur ergo, aiunt, apud vos non renascuntur per baptismum cum transeunt a nobis ad vos, cum apud nos fuerint baptizati, si nondum damnati sunt? Quasi vero ex hoc generet unde separata est, & non ex*

hoc unde coniuncta est. Separata enim est a vinculo caritatis, & pacis; sed adiuncta est in uno baptisate. . . . Neque enim separatio eorum generat, sed quod secum de ista tenuerunt. Quod si & hoc dimittant, omnino non generant. . . . Ergo ipsa (Ecclesia catholica) generat & per uterum suum, & per uteros ancillarum ex eisdem sacramentis, tamquam ex viri sui semine. Sacramentum baptismatis sua natura gratiam confert. Quare ministri haeretici illud ut Ecclesiae catholicae thesaurum impertiunt; quamvis, ut Augustinus docet Lib. I. de baptis. cap. II. & sequentibus illud in haeresi & schismate administrantes. Dei dona ex ipsorum haeresi non inquinantur; sed inficiuntur ipsi qui indigne divina tractant mysteria. Hinc patet quam futillis sit argutatio supra facta. Conferunt haeretici ministri baptismum: ergo auctoritate quoque pollent qua credibilia reddant plebi fidei mysteria. Nam si ab Ecclesia recisi sunt, atque seiuncti, omni quoque auctoritate carent. Nullo ergo modo fieri potest ut tamquam Ecclesiae Catholicae ministri fidei articulos plebi credendos proponant.

XXIV. Extra Ecclesiam Romano-Catholicam infantes Iustri abluti aqua salvantur, si antequam lumine illustrentur rationis, e vivis decedant. Continuo ne ac rationis usu potiuntur, gratiam amittunt? Quid arcana ista soli Deo nota penetrare audes? Momentum istud nos laet. Illud nos Scripturae sanctae, Patres, & Concilia docent, adultos omnes a Romana Ecclesia separatos, & propriae sectae Calvinianae, Lutheranae, Socinianae, Photianae &c. adherentes extra arcam esse salutis, & nisi in eandem regrediantur, aeternum perdendos. Haeretici adulti baptismum recipientes gratiam non recipiunt, haeresi qua sunt polluti, impediunt. Nullus ergo, iterum inquam, adultorum inter haeticos salvabitur? Nemo prorsus, nisi intra arcam regrediat. Regreditur, inquis, animo, licet non corpore. Si animo regrediat, & cetera adsint, dubio procul salvatur. At nunquam animo regreditur usquedum alicui sectae, sive Lutheranae, sive Calvinianae a Romana Ecclesia separatae animo iunctus est: nisi vis quemlibet posse duobus dominis servire, & duabus sponsis esse coniunctum. Adherent, iterum reponis, plures Ecclesiae Lutheranae cognitione expressa, illam repugnantem veram Ecclesiam: adherent simul Ecclesiae Romanae media ignorantia invincibili qua laborant. Commenta haec sunt arbitraria, & inania. Sancti Patres qui ex institu-

to hoc tractant argumentum, nullibi istius insuperabilis ignorantiae, vi cuius salvari haereticum adulti possint extra Ecclesiam, meminere. At quid emolumenti colligeres, etiam concederem possibilem esse casum in quo adultus aliquis extra Ecclesiam laboret ignorantia invincibili pro aliquo tempore, immunisque sit a vitio schismatis, & haereseos? Iste ne perrarus eventus expleret amplam illam tuam cupiditatem multiplicandi electos? Nimum crudelem reputas sententiam nostram. Numquid benigna, & tuae humanae commiserationi consentanea evadit, ob unum aut alterum casum perquam maxime rarum? Crudeles, & inhumana est doctrina nostra? Crudeles ergo est doctrina quae damnatos docet omnes pueros Catholicorum sine baptismo decedentes, omnes infideles, omnes Iudaeos, omnes idololatrias, omnes formales haereticos, schismaticos, omnes Catholicos sceleribus infectos, nisi poeniteant. Cruditatis ne arguis doctrinam hanc?

XXV. Sed audiamus tandem Casuistas istos qui cum Caramuele in Theologia fundamentali num. 1338. 1341. 1348. sic *caramuelizant*. Verba sunt Caramuelis. „ Praesidebat P. Ioannes de Longhe vir doctissimus, & ad ignorantiam insuperabilem recurrens „ Iansenium materialiter errasse pronuntia- „ vit. Tunc ego ponderavi responsum eiusmodi, modo eandem refutavi. Sic in- „ quam. Cornelius Iansenius fuit Theologiae „ professor primarius Lovanii, & tamen in- „ superabiliter ignoravit esse haereticas multas „ propositiones quae in propriis terminis a Tri- „ dentino condemnantur. Ergo nullus rusticus, „ nulla femina, nullus aulicus, nullus me- „ chanicus, nullus iurista, nullus medicus est „ formaliter haereticus: quia nemo ex istis est „ in theologicis tam doctus quam Iansenius „ fuit, aut esse debuit. Ergo pauculi, aut „ nulli praedicantes sunt formales haeretici: „ quia nulli, aut pauculi tam docti in theolo- „ gicis sunt quam Iansenius. Admisit Praeses, „ multos esse in Europa materiales haereticos, „ quod omnes docti dicunt, & clare expe- „ rientia demonstrat. „ Haecenus Caramuel, „ qui citatis num. item num. 1351. seq. plura congerit ad augendam haereticorum materia- „ lium turbam, sub qua comprehendit etiam Iansenium.

XXVI. Quo ista Caramuelis cavillatio tendat, non est quod pluribus declarem. Ianua hac patefacta, quisque in sua secta, opinione probabili de eius veritate convictus, perseverare licite poterit. Rusticos, monto-

fosque Lutheranos, Calvinistas, Socinianos, Photinianos, haereticos, & schismaticos materiales tu esse existimas, tamen Ecclesiam Romanam a suis pastoribus decepti detestentur? Ecce potiori iure haereticis materialibus non accenses pastores ipsos? Isti, ut Inreid de se ipso testatur, humiles fundunt Deo preces, ut lumen assequendae veritatis cessarium sibi impertiat: sedulam navant operam, ut quamam sit vera Ecclesia, quamam vera fides, discernere valeant. Postufas preces, post improbum studium, non probabili, non probabiliore, sed certa persuasione convicti sunt, Ecclesiam reformatorem esse veram? Tibi millies iurabant, se nullo conscientiae scrupulo, vel morsu torqueri: adiciunt incorruptos mores, moralium officiorum exercitia. Quid ad haec? Cur isti formales: rustici vero materiales haeretici? Quid quod rustici, & montosi homines nequeunt propriam ignorantiam depellere, cum litterarum eruditione careant? Quid quod pastores eruditi, & docti certo iudicant Ecclesiam Lutheranam esse veram? Bona itaque fide pastores isti odio adversus Ecclesiam Romanam accendunt plebem suam, quemadmodum, per te, bona fide decipitur plebs ipsa a pastoribus suis. Ergo tam pastores, quam populi materiales haeretici erunt. Cur obstinatos pastores asseris, secus rusticos a pastoribus imbutos fide, ut apparet, bona?

XXVII. Ultimo tandem te urgeo. Inter tot religiones quae sunt in mundo, fieri nequit ut plus una vera sit. Haec autem Catholica est. Falsa ergo religio Lutherana: falsa religio Calviniana, Sociniana &c. Alterum itaque dicendum: aut quemlibet in sua religione salvandum, aut omnes extra veram religionem perdendos. Una vera religio, una vera Ecclesia. Ergo sicuti nemo nisi in vera religione; ita nemo nisi in vera Ecclesia salvari potest. Denuo obrudent, plebeios Lutheranos, Calvinianos &c. animo esse tum in vera religione, tum in vera Ecclesia: siquidem fidem quam receperunt in baptismo, conservant, eo quod ignorent invincibiliter religionem Romano-Catholicam esse veram. Peregrege. Omnes adulti haeretici aliquam, aut nullam profiteri religionem debent. Si nullam, omne cessat diffidium. Si aliquam, aut veram Catholicam, aut falsam Lutheranam, Calvinianam &c. Profitentur, inquit, expresse firmiterque Lutheranam, Calvinianam; at simul animo ignorantie invincibili persuaso profitentur religionem Romanam. Apage monstruosa commen-

ta.

ta. Duas ergo religiones mutuo pugnantem profitentur homines isti? Quidni potiori iure Indi, Iapones, Sineses, Turcae, ceterique omnes poterunt & propriae Ecclesiae firmiter adherere, & privilegio ignorantiae invincibilis profiteri Romanam Ecclesiam? At carent illi baptismo: baptisma autem necessarium est necessitate medii. Bene habet; verum etiam professio verae religionis necessaria est necessitate medii. Ergo eadem utriusque ratio. Baptisma infantes morientes salvat, respectu adultorum ianua est ingrediendi in arcam. Aut ergo adulti effecti ingrediuntur arcam Romanae Ecclesiae, aut secus. Si primum, lis nulla; si secundum, naufragio pereunt: quoniam istis baptisma non fuit re ipsa ianua introeundi in arcam. Si naturalis ratio consulenda esset, excusabiliores viderentur Iapones, Indi, Aethiopes, innumeraeque barbarae nationes, quam rustici Lutherani, Calviniani, ceterique haeretici Europei, qui sunt penes fores arcae, digitoque eam fere contingunt.

XXVIII. Hinc collige, quam laxa sit opinio P. Busenbaum Lib. II. cap. iv. dub. 3. num. 5. ubi haec habet: *Rustici, aliqui homines simplices in Germania, qui haeretici habentur, & tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi a suis Parochis. Ratio, quia non sunt haeretici formales, habentque fidem catholicam in baptismo acceptam, quae non perditur, nisi errando pertinaciter.* Laudat pro hac opinione Layman. Laxior est doctrina P. Claudii La-Croix iniquitatis loc. cit. num. 94. *Probabilius videtur quod etiam in Germania sint haeretici tantum materiales. Inveniuntur enim aliqui ita simplices, vel praeventi doctrina suorum ministrorum, ut firmiter existiment se non debere dubitare de fide sua, simulque ita sincere procedunt in conscientia sua, ut si scirent fidem suam falsam, statim admitterent nostram. Tales autem non sunt haeretici formales, sed materiales tantum. Et tales esse multos testantur Confessarii plurimi in Germania, Auctoresque experientissimi; Tannerus Tom. III. dist. 1. quest. 7. n. 10. Terillus in Regul. mor. quest. lxiv. num. 51. Gobat. tract. VII. num. 621. Reiffenst. Tom. IV. dist. IV. quest. 11. Sporer Tom. II. cap. III. sect. II. §. 2. n. 14. Vindic. Gobatian. part. II. prop. III.*

XXIX. Si recensita doctrina consistat, actum conclamationumque est de vera Ecclesia, veraque religione. Hac doctrina posita, quis dicit qui in qualibet secta nequeat esse salvus? Haeretici in Germania sunt tantum materia-

les. Ecce? Quia ita sunt praeventi doctrina suorum ministrorum, ut firmiter existiment, se non debere dubitare de fide sua. Papae! Quo ergo obstinatioribus sunt haeretici, eo erunt magis materiales? Sed expendamus quae sequuntur verba: *Si scirent fidem suam esse falsam, statim admitterent nostram. Tales autem non sunt haeretici formales, sed materiales.* Ex omnibus qui religionem profitentur aliquam, vix unum, nisi stultissimum, reperitur iri existimo qui *si sciret fidem suam esse falsam, non admitteret nostram.* Omnes ergo haeretici communiter materiales erunt. Pastores omnes sive Lutherani, sive Calviniani, si scirent religionem suam esse falsam, quis dixerit non amplexuros fore nostram, falsa abiurata? Admissa doctrina P. La-Croix verum est quod subiicit, nempe *tales esse multos, immo fere omnes, nisi sint aut Aethei, aut penitus dementes.* Quod postea Confessarii plurimi in Germania, & Auctores experientissimi Tannerus, Terillus, Gobatus, Sporerius, Reiffenstuel, Caramuel alique factum istud testentur, mirum haud esse debet. Mirandum, nisi id docerent.

XXX. Huc malorum detrudit Probabilissimi doctrina. Nullam experiuntur dubitationem haeretici, nullum sentiunt conscientiae morsum: non advertunt propriam religionem esse falsam. Ergo non peccant: ergo haeretici materiales sunt. Haec sunt Probabilissimi axiomata. Et haec sunt necessaria consectaria: Ergo nullum in mundo peccatum obstinationis, nullum in mundo peccatum caecitatis, nullum ignorantiae peccatum. Qui enim sciunt, aut dubitant actionem esse pravam, non ignorantiae, sed malitiae crimen perpetrant. Si Arius, si Nestorius, si Lutherus, si Calvinus, si haeresiarum omnes scivissent suam doctrinam fuisse falsam, veram autem nostram: fuissent ne mente haeresiarum?

XXXI. Quod autem plures haeretici in Germania simplices sint, & sincere procedant in conscientia sua; quid inde? Plurimi Turcae, Indi, Iapones, Sineses sincere agunt, pluraque pietatis exercent officia. Fac etiam illos mortem pro Christi confessione oppetere. Haec omnia dona Dei sunt, inquit sanctus P. Augustinus laudato Lib. de patient. cap. xxviii. Sed dona quae dantur filiis concubinarum, secus ex iis donis quae dantur filiis uxoris, seu matris Ierusalem. Proinde sicut negandum non est etiam hoc esse donum Dei, ita intelligendum est alia esse Dei dona filiorum illius Ierusalem quae sursum libera

bera est mater nostræ Alia vero que possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Iudæi carnales, & schismatici, vel heretici comparantur. Missis itaque Casuistarum arbitrariis commentis sanctorum Patrum doctrinæ adherendum est. Hi quippe sunt magistri nostri, hi in salutis viæ duces a clementissimo Deo nobis donati. Iuniores Casuistæ sicuti Christianos fere per totam vitam a præcepto caritatis per se urgente, a præcepto fidei, a præcepto religionis eximunt; ita extra arcam per medium aquarum diluvium intra ignorantia invincibilis naviculam constitutos ad æternæ salutis portum conducunt. Oppositam opinionem non improbabilem modo, verum etiam omnium errorum, & potissimum Tolerantissimi, & Indifferentissimi scaturiginem existimo.

CAPUT XIV.

Consectaria, quæ suadent virtutis fidei exercitium, illudque dirigunt.

I. **C**onsectarium primum. Fidei catholice veritatem, sanctitatem, atque adeo eiusdem credibilitatem adversus tum incredulos, tum hæreticos brevi calamo propugnabimus. Regulas ad quas respicere Catholicæ debent, ut firmi stabilesque in eadem perseverent, palam fecimus. Pericula eiusdem amittendæ, humanæ mentis cavillationes, subtilitates, recentiorum quorundam Catholicorum inventa quæ fidei nostræ sinceritatem adulterant, splendorem obnubilant, veritatem involvunt, propulsavimus. Illud nunc est reliquum ut in hominum corda, nostra illabatur, & si fieri potest, irruat oratio, qua sublimis virtutis, ac principis perenne suadeamus exercitium. Splendet catholici viri in mente fidei lumen: sed oleum quod ignem hunc alit, & fovet, in cordis lampade ardere debet. Fides quippe vera, & perfecta lumen in mente, amor in corde est. Sol terræ vaporibus, atque exhalationibus obtenebratur; & fidei lux languet, hebetaturque, si corda humana pravitate cœno inquinata emittant vapores putidos qui fidei lucem tenebris obducant. Fidei ergo elementum voluntatis pia affectio est. Hæc, cælestis cum sit, terrenas illecebras respuit, mundique amorem socium non patitur. Pugnare enim mutuo, nec diu simul quiescere valent. Si amor Dei in anima dominatur, fulgida incedit virtutum princeps; contra si animi malitia inquinantur, confestim hebescere pri-

mum fides incipit. Deinceps quo mundi cupiditas adolescit, & carnalia oblectamenta cordis occupant principatum; eo fidei lux languet, deficit, ac tandem occidit. Virtus recta fidem non adoriuntur; sed a vitiis, cœna prima scaturagine, impietas, incredulitas, & hæreses originem trahunt. Quoniam contraria summo in gradu pugnantia simul consistere nequeunt. Pia voluntatis affectio, seu amor Dei, & mundi amor mutuo pugnant: ergo cum carnis lenocinia, sensuum illecebræ, terrenique affectus corda implent, atque in dies altius radices agunt; cælestium bonorum amor recedat, penitusque exulet necessum est.

II. Expergiscamur ergo, & pro eo quo ardemus zelo decus religionis nostræ adversus heterodoxos defendendi, operibus fidem nostram comprobemus. Virtutum splendor fidei obscuritatem illuminet. Si verborum apparatu, si eloquentiæ uberrima vi, si argumentationis efficacitate hæreticorum imentes in fidei obsequium subigere non valeamus, innocentia vitæ, virtutum, ac operum sanctitate illorum animos emollire, nostraque humilitate illorum supercilium devincere studemus. Rationem, saltem ab omnibus, hæc requirit supremus Iudex, quod ad veram fidem hæreticos non redaxerimus; sed in us severissime animadvertet, si nostris criminibus ansam illis dederimus ut in errore persistant. Audiamus Chrysostomum hæc scribentem: *Ennos sumus causa ut illi in errore permaneant. Iam pridem doctrinam suam damnassent, & nostram approbassent, nisi vita nostra retraherentur. Verbis philosophari perfacile: sed inquirunt operum probationem. Itaque horum nos penas dabimus, non solum eorum quæ ipsi commisimus, sed quorum actores fuimus, ut Dei nomen blasphemetur.*

III. Porro ut hæreticorum oculis fulgeat morum nostrorum candor, ut vitæ nostræ integritas illorum animos permoveat, altius hæreat mentibus nostris divinæ maiestatis præsentia: quoniam istius oblivio omnium malorum radix est. *Non est Deus in conspectu eius* (inquit Vates regius Psalm. ix.) *Quid hinc sequitur? Inquinata sunt viæ illius in omni tempore.* Hanc iniquitatem ut vitaret, quid peragebat David? Audi illum scribentem: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Deum credit fides nostra, illumque sua immensitate omnia replentem representat. Nulla creatura illius præsentiam fugere valet. Quid ergo prius, quid mon-

stro-

strofus excogitari potest quam illius oblivio, qui non modo memoriæ, sed cogitationibus nostris adest? Inquit Augustinus Lib. XIV. de Trinit. cap. xii. *Magna hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, proculdubio sine illo non est: & tamen si eum non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est.* Tunc enim fides mortua est, quoniam sine caritate est, quæ cœna anima illam vivificat. Corpus seiunctum ab anima cadaver evadit, & diu in domo denati non servatur, quod foetorem efflat: idcirco in sepulchro obtegitur. Si fides cadaver caritate destituta efficitur, e domo mentis tuæ abibit. Illius vestigia animæ tuæ impressa apparebunt, ut severiori tibi supplicio sint, & propria fidei confessione damneris. Minus esset malum non esse, quam malum fuisse Christianum. Opprobrium patitur religio, & Christus ipse ob Christianorum crimina confusione perfunditur.

IV. Diu mecum animo reputavi, cur fides nostra nobis ipsis, ut minus vilescat, minimo saltem habeatur in pretio. Id vero in causa esse existimo, quod doni excellentiam non meditemur, quod immensam misericordiam qua nos tanto Deus beneficio donavit, penitus ignoremus. Soporem ergo aliquantisper excute, christiane lector, recogita fidem tuam anulum pretiosissimum esse, quo anima tuæ sponsalia cum Deo obsignantur. Fides tua secretiora Dei arcana referat, tibi que communicat, quod ultimum est intimæ amicitie argumentum. Fides isthæc Christi sanguine parta, Martyrum cruore adulta, miraculorum virtute munita, Doctorum sapientia defensa, nullo unquam tempore occidit. Hoc excellentissimo dono te Deus sua sola bonitate motus ab infinita hominum multitudine segregavit. Mente percurrere tot mundi plagas, tot regiones, provincias, regna, imperia tenebris infidelitatis obducta. Recogita, te tot inter millia millium delectum esse in gentem sanctam, in regale sacerdotium, in sponsum Deificæ Trinitatis. Verum simul recordare regna, imperia, regionesque illas quæ nunc poenam infidelitatis, iramque divinam perferunt, olim, non secus ac tu, fidei lumine illustratas fuisse. Respice ad latera tuæ fidei itragem. Qui quondam fratres tui, Deique sibi nancupabantur, & erant; nunc hostes tui, divineque iræ filii, demonum præcones, religionis proditores evaserant: solo æquata sunt templa, diruta altaria, sacrificia antiquata; & scelus, flagitia, schisma-

ta, hæreses, impietas vexillum explicant, ubi olim sanctior dominabatur fides. Quid est quod Deus præ millibus fidei suæ anulo animam tuam obsignavit; quod ab universalis naufragio servatam in arca religionis suæ reposuit; quod tanta dilectione complexus eam est? Si ad hæc animum intenderes, an non paveres, an non contremisceres, ne eadem te mansura sit horrenda fors? Hanc fidei revolutionem, qua Deus nunc furorem suum in ipsa misericordie suæ vasa, nunc bonitatem in victimas vindictæ suæ exercet, dum recogitabat Paulus Apostolus, perterritus, ac tremebundus exclamabat: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Mentem ergo desige cum Paulo in tantum arcanum vere tremendum; & confestim, pulsa superbia tum ore, tum corde, humilitas, divinatorum iudiciorum timor, gratitudo erga Dei beneficentiam animum tuum erigent, fidem tuam fovebunt, & custodient.

V. *Consectarium secundum, fidei docende methodum dirigens.* Primum quod rudium fide imbuendorum menti inculcandum occurrit, est, mysteria divina credenda esse, quia Deus fallere, & falli nescius eadem revelavit. Deinceps addendum; Ecclesiam quæ Spiritu Dei illustrata infallibilis est, nos certos reddere, articulos credendos esse a Deo revelatos. Nomine ergo, & voce Ecclesiæ se loqui fidei arcana, testari animarum curator debet. In proponendis articulis hunc servabit ordinem. Deum remuneratorem, scelerumque vindicem præ ceteris exponet. Hunc articulum excipiet alter Trinitatis, & Incarnationis; cuius fides necessaria est. Si poenitentes deprehenderit horum laborare ignorantia mysteriorum, instruere eosdem debet, priusquam absolutionis impertiat beneficium. Idem præstare debet, si ignorantes in periculo mortis constituti reperiantur. Tunc vero sollicitus hand sit in defatiganda infirmi memoria, sed ad actus fidei repetendos excitare illum satagat.

VI. Eo autem studia sua animarum Pastor conferre debet, ut fideles instruat in repetendis frequenter fidei actibus: quia hoc exercitio adolescit, viresque recipit fides, & vividior evadit. Fieri autem vix potest fidem in corde vitam agere robustam, quin morum integritas respondeat. Deficiunt frequenter animarum Pastores, quod arcana fidei, quam speculatricem vocant, fuscæ, & tincte explicent; ea vero mandata quæ mundi renun-

renuntiationem, rerumque terrenarum contemptum; quæ inimicorum amorem, bonorum pro offensis receptis retributionem; quæ poenitentiam, carnis conflictationem, patientiam, adversitatum tolerantiam præcipiunt, silentio prætereunt. Harum quippe virtutum exercitia cor inflammant, fidemque ipsam splendidiorum, fortiorumque constituunt. Doceant Pastores gregem sibi commissum, ideo frontem signo crucis muniri, & sacro chrismate ungi, ut coram universo mundo, etiam cum vitæ dispendio, si opus fuerit, Christi fidem, & legem sincere, candide, atque invicta fronte consiteatur.

VII. Non sint faciles animarum Pastores in admittenda ignorantia invincibili sive inferiorum, sive mandatorum divinæ legis. Nam ignorantia isthæc quæ in rudibus Catholicis obtruditur, aut ex ipsius Parochi culpabili negligentia in docendo, aut ex ipsius subditi malitia, sive incuria in addiscendo, ortum ducit. Quare raro accidit ut inter Catholicos detur ignorantia Decalogi, articulo- rumque fidei præcipuorum, quæ culpæ expers omnino sit. Obviæ quippe sunt addiscendi ea quæ ad salutem sunt necessaria, occasiones.

VIII. Postremum, ut animarum moderatores vacillantes in fide confirmare valeant,

atque succumbendi fraudibus, & illusionibus inimici periculo Christianos sibi creditos subducere queant, non rationum momentis, non eloquentiæ apparatu illorum mentes aggrediantur; sed illis humilitatem suadeant, instruantque ut ad sinum se se recipiant divinæ misericordiæ: ibi preces fundant, propriam superbiam comprimant, atque sublimem mysteriorum maiestatem adorent. Si tentatio aliquod fidei arcanum valde obscurum in discrimen adducit, animumque de loco movere laboret, mentem alio dirigant, & captu faciliores articulos sibi proponant. Dei omnipotentiam, sapientiam, ac veracitatem intellectus contempletur, Deumque precetur ut adiuvet incredulitatem suam: & cum Apostolo ad Ephes. II. dicat: *Gratia estis salvati per fidem, & non ex verbis, Dei enim donum est. Tandem fides a te exigitur, & sincera vita; non altitudo intellectus, & profunditas mysteriorum:* de Imit. Christ. Lib. IV. cap. IV. Richardus a S. Victore sent. I. de Trinitate cap. II. *Domine, si error est quod credimus, a te decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

DISSERTATIO III.

DE SPE VIRTUTE THEOLOGICA.

PRÆLOQUIUM.

HÆc secunda theologica virtus, de qua breviter disputaturi sumus, in istius morientis in singula momenta humanæ vitæ fluctibus anchora firmissima est, cui, ne mergamur, inhærere debemus. Fides lumine suo menti nostræ bona infinita, mysteria altissima credenda repræsentat; spes animum erigit ut bona quæ fides credenda proposuit, reapse consequatur. Porro si fallaces, vanæque, & plane illudentes mundi spes tantum fortitudinis, torque ausus excitant in hominibus qui terrena appetunt bona, ut non marium tempestates, non hiemis frigora, non æstatis calorem, non latronum insidias, non denique obvia mortis pericula vereantur, quoties comparandarum fugacium mercium occasio offertur; quam ingentes nobis adiicere animos non debet spes illa divina quæ immensos, æternosque thesauros possidendos adpromittit? Hæc sane sola corda nostra tot præsentis vitæ molestiis, adversitatibus, angustis, morbis, innumerisque incommodis pressa solari, & recreare valet. Ad hanc spem viri sancti quasi a fluctibus humanarum vicissitudinum delati confugiunt, ut præsentem egestatem, famem, nuditatem, persecutiones, omniaque mundi pericula libenter invicta, hilari que animo perferre queant. Regius Propheta non modo exercitium cælestis fiduciæ nobis commendavit, sed vitam nostram in spe divina sitam asseruit Psal. IV. *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Quare non modo sperare, sed & super sperare nos vult in Dei promissis: In*

ver-

verbis tuis super speravi: Psal. CXVIII. Non modo spero, Domine; sed supra spero. Quid, quæso, prodit emphasis isthæc *super speravi*? Exprimit nobis quamdam divinæ fiduciæ ideam: urget nos ad dilanda theologica spei confinia: admonet nos ut non modo speremus, sed super speremus; scilicet ut speremus præter id quod lingua loquitur, quod mens remus, sed super speremus; scilicet ut speremus præter id quod lingua loquitur, quod mens remus, quod Doctores explicare valent. *Quia* (inquit Augustinus) *Deus potens est facere super id quod petimus, parum est sperare, sed debemus super sperare.* Hanc vero *super sperem* facile concipiemus in cordibus nostris, simul ac mens nostra recogitaverit cum Regio Propheta, Deum ipsum esse spem nostram. *Quoniam tu es, Domine, spes mea:* Psal. XC. Quid quod Deus noster *Deus spei* vocatur? Deus ergo sit spes nostra, quia ipse est nostra hereditas, salus, & vita nostra. Exulent a nobis mundanæ fiduciæ, ut sola impleat cor nostrum spes theologica. Sit spes nostra vera, & germana fidei nostræ soror, ut sicut hæc mentem tanto perfundit lumine, ut arcana videat altissima: ita illa tantam animi fortitudinem excitet, ut devictis hostibus, æternam coronam assequamur. *Dicit fides: Parata sunt magna, & inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur.* D. Bernardus serm. X. in Psal. XC. Quantumcumque ergo & gravia, & multa sint flagitia nostra, animum despondere minime debemus. Neque enim iniquitate nostra Dei clementia metienda est; neque meritis nostris spes nostra nititur; nec bonus definit esse Deus noster, quia nos mali sumus. Regula ergo spei nostræ sit immensitas divinæ bonitatis, firmitas divinæ omnipotentis, & cælestium auxiliorum abundantia. Illud tamen recogitandum, neque misericordiam, neque omnipotentiam in nobis sine nobis operari. Divinæ bonitatis consideratio viribus nos instruit, ne delictorum nostrorum recordatione in diffidentia, ac desperationis abyssum prolabamur; sed infirmitatis nostræ, ac criminum cogitatio timorem divinæ severitatis foveat, nutriatque in nobis oportet. Quippe ut scopulos præsumptionis, & desperationis declinet spes nostra, duabus veluti anchoris firmetur necesse est: illic nempe fortitudine, & quadam christiana audacia, qua hosti desperationem iniicienti resistat; isthic timore, animique demissione, qua fraudem præsumptionis repellat. De hac itaque theologica spe dissertationem brevem instituo. Ea tantum sub examen inducam quæ istius theologice virtutis naturam, effectusque manifestant: scholasticas, nimiumque a moribus imbuendis remotas quæstiones, quas maxima animi contentione agitare solent, prætermittam.

CAPUT I.

*Recensentur propositiones ab Ecclesia proscrip-
ta, quæ spem theologicam impetebant.*

I. Uvat de more præmittere errores ab Ecclesia in spei materia proscriptos. Quietistarum secta inter multa impia, ac turpissima theoremata quæ adversus castitatem, puritatemque excogitavit, spem theologicam ceu mercenariam, quod retributionem æternam expectat, reiecit. Istius sectæ princeps fuit Michael de Molinos, natione Hispanus, celeberrimus hypocrita, qui incessu, statu, habitu primorum sæculorum christianæ professionis sanctitatem prodebat. Splendebat in illius hilari fronte ingenuus animi candor, in inflexa cervice humilitas, in promissa barba gravitas, in vultu pallore poenitentis severitas, in totius corporis moderatione consummata prudentia, veraque sanctitatis imago. Verum sub tot fucis, ac lenociniis latebat salacissimus Epicurus, qui sanctitatis comædiam præferbat, ut effreni, ac impotenti libidini habenas impune, ac liberius laxare, atque selectiora

virginitatis lilia violare impurissimus Silenus valeret. Primum suæ doctrinæ cardinem posuit propriam annihilationem, qua media in Deo anima veluti in suo centro quiescat, nihil sollicita de his quæ corpori obveniunt. Hinc inferebat, nullum animæ actum præmio, vel poena dignum esse, quod annihilatis animæ potentiis, nulla esset cooperatio. Hoc principio posito, veluti referato lutulentissimo fonte, fractisque aggeribus omnibus, lasciviarum, libidinumque puditissimi fluctus quaquaversum erumpebant. Captus fuit impius hæresiarcha anno 1687. in Templo S. Mariæ super Minervam, ac de pegmate erecto palinodiam suorum errorum canere coactus, ad perpetuos carceres damnatus obiit Romæ anno 1692. Fertur, illum poenitentiam serio egisse annum sexagesimum ætatis agentem. Illius opera flammis addicta fuere iussu Innocentii XI. qui sexaginta & octo propositiones ex libris eiusdem Molinos decerpit. Missis iis quæ præter institutum nostrum sunt, eas illuc transcribemus quæ communi de spe theologica doctrinæ adversantur.

II.

II. In Bulla itaque *Celestis Pastor* sequentes propositiones anathemate confixit Pontifex summus.

12. „ Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso, nec desiderium debet habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cuius spem purgare debet.

13. „ Resignato Deo libero arbitrio, eodem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. „ Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio; cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii, *Petite, & accipietis*, non est dictum pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo huiusmodi animæ eo perveniunt ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. „ Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. „ Non convenit indulgentias querere pro pœnis propriis peccatis debitæ: quia melius est divinæ iustitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam querere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato; nec est *res Deo grata, nec meritoria*, quia est velle crucem fugere. „ Plures alias hinc fluentes propositiones eiusdem Molinos misfas facio.

III. Innocentius Papa XII. anno 1699. viginti tres propositiones decerptas ex libro cui titulus: *Explication des maximes des Saints sur la vie interieure par Monsieur Francois de Salignac Fenelon Archeveque Duc de Cambray* &c. proscripsit. Ex pluribus paucas isthuc transcribo.

1. „ Datur status habitualis amoris Dei, qui est caritas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationis habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando invenientiam.

2. „ In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.

4. „ In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis occasionibus in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

6. „ In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolimus amplius salutem ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, & quam nos vult svelle propter ipsum.

7. „ Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam IESUS CHRISTUS a nobis in Evangelio requirit, postquam omnia externa reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium . . . extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

11. „ In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed numquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus directis, & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. „ Director tunc potest huic animæ permittere ut simpliciter acquiescat iacturæ sui proprii interesse, & iustæ condemnationis quam a Deo sibi indictam credit.

19. „ Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

20. „ In consistendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & deliderare remissionem peccatorum suorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

IV. Duo sunt propositionum quas recensuimus, erronea principia, ita coniuncta, ut unum alterum consequatur. Primum est, cui

cui falsa, & commentitia divini amoris idea superstruitur. Contendebant siquidem damnatarum propositionum Auctores, desiderium felicitatis nostræ, ac æternæ mercedis expectationem puritati, & perfectioni amoris divini officere. Eam puritatem huic amori asserbant, ut quemcumque respectum ad nostram felicitatem excluderent, tamquam labem præfatam amorem inquinantem. Hinc inferebant (quod est alterum principium) statum illum animæ indifferentis tum ad æterna supplicia, tum ad felicitatem beatam. Quæ duo fundamenta ordinem pervertunt divinæ providentiæ, animam truncam efficiunt, ac insensibilem statuant: de medio industriam, vigilantiam, bona opera, merita hominis, denique naturam tollunt.

V. Porro quam universæ Scripturarum doctrinæ, Patrum, & Theologorum omnium sensui contraria sint erronea, quæ descripsimus, principia, cuique facile constare potest. Nam Deus ipse Matth. vi. iubet: *Querite primum regnum Dei*. Regnum istud amore queritur, amore invenitur, amore possidetur. Si amor iste imperfectionis cuiusdam labe fordesceret, numquid primum nos illud querere Servator noster præciperet? Quid quod vix umquam Deus sui amorem nobis præcipit quin nostram felicitatem simul non recorderetur? Animum intende in illud primum, maximumque mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: Matth. xxii. Non Deum absolute diligere iuberis, sed Deum tuum. Si tuus est, ergo spem quoque illum possidendi te habere oportet. Si Deus ipse nostrum se constituit, si est regnum nostrum, corona nostra, merces nostra, felicitas, gaudium, & letitia nostra; imperfectus ne erit amor noster, si Deum possidere desideret, si hoc regnum, si hanc coronam, & mercedem anhelat? Quid quod Christus Dominus orationem nobis composuit, qua nos condocescit petere quotidie regnum Dei: *Adveniat regnum tuum*? Numquid magnæ, sanctæque animæ hanc precem, tamquam propriæ perfectioni minus congruam, negligere debent? Quid denique quod sanctæ sublimisque animæ quæ in cælo regnare scimus, hoc æternæ felicitatis desiderio, hoc obtinendæ beatitudinis amore summopere ardebant? Sanctus Propheta David Psalm. lxxii. *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Item Psalm. xxvi. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini*

omnibus diebus vitæ meæ. Psalm. xli. *Quem admodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Psalm. cxviii. *Inclina cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*. D. Paulus Apostolus continenter anhelabat iustitiæ coronam, bravium tenere, atque æternam civitatem assequi: *Non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus*. Hebræor. xiii.

VI. Pauca ex S. Augustino proferamus, qui perfectam amoris divini imaginem præ ceteris vividioribus depingit coloribus. Porro tract. ix. in epist. Ioan. ad illa verba, *In hoc perfecta est dilectio in nobis, ut fiduciam habeamus in die iudicii*, plura habet hoc de argumento. *Nescio utrum magnificentiùs nobis caritas commendari possit, quam ut diceretur, Deus caritas est . . . Nam si Deus caritas est, nec proficit, nec deficit Deus. Sic dicitur proficere in te caritas, quia tu in ea proficis . . . In hoc perfecta est in nobis dilectio. Quære in quo? Ut fiduciam habeamus in die iudicii. Quisquis fiduciam habet in die iudicii, perfecta est in illo caritas. Quid est habere fiduciam in die iudicii? Non timere ne veniat dies iudicii. Sunt homines qui non credunt diem iudicii. Isti fiduciam non possunt habere in die quem venturum esse non credunt. Præmittamus istos: excitet illos Deus, ut vivant . . . Cæpit quis credere diem iudicii: si cæpit credere, cæpit & timere; sed quia timet, adhuc nondum habet fiduciam in die iudicii, nondum est in illo perfecta caritas. Tandem post medium commentarium istius tractatus declarat S. Doctor, se desiderio flagrare alloquendi animam perfectæ caritatis igne estuantem. Eam vero hac ardere caritate scribit quæ regnum æternum anhelat, & suspirat. *Alloquamur & illam quæ habet iam timorem castum permanentem in sæculum sæculi. Putamus inveniemus illam, ut alloquamur illam? Putas est in hoc populo? Putas est ex hac exedra . . . Sed ubicumque est illa anima, utinam illam invenirem, & non aures suas præberet mihi, sed ego meas aures illi. Illa me doceret aliquid potius quam a me disceret. Anima quadam sancta, ignea, & desiderans regnum Dei, hanc non ego alloquor, sed Deus ipse, & patienter viventem in hac terra ita consolatur. Iam vis veniam, & ego novi quoniam vis ut veniam: novi qualis es, ut secunda expectes adventum meum. Novi quia molestia est tibi; sed magis expecta, tolera: venio, & cito**

cito venio. Sed amanti tardum est: Audi eam cantantem tamquam lilium de medio spirarum: audi suspirantem, & dicentem: Psal- lam, & intelligam, in via immaculata, quando venies ad me?

VII. Hinc perspicue patet caritatis divi- ne perfectioni haudquaquam obesse castum, ac fervens desiderium eterne beatitudinis. Quare caute legendi sunt non pauci Schola- stici, qui præposteram divini amoris notio- nem formantes existimarunt, tunc perfectam dumtaxat esse caritatem quando expectandæ mercedis spem excluderet. His Scholastico- rum quorundam principiis occupatus S. Fran- ciscus Salesius *Lib. II. de amor. Dei cap. xvii.* tamen fatetur, Deum esse summum bonum nostrum, nostramque felicitatem, quietem esse, atque in eiusdem possessione sitam nostram beatitatem; subdit tamen, quod amor quo Deum sub hac consideratio- ne diligimus, non sit *supremus, & perfe- ctus*. Omnia nostra, & nos ipsos in Deum tamquam in ultimum finem nostrum diri- gere debemus: illum propter suam infinitam bonitatem, & immensa attributa diligere debemus; sed respectum Dei ad nos ab eo- dem perficiendos, & beandos, atque castissi- mum desiderium quo anhelamus illius am- plexus, & intimam perpetuamque coniun- ctionem, excludere minime valemus. Quin ipsa Dei natura infinitam sibi habet hanc sui communicationem; sicut ipsius animæ ratio- nalis ea natura est ut appetat gratia cælesti adiuta Deo coniungi, & ab eodem perfici. Verum de hoc infra.

C A P U T II.

Spei notio, obiectum, subiectum, præceptum, & tempus quo urget obligatio.

I. P R I U S Q U A M spei theologicæ ideam ex- pono, lubet quadam de spe gene- ratim accepta præfari. In hac autem ampla consideratione spes est *motus efficax appeti- tus boni absentis, ardui, possibilis*. Motus hic, seu affectio, si appetitus sensitivi par- tus sit, passio nuncupatur, eo quod non habetur sine corporis mutatione, seu impres- sione aliqua; si appetitum rationalem con- sequitur, induit virtutis formam. Spes utro- que modo accepta in appetitu irascibili resi- det; eam tamen præcedunt affectiones appetitus concupiscibilis. Spei passione etiam bruta aguntur. Imaginativa illis bonum re- præsentat, puta talem cibum ut sapidum, illisque convenientem. Hinc quadam assur-

git complacentia quæ desiderium excitat. Eiusmodi affectiones fetus sunt appetitus concupiscibilis, qui ut bona sibi convenien- tia assequatur, irascibilem movet, spemque excitat, quæ desiderium firmat, & obstacula aggreditur quæ boni concupiti assecutionem remorantur. Hæc omnia brutis, & homi- nibus communia sunt.

II. Porro spes *motus efficax* dicitur, ut a simplici, languidaque volitione distinguatur. Additur *boni*, quia obiectum spei bonum est. Hoc autem absens sit oportet: nec enim spes est boni præsentis, & possessi: idcirco ponitur *absentis*. Requiritur quod bonum hoc arduum sit, ut spes distinguatur a desiderio, cuius non est vincere difficultates quæ bonum impediunt: officium istud spei est. Iure ergo adiicitur particula *ardui*. Tandem additur *possibilis*: quia, ut quis concupiscere valeat, necesse est ut bonum quod sperat, apprehendat ut sibi possibile, seu, ut verius loquar, ut futurum. Nec enim satis est ad spem veram mera possibilitas ab- soluta, quæ in quadam non repugnantia rei sperandæ sita sit; sed qui sperat, apprehen- dere debet bonum ut sibi possibile, seu quod consequi re ipsa valeat. Bonum autem conse- quendum futurum, nedum possibile, est. Hæc conditio adeo necessaria est, ut nemo sperare valeat, quin nec amare amore effi- caci bonum, quantumvis absolute possibile; nisi ab illo qui sperare debet, percipiatur bo- num illud & ut sibi congruum, convenienti- que, & ut consequendum, possidendum- que. Quæ sola conditio ostendit, quam vana sit illa opinio quæ contendit, spem actua- lem habere posse illum cui a Deo revelata esset eiusdem æterna damnatio, ob possibili- tatem absolutam salutis, quæ in data hypothesi esset possibilitas, rei futuritionem excludens; quin respectu talis, reduplicata hypothesi, non esset vera possibilitas. Quare opinio præfata vocum significatione abutitur. Sed hæc nihil ad nos. Explicata spei doctrina tota est S. Thomæ 1. 2. quæst. xl. art. 1. *Spei quatuor conditiones attenduntur. Pri- mo quidem quod sit bonum. . . . Secundo ut sit futurum: non enim spes est de præsen- ti iam habito. . . . Tertio requiritur quod sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile. . . . Quarto quod illud arduum sit possibile ad- ipisci.*

III. Præmissa quadam idea universali ip- sius spei, eiusdem nunc, quatenus virtus theologica est, finitionem exhibeamus oportet. Definatur autem hoc modo: *Spes vir- tus*

tus supernaturalis est, qua voluntas humana sperat æternam beatitudinem Dei auxilio ob- tinendam. Appellatur *virtus*, sive sit in pec- catoribus destituta caritate, & idcirco *infor- mis*; sive in iustis caritate formata: quia veris fulget virtutis characteribus, quorum præcipuus est ratio actus boni: qua de causâ dici solet, quod virtus bonum facit habentem illam. Quam porro bonus sit actus spei, ex se patet, cum ad consecutionem beatitudinis æternæ inclinet, & inducat, illamque firmiter expectet. Actus autem iste bonus est. *Inclinavi* (inquit David Psalm. cxviii.) *cor meum ad faciendas iustificatio- nes tuas in æternum propter retributionem, nempe beatitudinem æternam.* At ludere- mus operam, si in hoc diutius immoraremur. Consule S. Thom. 2. 2. quæst. xvii. art. 1. & 5. ubi evincit, spem virtutem esse theo- logicam. Virtus est *supernaturalis*, quia vel accipitur spes isthæc pro *habitu*, & sic a Deo infunditur; vel pro actu, & hic virtute gratiæ divini elicitur. Sequentes particule *qua volun- tas humana sperat æternam beatitudinem*, spem ab aliis theologicis virtutibus distinguunt. Proprium liquidem spei est Deum attingere, prout est beatitudo nostra æterna. Deum quip- pe spectat immediate, quia virtus theologica est; sub ratione vero felicitatis eterne Deum respicit, prout est peculiaris virtus. *Dei auxilio obtinendam.* Hæc ultimæ particule de- clarant, nos viribus nostris haud posse æternam assequi beatitudinem. Sicut enim habi- tus spei donum est supernaturale a Deo in baptismate infusum; sic exercitium talis habi- tus supernaturale est: ideo actus quibus expectatur, & speratur beatitudinis consecutio, vi auxiliorum Dei elici debent, ut hac via præmium æternum nec solis nostris viri- bus, nec soli divinæ gratiæ, sed humanæ voluntati gratia divina elevatæ, & adiutæ, tamquam corona & merces respondeat.

IV. Quæst. I. *Quodnam sit obiectum spei?* Resp. Spei, sicut cuiusque virtutis, duplex est obiectum. Materiale unum, formale alterum. Obiectum materiale primarium spei est Deus possidendus, seu, ut inquit Ange- licus 2. 2. quæst. xvii. art. ii. *est vita æter- na, quæ in fruitione ipsius Dei consistit.* Ob- iectum formale est iridem Deus ipse ut om- nipotens, seu omnipotentia auxiliatrix. Obiectum secundarium sunt auxilia divina, bona opera gratiarum vi parata: item bona temporalia, secundum quod illorum bonus per gratiam usus ad salutem æternam viam sternit. Fundamenta itaque potissima spei

nostræ sunt Dei omnipotentia, ipsius mise- ricordia infinita, & merita immensa Chri- sti Domini, quorum virtute omnia a Deo assequi confidimus. Frequenter ergo repe- tendum ex imo cordis nostri. *Ego autem in misericordia tua speravi: Psal. xii. Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum: Psal. xvii. Illudque ob oculos habendum: Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis: Genes. xv. Macte igitur animo in spem vitæ æternæ, quam promissit qui non mentitur Deus: ad Tit. i.*

V. Quæst. II. *Est ne spes virtus a cari- tate distincta?* Resp. Spem esse a caritate distinctam, docet Apostolus Paulus I. ad Corinth. xiii. *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; maior autem horum est caritas.* Idque patet ex definitionibus variis istarum virtutum. Nam fides Deum sub ratione veri revelati; spes sub ratione boni ardui futuri, & a nobis virtute auxi- liantis omnipotentis obtinendi; & caritas sub ratione boni absolute dilecti prosequi- tur. Sed D. Thomam audiamus, qui perspi- cue more suo harum virtutum distinctionem explicat 2. 2. quæst. xvii. art. 6. *Caritas ergo facit hominem Deo inherere propter seip- sum, mentem hominis uniens Deo per affe- ctum amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem inherere Deo, sicut eisdem princi- pio ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo fa- cit hominem Deo adherere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem: cre- dimus enim vera esse quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adherere, prout est in nobis principium bonitatis, in quantum sci- licet per spem divino auxilio imititur ad beatitudinem obtinendam.*

VI. Quæst. III. *Est ne in beatis, damna- tis, & hæreticis spes christiana?* Resp. Com- munis, & vera sententia est negativa. Et pri- mo quod in beatis spes theologica non repe- riatur, res clara est; quamvis Suarez oppo- situm doceat. Deest enim in patria obiectum spei, quod est bonum arduum, futu- rumque. Quoniam licet futuritio non sit ratio formalis obiectiva spei, est tamen con- ditio ita necessaria, ut sine ipsa spes non consistat, sicut sine obscuritate fides non reperitur. Porro felicitas, seu beatitudo non modo futura non est beatis, & absens, sed est ab illis possessa, atque adeo intime eisdem præsens. Hinc est quod Apostolus Rom. viii. scribit: *Quod videt quis, quid spe-*

sperat? & I. Corinth. XIII. solam caritatem in patria perseverare docet. Actus quibus beati proprii corporis gloriam expectant, non sunt actus spei, ut docet Angelicus 2. 2. quæst. XVII. art. 2. ad 4. *Cum spes sit virtus theologica habens Deum pro obiecto, principale obiectum spei est gloria animæ, quæ in fruitione divinæ consistit, non autem gloria corporis.* Actus quoque quibus aliis sperant beatitudinem, non sunt habitus spei, sed caritatis, inquit ibidem Angelicus ad 3. *Sed evacuata spe in beatis, secundum quam sperabant sibi beatitudinem, sperant quidem aliis beatitudinem, sed non virtute spei, sed magis ex amore caritatis.*

VII. Quod in damnatis non sit spes, veritas est certa apud omnes Catholicos. Certi quippe damnati sunt de sua æterna pœna, atque adeo beatitudinem neque ut possibilem, neque ut futuram concipere valent. In hæreticis non reperiri fidem divinam, & theologiam, supra ostensum est: ergo nulla reperitur in eisdem spes. Fides quippe fundamentum spei est, quo submoto corruat spes, cui superstruitur, oportet.

VIII. Quæst. IV. *Est ne in solis Catholicis, & animabus purgatorii spes theologica?* Resp. affirmant omnes Theologi. Quippe soli Catholici habent veram fidem, quæ substantia sperandarum rerum est. Nec obest quod Catholicis peccatores sint: quia peccatum non impedit quominus Catholicus peccator valeat concipere æternam salutem vi auxilii divini possibilem, & futuram. Verum quidem est peccatorum sordes non secus spem ac fidem magnopere extenuare, viamque sternere ad earundem iacturam. Diabolus enim primum, ut homines ad peccandum alliciat, peccatorum servos detineat, sub illudentis spei larva præsumptionem fovet, & nutrit; at prævalente iniquitate, lassos in scelerum via ad desperandum illos inducit. Eo ergo firmior erit spes, quo erit animus a peccatis immunior. Tandem in animabus purgatorii spem reperiri certum est. Securitas quippe obtinendæ beatitudinis non impedit exercitium spei: eo quod adhuc beatitudo illa absens est, & futura, & ardua est; cum solum post severam, atrocemque expiationem, ac solutionem pœnarum obtineri debeat.

IX. Quæst. V. *In qua hominis facultate habitus spei residet?* Resp. In voluntate, cuius est bona futura cupere, & expectare: & quia bonum quod ipse expectat, arduum est, ideo voluntas hæc est, ut aiunt, æquivalen-

ter irascibilis, cuius est ardua aggredi. Quare subiectum proprium spei est voluntas, prout irascibilis, ut obstacula, & impedimenta fortis ausu devincat.

X. Quæst. VI. *Datur ne spei præceptum?* Resp. In primis certum est, spei theologice actum, sicut & fidei, necessarium esse necessitate mediæ ad iustificationem, ut Tridentina Synodus declarat sess. vi. cap. vi. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. . . . Et dum peccatores se esse intelligentes, a divina iustitia timore, quo utiliter concutuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.*

XI. Non modo eliciendi sunt spei actus ad donum iustificationis virtute meritorum Christi assequendum; verum etiam urget præceptum divinum peculiare, quod spei actus absolute, dato tempore, iubet, imperatque. Opinio contraria proscripta est ab Alexandro VII. in hac propositione: *Homo nullo unquam vite suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.* Datur igitur verum, & peculiare spei præceptum. Ergo quandoque ad id quod præcipit, obstringit: alioqui non præceptum, sed consilium foret. Nullum siquidem reperire præceptum licet quod aliquando necessarium non obliget.

XII. Quæst. VII. *Quo tempore urget huius mandati observatio?* Resp. Præcepta affirmantia licet semper, non tamen *pro semper* obligant, sed dato tempore. Itaque quamquam Christiani fide divina quæ bona æterna possidenda repræsentat, illustrati continenter antehære felicitatem, ac veluti peregrini, & exules a patria conatus, astusque suos in civitatem sanctam Ierusalem collineare, illuc adspirare, illamque expectare, & cupere sine intermissione deberent, ut dicitur Osæ XII. *Spera in Deo tuo semper: nihilo tamen secius hanc continuam actuum spei repetitionem præceptum non iubet.* Connitendum utique nobis est ut Christo semper hæreat anima nostra, illum credat, speret, ametque. At quia iugum suave est, hi continui actus liberæ sunt perfectionis, non legis devincientis.

XIII. Quonam autem præciso tempore urget spei præceptum, non una est Theologorum sententia. Communis, & vera ea est quæ sub primo rationis splendens diluculo præceptum spei *per se* omnes obligare docet. Hoc quippe tempore omnes Deum ut supremum

Do-

Dominum recognoscere, illum amare, illi animorum hostias litare, illumque tamquam hereditatem possidendam cupere, & sperare debent. Nonne tunc Deus tamquam ultimus finis colendus est? Illuc ergo desideria nostra, illuc spes nostræ, seu lineæ ad centrum, acri animo tendant necessarium est. Hæc est communis sententia, quam cum D. Thoma 2. 2. quæst. XXII. art. 1. docent Theologi graves. Sanchez *Lib. II. in Decalog. cap. XXXIII. num. 2. & 3.* cum aliis conrendit, præceptum istud tunc non obligare *per se*, sed per accidens. Immo ex loco laudato colligitur iuxta hunc Auctorem, nullum esse tempus quo præceptum istud *per se* obliget. Quod quam distet a propositione proscripta, quisque perspiciere valet. Clarius id docet Castropalaus *tract. v. punct. 4. Tom. I. n. 4.* his verbis. *Restat ergo ut dicamus, nullum esse tempus determinatum in quo huiusmodi præceptum obliget; sed prudentis arbitrio mensurandum esse, nec permittendum longo tempore differri.* Hæc opinio adversatur, ut ego quidem arbitror, & communi Theologorum sensui, & veritati.

Quoniam si præceptum divinum est, designatum tempus habet quo onus observantiae imponit. Commentitium præceptum foret illud quod nullo designato tempore obstringeret. Falsa ergo est opinio isthæc, quæ divinum mandatum cuiusque prudentis arbitrio subicit. Fatemur & nos, tempus istud non designari aperte in Scripturis: idcirco dicimus communi inharendum sensui Theologorum, qui hoc præceptum urgere decernunt, dum primo affulget rationis lux: & postea frequenter repeti spei actus debent. Prudentiæ leges docent seniorum consilium auscultandum esse, antiquorumque vias calcandas. Prudentes igitur omnes veterum Theologorum sententiam amplecti debent. In hoc laudandus P. Castropalaus, quod exercitium spei longo tempore differendum non esse doceat.

XIV. Quæst. VIII. *Obligat ne hoc præceptum, quoties gravis tentatio animum pulsatur contra spem?* Resp. Affirmat communis sententia, cui subscribo. Gravis tentatio contra spem animum ad desperandum inducit. Remedium suapte natura efficax ad hoc evitandum malum est spes directe desperationi opposita. Ergo urgente desperationis gravi periculo, actus spei, quo periculum istud declinetur, necessarius est.

XV. Quemadmodum sub vitæ rationalis initium, sic instante eiusdem vitæ termino *per se* obligat mandatum hoc. Dum ergo infirmitas ingravescit, mortemque minatur, tunc

Conc. Theol. Tom. I.

per se spei præceptum obligat. Communis quoque sententia docet, Christianos singulis annis ut minus semel teneri ad actum spei. Vide quæ diximus *Dissert. I. cap. x. de fide g. VIII.*

XVI. *Per accidens* obligat præceptum istud, primo cum poenitentia peragenda est: neque enim quis vere conteri de peccatis suis valet, nisi remittenda sibi a divina misericordia peccata sua confidat. Secundo cum actus spei opportunus, ac necessarius iudicatur ad vincendas tentationes carnis, iræ, cupiditatis, aliarumque rerum, tunc præceptum *per accidens* obligat. Tertio quando urget præcepta dilectionis Dei, & orationis, quæ impleri nequeunt absque divinæ gloriæ confidentia. Et ideo tanta est inter eiusmodi præcepta coniunctio, ut cum unum impletur, alterum quoque observetur.

XVII. Quæst. IX. *Quodnam discrimen est inter obligationem per se, & per accidens?* Resp. Magnum discrimen est. Nam quando præceptum obligat *per se*, illius ommissio peccatum peculiare est: quod necessario manifestandum in confessione est. Quando autem præceptum obligat *per accidens*, ommissio illius non constituit peccatum distinctum ab eo ad quod requiritur. Quapropter qui poenitendi mandatum violat, peccat contra virtutem poenitentis; secus contra virtutem spei. Hæc omnia communia sunt penes Theologos.

XVIII. Quæst. X. *Quam certitudinem seculum affert spes theologica?* Resp. Si spes christiana consideretur, quatenus divinæ omnipotentis, quæ auxilia confert, innititur, firma, & certa est: quam propterea *anchoram animæ tutam, & firmam* Hebr. vi. vocat Apostolus Paulus. Firma quoque est, & secunda ob certitudinem, & immutabilitatem gloriæ quæ speratur. Verum prout humane voluntati, eam timor comitatur. Quapropter erigere animos, ut firmiter sperent, debemus, divinam spectantes misericordiam, quæ non confundit sperantes in se; at nostræ conscientie infirmitatis timendum nobis est ne ob latentem aliquam in sinu cordis nostri maculam indigni misericordiam simus. Hinc est quod Scripturæ sanctæ clamant: *Qui stat, videat ne cadat: atque cum timore & tremore salutem nostram peragere nos admonent.* Optime Gregorius Magnus *Lib. XXIX. Moral. cap. ix.* scribit: *Debet profecto non solum in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione; ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.*

L

CA-

CAPUT III.

De dono timoris.

I. Timor varie usurpatur. Primo pro affectione, seu passione appetitus accipitur. Hoc modo refugit ex instinctu naturæ malum, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. xlii. Secundo timor sumitur pro vitio fortitudini opposito, vocaturque pavor seu vilis timiditas, quæ contra rectam rationem malum fugit. Postremo timor accipitur pro dono Spiritus sancti, quo animus cohibetur ne in vitium labatur præsumptionis.

II. Antequam doni timoris notionem, & characteres profero, nonnulla præfari lubet de ipso timore latius considerato. Porro in amplo hoc significatu timor finiri hoc pacto solet: Timor est fuga mali ardui futuri, quod non potest facile vitari. D. Thomas 1. 2. quæst. xlii. art. 3. Dicitur fuga mali ardui, quod parva mala timorem non incutiant: & additur futuri, nempe proxime imminentis. Quod non potest facile vitari. Nam si malum quod imminet, facile declinari possit, iniicere minime valet viro forti timorem. Ut finitionem clarius teneas, timor duplex spectat obiectum, nempe ipsum malum quod refugit, & causam quæ malum minatur, estque insigere parata: quemadmodum spes duplex iridem respicit obiectum, videlicet bonum arduum quod assequi confidit, & auxilium, vi cuius illud re assequatur.

III. Hinc sequitur quod D. Thomas docet 2. 2. quæst. xix. art. 1. videlicet Deum obiectum esse timoris, non quatenus bonus est, sed ut insigere malum potest. Quare non solum malum poenæ, sed etiam ipse Deus qui poenam imponere valet, a timore inspicitur. Quapropter timor a tristitia differt, quod hæc de malo præfenti absolute spectato dolet, ille vero inspicit malum futurum ut a causa superiori insigendum. Si enim causa inferior sit, malum inferre ut plurimum nequit. Hac ratione peccatum non est timoris obiectum, quod facile vitari possit, utpote nostræ subiectum voluntati. Accedit quod malum quod timor refugit, terribile est, ut ait Angelicus 2. 2. quæst. cxi. art. 2. Quod autem terribile est, a causa superiori proficiscitur. Causa autem peccati intra nos est, quam pro arbitrio impedire possumus.

IV. Celebris partitio est timoris in filialem, initialem, servilem, & mundanum. Divisionis hanc D. Thomas prodit rationem. Si homo a Deo propter malum quod timet, re-

cedit, mundanus timor appellatur: quippe tum magis mundus quam Deus diligitur. Ideo enim quis a Deo recedit, eiusque mandata infringit, ne malum, videlicet temporalium bonorum iacturam, subeat. Quis ergo inficias iverit, plus bona hæc terrena tunc diligi quam divina? Si homo ad Deum convertitur formidine poenæ sibi infligendæ, servilis timor dicitur. Postremo si ad Deum accedimus culpæ horrore perciti, & divinæ maiestatis reverentia excitati, filialis timor nuncupatur. Filiorum siquidem est patris offensam perhorrescere, eamque ob hanc rationem cavere. Mosaica lex timore, veluti primario cardine, vertebatur: lex quippe servitutis erat. Contra lex evangelica amoris ac dilectionis foedus est, ut scribit Apostolus Rom. viii. Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). Denique si ob utrumque malum, culpæ scilicet, & poenæ, Deo iungimur, timor est initialis, qui medium locum servilem inter & filialem tenet. Incipientium enim, seu imperfectorum proprium est, viamque aperit, & parat ad filialem, qui perfectis in sanctitate animabus convenit.

V. Plura hic discutere Scholastici solent: sint ne timores isti specie diversi, & qua ratione timor initialis malum culpæ respiciat, si culpa, utpote a libero pendens arbitrio, non sit obiectum timoris filialis? Quæ omnia nos paucis verbis perstringimus, & explicamus. Timor initialis, & filialis specie non differunt, sed solum tamquam imperfectum, & perfectum distinguuntur. Timor filialis non timet culpam ut poenam, sicut timor servilis; sed eam timet prout inducit separationem a Deo amato. Neque hanc separationem ut poenam spectat; sed precise ut seiungit ab amato amantem, inquit D. Thomas in III. dist. xxxiv. quæst. ii. art. 3. quæstiunc. 1. ad 2. Timor castus non timet separationem, in quantum est poena, sed in quantum est elongatio ab amato. Clarius rem hanc explicat 2. 2. quæst. xix. art. 5. ad 2. ubi distinctionem servilis timoris a filiali specificam constituit ex diversa habitudine ad Deum. De timore vero initiali, & filiali hæc scribit art. 9. Timor initialis hoc modo se habet ad filialem sicut caritas imperfecta ad perfectam.

VI. Quæst. I. Timor mundanus prodit ne honestatem quampiam? Resp. Timor iste turpis est. Arbor enim mala bonos edere fructus nequit. Radix timoris mundani amor mundi est.

est. Amor mundi mundonitur ceu fini ultimo. Ergo malus est, sicut & timor ab eodem proficiscens. Timor mundanus (inquit D. Thom. loc. cit. art. 3.) est qui procedit ab amore mundano, tamquam a mala radice, & propter hoc ipse timor mundanus semper est malus.

VII. Quæst. II. Honestus ne est timor servilis? Resp. Definitum ab Ecclesia est, bonum, honestumque esse timorem servilem. Concilium Tridentinum sess. vi. can. viii. hæc decernit: Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse; anathema sit. Filius rem hanc explicat sess. xiv. cap. iv. Illam vero contritionem imperfectam que attritio dicitur, quoniam vel ex turpidinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Hanc doctrinam his ultimis temporibus labefactare ausi sunt nonnulli Transalpini, quorum unam supra riginta propositiones anathemate confixit Alexander VIII. quarum quartadecima hæc est: Timor gehennæ non est supernaturalis. Quintadecima vero hæc est: Attritio que gehennæ, & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

VIII. Innumeras movere difficultates Theologi solent contra hunc timorem servilem, quas nos alibi discutimus, iis tamen neglectis quæ nullius sunt momenti. In præfens notionem claram, quoad fieri potest, servilis timoris exhibeo. Timor ergo servilis horret culpam formidine poenæ. Id duobus contingere modis valet. Si quis horret culpam, & ab eadem abstinet ob poenam tantum, ita ut affectum reipsa conditionatum habeat perpetrandi culpam, poena sublata; hic timor mundanus est, suo genere turpis, & malus, ut ostensum est. Qui culpam detestatur horrore poenæ absque ullo alio respectu; ita ut hanc poenam spectet ut finem proximum suapte natura referibilem in finem ultimum; quem tamen finem ultimum homo timens nec positive includit in suo timoris actu, neque excludit, sed præscindit, & poenam respicit ut obiectum immediatum præcisè & absolute consideratum: qui, inquam, sic timet, ti-

morem habet servilem; & hic bonus est. Ulterius duplicem distinguunt servilitatem: alteram subiectivam vocant, alteram obiectivam. Prima reperitur in eo qui peccati mortalis labe inquinatus est. Hæc vero non pertinet ab substantiam timoris servilis, neque eidem speciem dat. Altera vero specificat actum timoris, quia respicit malum poenæ ut obiectum. Servilitas tunc mala est quando culpam horret ob timorem poenæ quam respicit tamquam finem ultimum, nullatenus in Deum referendum. Hæc autem servilitas, ut indicavimus, nullo modo ad substantiam timoris servilis pertinet; alioquin timor servilis malus esset, sicut servilitas ipsa. Tandem advertas velim, quod licet quis culpam vitet ob timorem poenæ, non ideo malum poenæ præfert malo culpæ: neque comparationem inter utrumque malum instituit; sed solum poenam considerat ut motivum disponens, & movens ad culpæ detestationem. Quibus positus evincitur, timorem servilem secundum suam substantiam bonum esse.

IX. Timorem servilem ipse Dominus suadet Matth. xx. Timete eum qui potest corpus, & animam perdere in gehennam. Bonus ergo est. Plura ex Patribus proferre possem; sed satis sit textum Augustini in Psal. cxxvii. n. 8. adducere. Ille timor nondum castus præsentiam Domini, & penas timet. Timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud; sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus illius pulcherrimi sponsi; sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est. Ratio quoque id suadet. Nam timor servilis refugit malum poenæ æternæ. Sed gehennam fugere bonum est; quemadmodum optimum est anhelare beatitudinem, quæ est summum bonum contrarium malo inferni. Ut clara ergo præcisamque timoris servilis notitiam habeas, illud quod indicatum est, præ oculis oversetur, videlicet timorem servilem non ideo anteferre poenam inferni Dei offensæ, quia ex timore inferni inducitur ad vitandam culpam; sed dumtaxat respicit poenam gehennæ ut motivum honestum, & rationabili fuga dignum. Tunc solum præferret poenam inferni offensæ Dei, quando occultam voluntatem conditionatam haberet perpetrandi culpam, si poena subeunda non foret: & tunc timor malus esset. Ceterum quod quis ex timore gehennæ excitetur ad detestandum peccatum, nihil inhonesti includit. Nam timor iste, prout refugit gehennam, bonus est: quia poena gehennæ malum ingens est, quod

rationabiliter omnes vitare student. Neque timor iste malus est ex parte radicis, nempe amoris proprii commodi, unde profluit. Nam amor proprii commodi, seu propriæ felicitatis, bonus est: quia in Deum refertur, vel referri potest. Quare eadem ratione qua quis cupit sibi æternam beatitudinem, horret etiam æternam miseriam. Timor ergo servilis malus evadere potest ex malitia, seu perverso ordine illius qui timet; at suo genere bonus est. Cum regio ergo Vate dicamus Psal. cxviii. *Confite timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui.*

X. Servilitas subiectiva quæ est in peccatore, non inficit timorem servilem; dummodo peccator non agat ex motivo servilitatis, seu dummodo non præferat poenam divinæ offensæ, quam, si poena non immineret, perpetraret: tunc enim, ut ex dictis constat, timor malus esset. Verum peccatores non semper hunc perversum ordinem servant, sed contrarium ut plurimum: excitantur nempe poenarum metu ad detestandum peccatum, a quo sæpe reipsa abstinere. Immo in peccatoris conversione hæc est ordinaria methodus, ut primum ab imperfecto timore initium ducat, deinde altius assurgat, ut in quaque mutatione contingit. Quando Patres quandoque dicunt, ut Augustinus ser. xv. de verb. Apost. *Qui timore non concupiscit, puto quia concupiscit*, loquuntur de timore servili qui sociam habet voluntatem peccandi.

XI. Ultimo loco animadvertere, quod quando quis ob meritum poenæ abstinere ab externo peccati opere, sed intus retinet voluntatem peccandi, si peccatum impune committi possit; timor ille potest esse sine peccato, quia effectum bonum parit, nempe abstinentiam a culpa exteriori. Qui tamen sic timeret, peccaret; atque adeo inficeretur voluntas timentis, secus timor ipse; nisi expresse dirigeretur in malum poenæ tamquam in finem ultimum.

XII. Obiicies. Timor poenæ in eo qui est in peccato mortali, malus est, quia oritur ex amore boni proprii, quod peccator cum finem ultimum spectat. Bonum siquidem proprium est finis ultimus ipsius peccatoris, ad quem omnia ordinat. Hæc quippe est finis ultimi prærogativa quod omnia in ipsum referantur.

XIII. Hoc argumentum evincit, omnia opera peccatoris peccata esse: quoniam peccator omnia ex amore sui operatur, eiusque bonum est illi finis ultimus. Porro omnia peccatoris opera esse peccata, hæresis est damnata &

a Tridentino, & a pluribus Pontificibus, & Pio V. Gregorio XIII. & Alexandro VII. Verum responsio patet ex iis quæ dicta sunt. Spectat utique peccator habitualiter bonum proprium tamquam ultimum finem; sed non semper agit propter hunc ultimum finem actualiter, ut aiunt. Clarius rem explico. Peccator agit ob bonum proprium, quod respicit habitualiter tamquam ultimum finem; sed hoc bonum proprium non exercet rationem ultimi finis actualis respectu cuiusque operis ipsius peccatoris; sed quandoque finis ultimi, quandoque finis intermedii. Bonum proprium peccatoris ultimi finis actualis prærogativam prodit, cum privatione directionis in alium finem, respectu cuiusque operis vitiosi, seu peccati mortalis: quia opus ipsum culpabile secum defert privationem ordinationis in Deum: sicut quippe peccator in bono proprio privative, excludendo scilicet quemcumque alium ultimum finem. Bonum vero proprium quod frapte natura honestum est, nullamque malitiam præfert respectu operis honesti, & suo genere boni, non fungitur officio ultimi finis, sed solum finis intermedii: quia opus morale honestum non affingit huic bono proprio aliquam privationem quæ impediatur ulterio-rem ordinationem; sed contra illud respicit præcise, & absolute acceptum: & iuxta hanc considerationem in Deum referri potest. Neque hinc sequitur, peccatorem duos habere fines ultimos contrarios. Sed bonum proprium habitualiter respicit tamquam finem, in quem omnia opera mala actu dirigit privative; opera vero honesta dirigit in eundem finem præcise, & absolute absque ulla privatione, sed ut referibilem, si ita loqui fas, in Deum.

XIV. Quæst. III. *Quinam timor donum est Spiritus sancti?* Resp. Timor servilis prærogativam doni a Spiritu sancto infusi non habet; quamquam perfectio sit a Spiritu sancto infusa, ut inquit Angelicus 2. 2. q. xix. art. 9. *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus sancti; licet sit a Spiritu sancto.* Rationem assignat, quod timor iste voluntatem peccandi annexam potest habere. Dona autem Spiritus sancti cum voluntate peccandi copulari nequeunt. Dum ergo Angelicus dicit art. 6. *timorem servilem donum esse Spiritus sancti, intelligit, præfati timoris perfectionem esse infusam a Spiritu sancto.*

XV. Timor ergo filialis, & castus proprie donum est Spiritus sancti, sicut & timor

mor initialis, qui non distinguitur, nisi tamquam imperfectum a perfecto, a timore filiali. Ita docet D. Thom. loc. cit. art. 9. *Unde relinquatur quod timor Dei qui numeratur inter septem dona Spiritus sancti, est timor filialis, sive castus.*

XVI. Quæst. IV. *Datur ne timoris præceptum?* Resp. Adfirmant communiter Theologi cum Thom. 2. 2. quæst. xxii. art. 2. ubi primum affert textum sacre Scripturæ præceptum istud ostendentem: nam dicitur Deut. x. *Et nunc, Israel, quid Dominus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum Et David in tuum? Psal. xxxiii. Timeate Dominum omnes sancti Dei. Sed illud a nobis requirit (subdit Angelicus) quod præcipit observandum. Ergo sub præcepto cadit quod aliquis timeat Deum.* Et quamquam expressum in lege non sit mandatum hoc (est enim quoddam veluti præambulum ad legem,) attamen, inquit Angelicus, Sapientes, & Prophetæ intendentes homines in legis observantia stabilire, tum de spe, tum de timore præcepta tradiderunt.

XVII. Quæst. V. *Præceptum istud est ne peculiare, & quo tempore obligat?* Resp. Dubio procul peculiare est, si sermo sit de timore generatim accepto. Verum si loquamur de timore servili, non levis occurrit difficultas. Salmanticenses tract. xxi. cap. v. punct. 2. num. 49. nulla facta distinctione asserunt, dari speciale præceptum de timore servili. Quod uno in sensu verum habet, secus in altero. Nam certum est hoc præceptum dari, & quidem speciale, nempe distinctum a præceptis aliarum virtutum. Sed certum quoque est hoc præceptum non obligare absolute omnes homines. Nam possent, & utinam vellent homines, toto vitæ cursu, ut advertit perdoctus Contentonius Lib. VII. dissert. iii. cap. 2. specul. 3. amore caritatis legem implere, Deum diligere, illumque filiali timore revereri, & a culpa abstinere: & hi exacte impleverint præceptum timoris filialis. Præceptum ergo timoris servilis obligat tantum ex suppositione quod peccator ob sui duritiam cordis egeat concuti, & emolliiri poenarum timore. Quare non videtur certum, saltem secundum fidem, quod præceptum timoris servilis sit distinctum absolute a præceptis aliarum virtutum; in hypothese tamen facta, nempe peccatoris indigentis tali timore, præceptum distinctum est: quippe tunc medium est necessarium ad evadendam culpam. Præceptum vero timoris filialis peculiare, &

distinctum est, sicut præceptum dilectionis. Nec obest quod timor filialis ex amore profluit: quia etiam aliæ virtutes oriuntur ex caritate; & nihilominus & de hac, & de illis dantur specialia præcepta: ergo & de timore. De obligatione istius præcepti idem dicendum, proportionem servata, ac de præcepto spei.

CAPUT IV.

De vitiis spei oppositis, nempe desperatione, & presumptione.

I. DUO sunt virtuti spei contraria extrema, desperatio, & presumptio. Hæc frequentior illa. Desperatio finiri hoc modo solet: *Est voluntas efficax abiiciendi salutem æternam ex divina misericordia consequendam.* Quæ definitio constare potest ex contraria virtute spei, quæ motus animi est in bonum arduum, seu beatitudinem vi divini auxilii obtinendam. In opposito ergo motu non assequendi hanc felicitatem sita desperatio est. Duplici autem ratione ad desperandum induci quis solet: aut quod Deum impotentem iudicet ad conferendam beatitudinem; aut quod iudicat se capacem amplius non esse obtinendi æternam præmium ob criminum multitudinem, cordisque duritiam.

II. Desperatio gravissimum peccatum est: male quippe sentit de divina misericordia, & omnipotentia: & licet infidelitas, ac odium Dei sint genere suo graviora delicta; periculosior tamen est desperatio, inquit D. Thomas 2. 2. quæst. xx. art. 3. *Si tamen compararetur desperatio ad ista alia duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est periculosior. Quia per spem revocamur a malis, & inducimur ad bona perseguenda: & ideo sublata spe, irrefrenate homines labuntur in vitia, & a bonis operibus retrahuntur. Unde super illud Proverb. xxiv. Si desperaverit lapsus in die angustie, minuetur fortitudo sua, dicit Glossa: Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet, & in generalibus huius vitæ laboribus, & quod peius est, in fidei certamine constantiam perdit.*

III. Quæst. I. *Est ne semper hæresi coniuncta desperatio?* Resp. Ut plurimum coniungitur, quando scilicet peccator ideo desperat, quod iudicium format, quo iudicat, Deum non posse illum salvare, eidemque illius crimina condonare. Et tunc duplex committit flagitium; alterum hæresis, alterum desperationis. Seiuncta ab hæresi est

desperatio, quando peccator absque praefato iudicio desperat, non quia iudicet Deum ipsum salvare non posse; sed quia conveniens sibi existimat desperare, ut liberius, nulloque conscientiae morsu intus pungente, vitii & voluptatibus, indulgere, illisque sese ingurgitare valeat. Tunc desperatio cuiusque haereticus expers esset. Sic qui iudicaret furtum licere, haereticus esset; qui vero furatur, quia furtum sibi commodum, ac congruum iudicat, ut communiter evenit, peccat; sed ab haeresi immunis est.

IV. Quæst. II. *Licite ne desperaret ille cui facta de propria damnatione esset revelatio?* Resp. Magna contentione versant Scholastici quæstionem hanc, possit ne scilicet sperare ille cui divina revelatione sua constaret damnatio. Inutilis sane, & vana investigatio. Perdoctus, eruditusque Contentonius omnes & eloquentiae, & acuminis vires exerit, ut propugnet in hac positione hominem sperare posse, & debere. Negant alii communiter. Totum dissidium ex diverso quæstionis statu, & ex diversa spei notionem oritur. Contentonius fatetur, hominem sperare non posse, si Deus eidem revelasset absolutam exclusionem a regno aeterno. Idcirco statim quæstionis in hoc collocat quod Deus revelet alicui propriam damnationem ob suam facilitatem prolabendi in peccata, ad quæ vitanda auxilia confert sufficientia: qui quæstionis status chimæricus omnino est. Revelat Deus Iudæ damnationem, & auxilia quibus illam vitet, impertitur. Diversam quoque constituunt spei notionem. Nam Contentonius videtur asserere, satis esse ad spem quod concipiat obiectum absolute possibile. Alii contendunt hoc ad spem minime sufficere; sed requiri docent, quod obiectum spei concipiendum sit non solum ut possibile absolute, sed ut futurum practico iudicio propositum; ita ut qui sperat, debeat apprehendere bonum quod sperat, ut sibi practice futurum. Et hæc est vera, & genuina spei notio. Et ex hac sola notionem patet falsitas sententiae quam defendit Contentonius, prudens alioquin, & acutus in seligendis probabilioribus sententiis. Sed suos quisque manes habet. Itaque cum in hypothesei revelationis factæ nequiret homo proponere sibi practica, & sincera sententia beatitudinem aeternam ut futuram, nullo modo sperare eam possit. Nihil quippe refert quod beatitudo hæc absolute possibilis sit, aut quod concipiantur auxilia sufficientia ad illam assequen-

dam, si habeatur dictatum practicum, & certum quod illa futura non sit.

V. Ad quæstionem ergo dicimus, hominem hunc, facta positione revelatae damnationis, posse in uno, non posse in altero sensu desperare. Non potest licite desperare, iudicium efformando de defectu divinae misericordiae; quasi Deus sua misericordia non possit illum salvare. Ceterum si attenda revelatione, videns non sibi futuram esse aeternam beatitudinem ob sua crimina, iusteque illam sibi infligi privationis poenam, desperet, tunc nullum committit peccatum; sed potius se subiicit divino decreto. Nec quidquam valet quod opponitur, nempe, si Deus revelaret peccatum futurum, deberet sperare ille cui facta esset revelatio, fugam peccati: eadem quippe est utriusque ratio. In hypothesei hanc spem habere non possit. Ergo non teneretur vitare peccatum. Consequentia non valet. Quia alia est spei, alia abstinentiae a peccato regula. Illius est futuritio, ut sic dicamus, eventus; istius est voluntas refugiens culpam. Hanc voluntatem non tollit revelatio, sicut aufert quod bonum sit futurum. Ne multa: revelatio destruit obiectum spei, non destruit facultatem vitandi peccatum; quamquam reipsa non vitabitur ob iniquitatem eiusdem peccatoris. Nec enim ideo non vitabitur, quia Deus revelavit; sed e contrario quia Deus vidit peccatorem infallibiliter perpetraturum peccatum, revelavit illud futurum. Verum de his nugis plusquam satis.

VI. Alterum vitium quod spei opponitur, est praesumptio, quæ sic definitur a D. Thoma 2. 2. quæst. XXI. art. 2. *Praesumptio est inordinata confidentia in divina misericordia.* Hæc est grave peccatum; licet gravius scelus sit desperatio, ut inquit D. Thomas ibidem, *Praesumptio est peccatum minus quam desperatio: quoniam magis proprium est Deo miserevi, & parcere, quam punire, propter eius infinitam bonitatem.* Peccatum praesumptionis committitur, dum quis gloriam assequi confidit sine ulla cooperatione, sine meritis, ac laboriosis operibus: quod attenda Dei providentia iam constituta fieri nequit; licet non repugnaret, Deum absolute sine meritis aliquem salvare, si vellent. Peccatum quoque praesumptionis contingit, dum quis sub spe veniæ obtinendæ in peccato perseverat. Advertendum tamen ex D. Thoma, non peccare peccato praesumptionis illum qui peccaret sub spe veniæ percipiendæ, & cum

pro-

proposito abstinendi a peccato, & de eodem poenitendi. Hoc (inquit) non est praesumptio, sed peccatum dimittit: quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. Peccant ergo qui in peccato persistunt spe veniæ decepti; sed propositum abstinendi a peccato, & peragendæ poenitentiae multum malitiae demit; & non est proprie peccatum praesumptionis. Quare non adeo frequenter occurrit ut peccatores rei sint praesumptionis in vero sensu theologico acceptæ. Quippe rari sunt qui salutem aeternam obtinere confidunt sine ullis meritis, & poenitentia; aut qui proponant perseverare in peccato sub spe veniæ, sine proposito peccatum detestandi. Sed contra communiter peccatores vitii se dant, in eisdem voluntantur, velut sues in luto, poenitentiam differunt in senectutem. Deinceps de die in diem propositum habent & poenitendi, & assequendi, prævia poenitentia, peccatorum remissionem. Non negaverim tamen, plures quoque criminis praesumptionis vere reos esse, & simul haereseos luc infici. Quippe vix contingere potest, aut saltem raro accidit, quod quis praesumptionis proprie dictæ peccatum committat sine haeresi quod Confessariis perpendendum serio est.

CAPUT V.

Confessaria quæ spei, ac timoris exercitium suadent, & praxim dirigunt.

Confessarium primum. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Psal. iv. In spe sita est vita nostra, sive hanc caducam, & fugacem corporis, sive rationalem, quæ duratura aeternum est spectamus. Spes in ardua, & difficilia tendit. Circumspice quæ aggreditur amplificandi imperia, triumphandi de hostibus fiducia. Pro nihilo habet æraria exhaustire publica, privatorum conquirere, ac conquistatas effundere pecunias. Nihil facit uxorum lacrymas, filiorum fortem. Leto, ac invicto animo sustinet diras tempestatum vices: non hiemis frigora, non æstatis calorem, non noctis tenebras veretur, ut gloriam bello partam assequatur. Quæ non suscipit itinera mercium acquirendarum fiducia? quibus scopulis, syrribusque non se exponit? quæ incommoda, quæ pericula non praefert? Si spes hæc terrena, quæ passio appetitus est, tam ardua, dura, ac tetrica decoquit, ut votorum compos fiat; qua animi fortitudine spes theologica obstacula quæ viam intercipiunt caelestem, aggredi, quos suscipe-

re labores non conabitur? Qua pectoris constantia carnis luctam, lenocinia sensuum, mundi fraudes, hostium dolos, dæmonum tragulas repellere non debet? Heu nimium dissimiles spes nostræ! Quæ merces caducæ assequi gestiunt, fortes, strenuæ, invictæ, ac triumphatrices incedunt; quæ vero hereditatem aeternam, gloriam immortalem, Deumque ipsum expectant, languidæ, pavide, torpentesque repunt, iacentque. Erige animum, o Christiane, exere vires, atque conatus omnes, ut Deum assequaris. Quoniam tu es, Domine, spes mea, inquit David: & Bernardus subdit: Tu, Domine, una es omnium laborum, ac molestiarum mearum spes: tu cogitationum, operumque finis: tu principium, ac meta totius vite meae. Ad hanc propositam spem, ceu ad tutam, & firmissimam anchoram confugiamus. Facessant spes vanæ, miseræ incertæ, quæ corda nostra saturare nequeunt, & in solo Deo sit spes nostra: quia ille solus implere cor nostrum potest: ille solus non deserit sperantes in se: *Quando in se speranti desit illa maiestas quæ tam studiose monet in se sperari? Plane non derelinquit sperantes in se. Adiuvabit, ait, & eruet eos a peccatoribus, & salvabit eos. Quare? Quibus meritis? Audi quod sequitur: Quia speraverunt in eo. Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis.* D. Bernardus in Psal. Qui habitat.

Illud tamen animo reputa, spem fortitudine niti, qua impedimenta superet, hostes propulset, pericula devitet. Quoniam (inquit Augustinus Lib. XVI. de Civ. Dei cap. XIX.) *si periculum quantum cavere poterat, non caveret; magis tentaret Deum quam speraret in Deo.* Multi sibi impunitatem de divina misericordia spondent, non ut respiciant, sed ut prudentius peccent. *Si enim (subdit Augustinus in Psal. lxxvii. circiter medium) ut secundum ipsos loquar, Deus fortasse non perdet malos, sine dubio non perdet bonos. Cur ergo potius non id eligimus ubi dubitatio nulla est? Verum ea est Christianorum illusio, atque deceptio, ut spem illam quam ut tutissimam anchoram cui inhæreamus, dedit nobis Deus, in scopulum naufragii aeterni convertant. Quippe anima recreata a desperationis malo invenit aliam foveam, ut quæ desperatione perire non potuit, spe ipsa pereat. Quis est qui perit spe? Qui dixerit in corde suo; Bonus est Deus, misericors est Deus: ergo faciam quidquid voluero; convertam me, quando voluero. Isti spe ipsa pereunt, isti spe periclitantur. Quid est ergo maligis sperator?*

Si desperas, peris: si speras, peris. Ubi ergo tutus locus tibi erit, ut ab utraque fovea te eripias? inquit alicubi Augustinus, cuius locus memoria excidit. Hunc pessimum abutium spei describit etiam in Psalm. cxli. *Dedit ergo spem veniam, ne desperando amplius pecces. Et spes, & desperatio timenda est in peccatis Audi vocem desperantis. Iam, inquit, dammandus sum: quare non facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis: Misericordia Domini magna est, quando me convertero, dimittet mihi omnia: quare non facio quidquid volo? Desperat, ut peccet: sperat, ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Via a desperatione, via a perversa spe. Plurima alia afferre possem, sed ea transmitto. Igitur Fratres (inquit idem Augustinus in Psalm. cxii.) non tardetis converti ad Dominum. Sunt enim qui preparant conversionem, & differunt, & fit in illis vox corvina cras, cras. Corvus de arca missus, non est reversus. Non querit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. *Quandiu cras, cras? Observa ultimum cras quia ignoras quod sit ultimum cras. Sufficiat, quia vixisti usque ad hodiernum diem peccator. Audisti. Sepe soles audire, audisti & hodie. Quam quotidie audis, tam quotidie non corrigeris. Tu enim secundum duritiam cordis tui, & cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die ira, & revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Non sibi videatur Deus misericors, ut non videatur & iustus. Misericors, & miserator Dominus.**

Confectarium secundum. Radix perversæ spei est defectus timoris Dei. Spes, quia bona promittit, animum demulcet, allicit, delectat; timor e contrario servilis conturbat, terret, mœsticiamque inducit; idcirco peccatores mentem a divinæ iustitiæ meditatione avertunt, ne timor configat carnes eorum: solum ipsi Dei misericordiam aspiciunt, ut vana spe lactent cogitationes suas. Spes quæ solum Dei bonitatem absque timore vindictæ considerat, audacia est, tentatio Dei est. Ergo *timete Dominum omnes sancti eius. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos: Psalm. xxi.* Audiamus sancti Vatis doctrinam, qua nos instruere in timore Domini spondet. Timorem ergo filiorum *Venite filii*, non fervorum, nos docet: nempe timorem castum, filialem, confidentiæ plenum, caritatis socium, qui non mœsticiam, sed gaudium, non dissidentiam, sed fiduciam inducit. Timor iste concupiscentiam frenat,

audaciam comprimit, a periculis servat, atque in salutis via firmat, roboratque. Clavum animæ fluctuantis appellat timorem hunc divus Gregorius qui *Lib. III. Moral. c. xlii.* privilegia describit timoris huius. *In via Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit: & sicut in via sæculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit, Salomone attestante: In timore Domini fiducia fortitudinis. Quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporarium despicit, quanto se auctori earundem veracius per formidinem subdit; quæ in timore Domini constituta non invenit extra quod metuat: quia dum recto metu conditori omnium coniungitur, potestate quadam supra omnia sublevarur.*

At cuiam venire in mentem valet, rationum momentis, & eloquentiæ vi opus esse ut ad timendum, pavendumque Christiani inducantur? Pericula in terris, pericula in mari, pericula in falsis fratribus, pericula in nobis ipsis, in cordibus nostris, in sensibus, & cogitationibus nostris: undique nobis mala imminet, undique mala circumstant; & nos stupidi, infensatique nullo percussu timore in deliciis, & voluptatibus ducimus dies nostros? Unde, quæso, tanta demencia? Stupiditas unde tanta? Quis flagitiorum reus, vinculis ligatus, sententiam iudicis expectans non paveret? Suscipe tandem aliquando prudentis viri cogitationem, o Christiane, & perpende te in carcere istius mundi constitutum esse. Recogita delicta iuventutis, & virilitatis tuæ. Supremum, tremendumque divinæ iustitiæ tribunal examen instituit severissimum vitæ tuæ. Tu in hoc exilio sententiam aut æternæ mortis, aut æternæ vitæ expectas. Hinc corona gloriæ, hinc gladius æternæ mortis impendet capitulo. Erige oculos fidei tuæ, ut videas coronam appensam operibus bonis, ut videas supplicium paratum operibus pravis. Decurrunt tempora, fluunt dies, horæ, & momenta percurrunt, instant, imminetque aut coronam accipiendi æternam, aut cervicem gladio funesto, æternoque supponendi: & tu nec paves, nec times? Et tu laute epularis, choreas ducis, voluptatibus carnalibus vacas, comœdias frequentas, futiles lætitiis queritas? Oculos, quæso, conice in Dionysium illum Syracusanum Tyrannum, qui quinque & viginti annos natus pulcherrimæ urbis dominatum occupavit, tenuitque duodequadraginta annos. Cum quidam ex eius assenta-

tori-

toribus, scribit Marcus Tullius *Tuscul. quest. Lib. V.* Damocles commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse: Vis ne igitur, inquit, o Damocles, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Quum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, stato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, abacoque complures ornavit argento, auroque calato: tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant inguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ exquisitissimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari seta equina aptatum demitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores aspicebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam, iam ipsæ defluebant coronæ. Denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satis ne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum cui semper aliquis timor impendat? Hactenus Tullius. Gladius qui nobis impendit, non cervicum amputationem, sed perpetuam animæ occisionem minatur. Timete ergo Dominum pusilli, & magni: timete iusti, ne a iustitia declinetis: timete peccatores, ut ab iniquitate respiciatis.

Confectarium tertium. Pastor evangelicus, ut animas sibi creditas in spe exercent præmii, seu mercedis consequendæ, immensitatem Dei, omnipotentiam, misericordiamque paratam auxilia quibus merces abtineantur, conferre, palam faciat. Illas doceat frequenter istius divinæ fiduciæ actus repetere, potissimum dum vitæ huius calamitate, adversitatibus, fortunæque tormentis conflictantur. Illas imbuat, ut omnes spes suas in Deum ipsum referant, & omnia sua in Dei gloriam dirigant: nostra quippe gloria in ipsius Dei gloriam cedere debet. Verum hæc omnia fere suapte natura eveniunt, cum anima christiana vera spei virtute in Deum assurgit. Actus siquidem divini ultra semper procedunt, & pergunt, nisi malitia nostra retardentur, perturbenturque. Confidat ergo in Domino, & mutabit fortitudinem, assumeret penas, ut aquila volabit, donec in Dei sinu requiescat.

Timoris exercitium alia via animarum moderator suadebit iustis, alia peccatoribus. Illis

filiorum, his fervorum timorem incutiet. Filii qui patrem amant, eius quoque maiestatem reverentur, illiusque bonitatem spectantes timent ab eiusdem feiungi amplexu. Peccatores, mundi amore pellecti, a corporis blanditiis, carnisque voluptatibus difficile separantur, nisi formidine pœnæ. Corporeæ delectationes, ac sensuum lehocinia, quæ in præsens experiuntur, obtusos, stupidosque efficiunt ad cælestium bonorum gustum. Hæc namque futura cum sint, & a sensibus, immo cogitationibus nimium remota, animum peccatoris nihil, aut parum commovent, feriuntve. Ideo tormentorum atrocitate cordis durities emollienda, ac frangenda est. Fortius quippe suppliciorum terror quam bonorum fiducia, hominum corda inflectit. A gehennæ ergo timore iacienda sunt regenerationis divinæ a peccato fundamenta. Commollito corde terroris malleo, ad paradisi gloriam contemplandam mens erigatur: ultra pergat ad divinæ maiestatis, illiusque bonitatis conspectum. Beneficia sibi collata meditetur, ingratiitudinem qua tot auxiliis, gratiis, ac favoribus respondit, sub examen inducat: & post hæc omnia in contemplatione sistat divinæ bonitatis, quæ infinitis amari titulis meretur. Si hæc omnia demisso supplicique animo commeditatus fuerit Christianus, si ferventes preces Deo fuderit, donum timoris casti amoris focii assequetur. Quare imbuat Parochus subditos suos, timorem necessarium ad confessionem talis naturæ esse debere, ut voluntatem peccati excludat omnino. Porro actus qui a timore proficiuntur, partim voluntarii, & partim involuntarii sunt, ut docet Angelicus: estque doctrina verissima, quam suo loco edisseram. Si ergo ex mero gehennæ timore quis peccatum detestaretur, peccandi voluntatem non penitus abiiceret. Quin periculum adest, dum quis in solo sistit timore, ne in cordis recessu voluntas latitet peccandi, si ardendi pœna deesset. Ut secure Parochus officio fungatur suo, doceat peccatorem, dolorem necessarium ad confessionem donum esse supernaturale a divina misericordia profluens. Media ad illud obtinendum sunt preces, lacrymæ, corporis conflictatio, eleemosynæ, si conditio fert. Si hæc peccator sincero, humilique animo præstiterit, a Deo dolorem verum, & cor sincere contritum assequetur. Hæc est unica, & segura via tum consulendi propriæ salutis, tum vitiligationes, subtilitatesque a nonnullis invecas declinandi. *Timete ergo Dominum omnes sancti eius.*

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE CARITATE.

PRÆLOQUIUM.

Ultimum inter virtutes theologicas locum caritas occupat, quia illarum finis est, & meta. Hæc est virtutum omnium regina: hæc est omnium meritorum principium, & forma: hæc est legis, & præceptorum observantia: consortium aliarum virtutum non modo non excludit, sed fovet, & splendida constituit, valorem, & pretiositatem conferens eidem. Hæc est filiorum Dei nuptialis, ac fulgentissima vestis, sine qua nemo ad æternum excipitur convivium. Hanc filiorum vestem nemo induere potest, nisi vestem exuat servorum: vestem, inquam, servilis timoris, qui mancipiorum proprius est. Hæc denique vestis multitudinem operit peccatorum: non agit perperam, non irritatur: non malum pro bono, sed bonum pro malo pendit: omnia suffert, omnia sustinet. De hoc ego cælesti ac divino dono verba hac in Dissertatione facturus sum. Verum qui fieri potest ut cælestis istius amoris prærogativas explicem, si cor aridum, frigidumque reperitur; cum ex abundantia cordis os loqui, & calamus scribere debeat? Preces ergo Deo fundendæ sunt, ut scintillam quampiam divini ignis in lampade cordis dignetur ob suam infinitam bonitatem accendere. Quod si præstiterit, scriptio nostra utilis, proficua, & pretiosior auro erit, & argento. Inutiles quæstiones quæ cor non calefaciunt, sed mentem inutiliter torquent, missas faciet; eaque tantum argumenta tractabit quæ veram, & sanctam divini amoris artem edocent. Tu te ergo, benevole Lector, compara ad caritatis lectionem ea animi humilitate, eoque proficiendi desiderio quo caritatis fructus degustare valeas. Unum te admonere interest, me nempe in plurium censuras incursum fore, quod prolixius quam iuniores soleant, sim de caritate disputaturus. Opponent, me concionatoris stilo uti, & nimio verborum, figurarum, & exhortationum apparatu folia implere. At censuras istas nihil moror, ipsosque censores miror, veluti christianæ Theologiæ tradendæ veram methodum ignorantes. Morum ethica non modo mentem illuminare, sed voluntatem perdomare; & appetitiones subigere debet. Ideo iis præsidii instructa sit necesse est quæ huic fini assequendo consentanea sunt. Novi dumtaxat Casuistæ sterilem, spinosamque; veteres Patres omnes fecundam, ornatam, & ad ciendos voluntatis affectus aptissimam Theologiam nobis reliquerunt. Ad rem.

CAPUT I.

Census propositionum quæ præceptum caritatis theologice labefactant, quasque Pontifices summi proscripsere.

INullum, ut mea præfert opinio, validius occurrit argumentum quo evincamus plurium Casuistarum ingenium ad laxitatem, legisque divinæ iugum, quoad fieri potuit, excutiendum proclive; quam illud quod ab illorum propositionibus adversus caritatis mandatum evulgatis arcessitur. Quis non dicam Theologorum, sed vel efferatarum gentium, sibi adducere in animum potuisset unquam, futurum fuisse ut Doctores reperirentur qui docere publice ausi fuissent, amandum totius vitæ curriculo non esse Deum

illum quem universi conditorem, generis humani, propriæ humanæ assumptæ vitæ dispendio, redemptorem, omnipotentem conservatorem, infinitum beneficiorem confitebantur? Quæ gens tam inculta, tam barbara fuit unquam quæ Deum crederet, adoraret, unaque amandum aut nunquam, aut semel in vita, aut singulis tantum quinquenniis asfereret? Et tamen quæ in viris ipsis silvestribus monstra forent, in viris non modo catholicis, sed catholicorum Doctoribus, literis excultis, ac eruditione claris, spectare cogimur. Istorum, inquam, Doctorum non pauci eo prolapsi sunt laxitatis, ut voce docuerint, scriptisque ad perpetuam posterorum memoriam, ne dicam in Christianorum dedecus, consignarint, fideles ad peculiarem dilectionis actum per se, & absolute non esse

esse obligatos. Cuius invehendæ laxitatis capaces illi non sunt qui similia cudere portenta non reformidant? Verum iam mihi videre te videor, christiane Lector, in memetipsum ira excandescere, quasi ut invidiam proximo meo conflam, incredibilia eidem assignam paradoxa. Lex christiana, inquis, lex amoris est, illius plenitudo dilectio: primum, ac maximum eiusdem mandatum, quod basis, ac fundamentum ceterorum dicitur, amor est. Quid quod non alium in finem factus est homo, nisi ut Dei amore flagret, Deum omnium virtutum cultu adoret? quippe beatitudo cordis amor est. Hæc sunt primæ catholicæ professionis notiones. Cuiusnam itaque venire in mentem potest, catholicæ legis Theologos eo usque ausus suos efferre, ut mandatum hoc propriæ institutionis primum, & apertissimum vanis distinctiunculis extenuare, & in nihilum fere redigere non pudeat? Quoniam hæc tibi incredibilia videntur, & reapse sunt, colligas hinc magnopere velim, quantum Theologis istis fidendum sit, quantum eorum deferendum auctoritati, & quanta vigilantia ab eorum opinionibus, ac probabilitatis legem laxantis lenociniis cavere debeas. Si enim meridianæ caritatis luci tenebras offundere pertentarunt, si legem adeo manifestam, perspicuam, suavem, de medio tollere conati sunt; qua caligine non involvent, quibus larvis non obtegent, quibus futelis, & tehnis non obducent leges illas quæ tantam non præferunt claritatem? Quibus commentis, facisque non eludent quæ ab aliis Decalogi præceptis iubentur, si ipsum Decalogi fundamentum ab imis suffodiunt? Ne porro ulla subeat mentem tuam dubitatio, a me quidquam per exaggerationem dictum esse, proscripitas a summis Pontificibus propositiones primum, deinde libros unde decerpæ fuere, indicabo. Damnatarum propositionum alia indolem, naturamque caritatis imperunt, ut sunt illæ Michaelis Baii; alia præcepti observantiam, & necessitatem adoriuntur, ut sunt eæ quas recentiores evulgarunt Casuistæ.

II. Sanctus Pius V. anno 1567. novem supra septuaginta propositiones proscripsit, quarum sequentes caritati theologice adversantur.

31. Caritas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in penitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Caritas illa quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus iuste, recte, & sancte vivit; & mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor nature, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimonis excogitata.

38. Omnis amor creatura rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quæ per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

16. Non est vera legis obedientia quæ fit sine caritate.

23. Absurda est eorum sententia qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & caritate Deum supernaturaliter coleret.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram caritatem; & caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

III. Alexander VII. quinque super quadraginta propositiones proscripsit, quarum prima eiusmodi est: Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.

IV. Innocentius XI. ex sexaginta propositionibus quas proscripsit, tres ad hanc materiam spectantes damnavit, suntque sequentes.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam qua iustificari possimus.

V. Alexander VIII. anno 1690. unam supra triginta damnavit propositiones, quarum sunt inter alias sequentes in ordine.

9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut calestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide christiana super-

supernaturali quae per dilectionem operatur, peccatum est.

13. Quisquis etiam aeterna mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties licet intuitu beatitudinis operatur.

16. Atritio quae gehenna, & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus supernaturalis.

CAPUT II.

Inventarium propositionum quae nimium laxae videntur; qualesque nonnulli recentes Casuista docuere.

I. Propositiones quas Pontifices summi Alexander VII. & Innocentius XI. damnarunt, e libris recentium quorundam Theologorum decerpit fuere. Id palam fiet ex propositionibus quas hic fideliter transcribimus ex Auctoribus quos allegabimus, non illis invidiam conflandi (quod Deus avertat) sed lectores imbuendi causa. Hoc quisque sibi persuasum habebit, quoties in mentem sibi induxerit, praefatas propositiones, vel eisdem simillimas, in illis reperiri Theologis quorum doctrina adhiberi a Confessariis passim solet in animarum regimine. Sed hanc designandi libros ex quibus decerpit propositiones sunt, necessitatem alias fusius exposui. Iuvat tamen eam ad propulsandam invidiam frequenter repetere, atque in oculos, memoriae coniicere.

II. P. Thomas Tamburinus Lib. II. in Decal. cap. 1. num. 9. de fide scribens, doctrinam praemittit, quae omnium trium theologiarum virtutum praecipua in nihilum redigit. Puto (inquit) per se, directe numquam obligari fideles ad credenda praedicta mysteria nec implicite ex vi necessitatis praecipui fidei. . . . Ratio prioris dicti est, quia, ut diximus. . . . numquam praecipuum aliquid obligat, nisi sit determinatum. Cum enim non possit nisi ut determinatum exire in executionem, non censetur praecipue esse completum.

Num. 10. ultra progreditur ad deltruendum speciale praecipuum caritatis. Confirmatur primo nostra sententia ex Azorio, qui docet caritatis praecipuum tunc solum obligare, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam qua iustificari possimus: quia hoc praecipuum non videtur obligare, nisi ut medium iustificationis, vel ut dispositio ad illam. Haec ex illo. Ex quibus colligo similiter dici posse de actu fidei, & consequenter de actu spei; ut cum de spe infra cap. 11. §. 1. & cum de

caritate agam, huc me remittens rursus in eandem inf. cap. 11. §. 2. num. 2.

III. Videndum nunc est quid de caritatis praecipuo scribat loco a se citato. Refert num. 1. varia Doctorum placita his verbis. Laborant Doctores in assignando tempore quo debet fidelis ex obligatione actum positivum amoris elicere circa Deum; variaque tempora, ut varia sunt ingenia hominum, assignant. Primum tempus quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum finis vitae. Tertium tota vita indeterminatae sumpta, ut saltem semel in ea ametur Deus. Quartum omnes dies festivi in quibus debemus Deo specialiter vacare. Quintum tempus quo adultus suscipit baptismum. Sextum tempus quo quis suscipit eucharistiam. Septimum, quando forte sumitur martyrium. Octavum, quando a Deo magnum accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deum blasphemantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, praesertim odii Dei, cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.

2. Mihi placet doctrina Azorii, qui docet, hoc praecipuum caritatis impositum fuisse ob iustificationem impii: solum igitur tunc obligare, quando impius, quia sacramentum poenitentiae non est in promptu, non habet aliam viam qua se iustificet, nisi eliciat actum contritionis, quae semper, aliquo tandem modo, actum amoris Dei super omnia dilecti involvit. Consequenter igitur, & indirecte, ratione sua iustificationis, ad actum caritatis fideles obligantur. Vide supra cap. 1. §. 1. n. 50. ubi idem loquendi modus mihi placuit de praecipuo actus fidei, & spei: nam per ibidem dicta & confirmabitur haec Azorii doctrina, & impugnari poterunt tempora modo assignata num. precedente.

3. Confirmatur: quia licet communis sententia doceat, dari praecipuum speciale de amando Deo in illis verbis: Diliges Dominum Deum tuum, & alibi: tamen non ignobiles Doctores docent, hoc praecipuum non esse speciale, & speciali tempore implendum, sed generale imbitum in omnibus praecipuis; sicut secundum praecipuum de dilectione proximi non est speciale, sed in Decalogi praecipuis contentum: nam propterea dicitur: In his duobus praecipuis, id est dilectione Dei, & proximi, universa lex pendet, & Prophetae; & qui habet praecipua haec, & servat ea, ille est qui diligit me: & plenitudo legis dilectio. Si enim qui servat praecipua, diligit, quisque diligit, servat; tam unum ex his continetur in alio,

alio, & consequenter praecipuum caritatis indirecte solum, & ratione alterius obligabit.

4. Probabilis ergo, & tutissima sententia est illorum qui negant, fideles initio usus rationis: sic Castr. cum Azor. Val. Sauch. Suar. Coninch. ab eod. cit. & fine vitae: sic idem ibi num. 9. cum Azor. & Sauch. ab eodem cit. obligari ad se convertendos ad Deum, illum amando: ponere enim huiusmodi obligationem, quae certe solido fundamento non innuitur, nihil aliud est nisi scrupulos ingerere, non quidem indoctis, quia hi ad eam obligationem minus advertunt, sed doctioribus &c.

IV. Haec, licet paullulum prolixiorat, ranscribere placuit, tum ut doctrina Tamburini plene hoc de argumento constaret, a qua cavere sibi lectores possint, tum ut palam fieret sinceritas P. Dominici Viva, qui in sua Trutina theologica frequenter aliorum opiniones non ad pondus Sanctuarii, sed ad libram ingenii sui trutinat. Quin eo progreditur, ut insignioribus Doctoribus imponat, quo socios suos a proscriptis propositionibus alienos representet. In commentariis quippe Propositionis 1. Alexandri VII. quae tria theologiarum virtutum praecipua de medio aufert, distinguit duplicem obligationem sive fidei, sive caritatis: alteram per se, alteram per accidens. Deinde subdit: Hanc secundam obligationem ex vi aliorum praecipuorum nemo unus negavit. De prima dubitarunt nonnulli apud Tamburinum Lib. II. de praecip. Decal. cap. III. Immo Sancius, Serra, Bannez illam negare ausi sunt.

V. Non ut Theologos proprii instituti defendam, vel ut propriae factioni indulgeam, sed ut veritati sit locus, atque lectores admo-neam, saepiusque in memoriam revocem, parum fidei adhibendum esse quibusdam Casuistis, imposturam quam P. Dominicus Viva impingit P. Dominico Bannez, palam facere constitui. Sed priusquam de Bannez dissero, unum, & alterum verbum de Thoma Tamburino praemittam oportet. Tamburinus auctor, & approbator est propositionis damnatae, quae speciale praecipuum caritatis, & fidei deltruit. Haec propositio patet ex textibus eiusdem Tamburini a nobis transcriptis. Quod etiam ut evidentiore pateat, aliam eiusdem Tamburini periodum excutere iuvat. Itaque cit. Lib. II. cap. 1. §. 1. n. 2. antequam sententiam suam promat, qua constituit theologiarum virtutum praecipua nullam per se obligationem imponere, testatur; nullo haecenus obvius habuisse Doctores qui hoc de argumento sibi satisfecerint. Idcirco tri-

bunal ipse erigit, sententiamque dicit, quam tamen supremo Ecclesiae iudicio supponit. En illius verba: Sane nondum obviam habui Doctores qui id explicando mihi satisfecerint. Unde omnibus perpensis, subdando tamen, ut hoc, ita & alia omnia mea S. R. E. iudicio, puto per se, & directe numquam obligari fideles ad credendum &c. Aliqui ne apud Tamburinum de hac obligatione dubitarunt? Non ille ipse de medio eam sustulit? At numquid succensendum est P. Dominico Viva, quod perdocti socii sui errata occultare studuerit? Immo fraternus socialisque laudandus amor. Non modo domesticorum, sed extraneorum etiam errores obtegendi sunt; dummodo perniciosi aliis non sint. Doctrina Tamburini, ut ego quidem arbitror, & mihi secure arbitrari videor, est ipsissima quae continetur in quatuor propositionibus damnatis quas cap. praeced. dedimus. Admonendus ergo lector fuisset, in Tamburino ipso reperiri doctrinam proscriptam. Quod tamen non ideo hic assero, ut Patri Viva onus imponam manifestandi omnes damnatarum propositionum Auctores. Nimium hoc iniustum foret. At cum Tamburinum in medium afferat, locumque, ubi argumentum edisserit, laudet, dum dicit nonnullos apud ipsum dubitasse, nihilque de Tamburini sententia hincit, lector ex lectione P. Viva colligit, alienum a praefata doctrina Tamburinum esse; immo, si minus peritus sit, doctrinam Tamburini, ut innocuam, epotabit. Verum ut ut de hoc sit, dandum quidpiam est affectui erga socium Scriptorem. At nullam mereretur veniam, quod notam proscriptae doctrinae duobus Theologis non inferioris subfellii, nempe Magistro Bannez, & Magistro Serra Ordinis Praedicatorum impingat, non utcumque, sed acri, & impropertanti phrasi. Immo Serra, Bannez illam negare ausi sunt. Non ergo dubitanter, non obfcure, non trepido animo, sed fronte aperta Doctores isti negare ausi sunt speciale caritatis praecipuum, quod per se ad actum obliget. Quid, si nihil de hoc scriberent? Quid, si ambigue loquerentur? Quid, si conceptis verbis oppositum docerent? P. Dominicus Bannez 2. 2. q. xlv. art. 1. lato calamo explicat specialem praecipui caritatis obligationem. Tertia conclusio. Praecipuum dilectionis Dei supernaturalis speciale praecipuum est, & maximum, & primum mandatum. Probatum conclusio. Et primo quidem quod sit speciale praecipuum, ostenditur ex eo quod caritas est specialis virtus, cuius actus necessarius est ad salutem: ergo de illo actu est speciale

ciae præceptum. Plura alia in confirmationem huius veritatis adducit quæ nunc prætereo. Resolvit omnia quæ opponi solent argumenta: tempus quo obligatio urget, indicat, opinionemque illam confutat quæ in articulo tantum mortis hanc vigere obligationem docet, eamque ridiculam vocat his verbis: *Alii dicunt, quod præceptum dilectionis tantum obligat, quando homo est in periculo, & in articulo mortis. Sed hæc sententia ridicula est. Quoniam lex divina amicitia, quæ etiam ordinatur ad meritum vite æternæ, non solum debet obligare in extremo vite. Dicendum ergo, sicut supra diximus de fidei, & spei præceptis, difficile esse punctualiter definire omnia tempora, & singula, quibus huiusmodi præcepta obligent.* Porro explicans præcepta fidei, & spei pressius tempora obligationis designat. Scribit ergo qu. xxii. art. 1. dubit. 2. concl. 1. hominem pervenientem ad usum rationis actus theologiarum virtutum elicere debere. *Quod si quis obicit, inquit, ex hac sententia sequi quod quando homo tenetur se in Deum convertere, si id non fecerit, peccat triplex peccatum, primum contra fidem, secundum contra spem, tertium contra caritatem: respondetur: Concedo sequelam: quia omnes illos actus tenetur habere ex præceptis specialibus fidei, spei, & caritatis. Sit secunda conclusio. Non est facile definire tempus certum, & determinatum, postquam homo iam est conversus in Deum, quando obliget speciale præceptum. Ratio est, quia etiam est difficile deter. inatum tempus designare pro quo obligat præceptum credendi, vel diligendi ex caritate ipsum Deum. . . . Sit ultima conclusio. Qui aliquoties in anno exercet actum spei (idem dic de fide, & caritate) tutus esse potest de adimplerione præcepti huius, dummodo non desperet aliquando. Postremo concludit laudata q. xlv. art. 1. ad 3. Tandem dico, quod fortassis nobis ignorantibus aliquando est omissio huius præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: sicut etiam solet esse omissio præcepti orandi Deum: & propterea oportet dicere semper: Ab occultis meis munda me Domine.*

VI. Audaciæ ne Patris Bannez vertet P. Viva, quod cum Regio Vate paveat, trematque, dum facilitatem recordatur violandi mandatum divini amoris? *Ausus ne est Bannez negare speciale divini mandati obligationem, dum adeo eam inculcat, ut asserat, nobis etiam ignorantibus, omitti illius observationem?*

VII. Videamus, num saltem P. Magister

Marcus Serra ausus sit negare speciale præceptum per se obligans ad actum amoris. Hæc ille docet 2. 2. q. xlv. art. 1. *Quidam, quos suppresso nomine hic referunt nonnulli D. Thomæ interpretes, dixerunt, præcepta dilectionis Dei, & proximi non esse specialia, nec ab aliis præceptis distincta. Sed horum sententiam impiam, & errorem maximum esse, asserunt prædicti recentiores. . . . Contra prædictam sententiam est etiam communis omnium Theologorum consensus, sed præsertim D. Thomæ hic ad 1. Si quæras, quando hoc præceptum caritatis obliget, respondetur, certum esse, non solum obligare semel in vita, aut tantum in articulo mortis. Hoc enim falsum esse ac ridiculum, ostendit Magister Soto ubi supra. Unde hoc certum est, præceptum caritatis obligare ut pluries in decursu vite actum dilectionis Dei, & proximi eliciat homo.* Hicne ausus negans peculiarem cælestis dilectionis obligationem? Si semel P. Viva imposuisset Scripturibus, potissimum Dominicanis; oscitantæ, vel memoriæ lapsui adscribendum fuisset, silentioque litandum. At cum similem illis notam frequenter impingat, ut constabit ex istius operis decursu, in quo, ubi de propositionibus proscriptis sermo erit, Trutina P. Viva ad pondus Sanctuarii revocabitur; idcirco æquitas postulat ut eisdem pro viribus vindicemus. Ad Sancium quod attinet, fateor hunc Casuistam, sicuti ceteras laxissimas opiniones, ita & hanc amplecti: & pro eadem citat Valquez, Suarez, Molinam: quod verum ne, an falsum sit, penes ipsum esto. Illud solummodo addo per summam imposturam, atque impudentiam disp. 1. n. 21. ipsum D. Thomam laudare pro hac sua sententia, quam Serra, & Lorca 2. 2. q. xlv. art. 3. disp. lvi. impiam, temerariam, erroneamque iure ac merito appellant. Oppositam, veramque sententiam docere D. Thom. infra palam faciam.

VIII. P. Patritius Sporerius tract. 11. in 1. præcept. Decal. cap. v. sect. 2. n. 31. sui P. Tamburini, & Auctorum quos Tamburinus allegat, opinionem de more transcribit, ac fusius eam explicat, & quatenus fieri potest, propugnat. *Probabilis mihi (inquit) hætenus semper visa fuit sententia, præceptum illud numquam obligare per se, quo ad actum explicitum amoris Dei super omnia; sed ei plene satisfieri per voluntariam observantiam præceptorum, & exclusionem omnis peccati propter Deum, uti docent multi, & graves Doctores apud Tamburinum. Ratio est, quia ex una*

» par-

» parte volens propter Deum observare omnia præcepta eius, & pro nulla re ipsum peccando offendere, vere diligit Deum super omnia, saltem implicite, & virtualiter, & ex toto corde negative. . . . Ex altera autem parte non est asserenda obligatio alicuius præcepti, & quidem gravis sub mortali, absque certo fundamento. Nullum autem certum, & urgens adferri potest fundamentum, quod præceptum dilectionis obliget aliquando per se ad actum formalem, & explicitum amoris Dei, ut patebit expendendo fundamenta communiter allata. » Unum, & præcipuum fundamentum est ipsum magnum mandatum, & præceptum affirmativum caritatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: quod sane debet obligare aliquando ad actum suum proprium, ne frustra sit. Agnoscimus, & veneramus divinissimum mandatum, eiusque exercitium, & frequentissimum nobis in omnibus optamus. Nulla tamen ratio, vel auctoritas convincit illud esse præceptum speciale, & speciali aliquo tempore per se obligatoris implendum. Quin cum D. D. relatis probabilissime dici possit, esse præceptum generale imbibitum in omnibus præceptis, ut proinde illi abunde satisfiat actibus amoris Dei implicitis, contentis in observatione voluntaria præceptorum propter Deum, ut dictum est.

2. » Eadem prorsus ratione etiam alterum præceptum caritatis, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, non est speciale, speciali aliquo tempore per se obligatoris implendum per aliquem actum internum elicitum amoris erga proximum (quando enim hoc?) sed est præceptum generale imbibitum in omnibus præceptis Dei erga proximum: eique abundanter satisfiat, dum quis vult servare præcepta Dei erga proximum, & data occasione de facto servat abstinendo ab omni odio, offensa, & iniuria, & dum opus est, exhibendo opera externa caritatis. . . .

3. » Aliud novum urgentius fundamentum exhibet propositio omnino prima inter prohibitas, ac damnatas sub Alexandro VII. anno 1665. ita sonans: *Homo nullo umquam vita sua tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium.* Sic propositio damnata. Verum nulla hic expressa fit mentio de actu formali explicito amoris Dei super omnia; & omnino sufficere videtur, præceptum caritatis sæpe obligare per se, saltem quatenus est negativum, ut in

» casibus supra positis, *etsi numquam obliget, ut affirmativum. . . . Ergo minus damnata censeri debet nostra sententia.*

4. » Sed ecce novissime anno 1679. fundamentum urgentissimum, meo iudicio, posuit Innocentius XI. Inter complures propositiones damnatas, tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas etiam has tres ordine reposuit. *An peccet mortaliter qui aeternum &c. . . . Hic ergo do victas manus ob reverentiam, & obedientiam sacræ Sedis apostolicæ.*

IX. Hætenus P. Sporer. Duo in hoc Auctore, alioquin pio & docto, animadversione digna occurrunt. Primum est illius propensio in opiniones laxas. Quid, quæso, sub lenocinantis benignitatis furo non deliniet qui tamquam probabilem, securamque regulam constituit, Catholicum fieri posse saluum, quin toto vitæ suæ cursu Deum redemptorem, glorificatorem, patremque suum peculiari amoris actu prosequatur? Alterum quod hæc opinio, vel ethnicis ipsis, barbarisque horrida, probabilis visa illi fuerit, postquam summus Pontifex Alexander VII. proscriptam recensitam propositionem, quam eludit hoc inanissimo, ac prorsus chimærico commento, quod in damnata propositione nulla fiat mentio de actu formali explicito amoris Dei, satisque sit servare præceptum, quatenus est negativum, *etsi numquam obliget, ut est affirmativum.* Quid non potest impotens opinandi licentia, & inveterata laxandæ legis cupiditas, aut a teneris unguiculis haultæ cum lacte anticipationes? Quis umquam Christianorum negavit necessitatem amoris impliciti? Quis Casuistarum docuit, præceptum caritatis, etiam ut negativum, implendum non esse? An ne Theologi illi qui propositionem ab Alexandro summo Pontifice proscriptam evulgarunt, negabant amorem virtutalem, aut præcepti necessitatem in eventu poenitentiae peragendæ? Quod in propositione damnata amoris non fiat formalis, & expliciti recordatio; ideo incolumis, & facta recta consistit sententia quæ negat præceptum caritatis ut affirmans obligare ad actum amoris? Quis umquam hisceræ ausus fuerit, si dixerimus, Casuistarum plures futilissimis distinctionibus frequenter elevare sacrarum legum auctoritatem? Si dixerimus, tantum apud ipsos valere quasdam blictricas distinctiones quibus propriæ factionis systemata tueri solent, ut vel evidentissimæ demonstrationes ad illorum mentem languescant, atque hebescant? Quoniam quid evidentius, quid clarius tum in ve-

veteri, tum potissimum in novo foedere præcipitur, quam amor Dei, & proximi? Et tamen amoris istius necessitatem aperte negant citati iuniores nostri? Quid quod non solum in conspectu Scripturarum, non solum post D. Pauli anathema, *Qui non amat Dominum IESUM Christum, anathema sit*; sed etiam post summi Pontificis Alexandri, quem divinæ legis interpretem, suæque voluntatis Vicarium constituit Deus, manifestam explicationem, unius distinctiunculæ circuitione amoris impliciti, & expliciti, erroneam propugnant opinionem? Ut loco quoquomodo tandem dimoverentur, necesse fuit ut alter summus Pontifex Innocentius XI. anathemata conduplicata iacularetur in spectrum illius distinctionis amoris impliciti & expliciti, seu in illud PER SE. *Probabile est ne singulis quidem quinquennis PER SE, obligare præceptum caritatis erga Deum.* Tantum auctoritatis, rot oracula, & anathemata necessaria fuere ad subigendam Casuistarum mentem, eorumque cohibendos calamos. *Hic ego* (inquit Sporerius) *do victas manus ob reverentiam, & obedientiam S. Sedis apostolicæ.* Ceterum nisi suprema potestas manus devinciret, mens contenderet, calamus scriberet, & manus adhuc stringeret probabilitatis scutum in oppugnationem amoris expliciti, & per se. Viti mihi verterunt a dversarii, quod scripserim, *Casuistarum plures futilissimis distinctiunculis frequenter elevare sacrarum legum auctoritatem? Si dixerimus tantum apud ipsos valere quasdam blictricas distinctiones.* Sed debuisse, iuxta æquitatis leges, patefacere laxas opiniones quæ ad sic scribendum coegerunt. Primum & gravissimum caritatis præceptum aut de medio fere tollitur, aut nimium extenuatur, & nos silere debemus? Se amare perhibent adversarii opiniones quas hic confutavi, dum confutationem meam vellicant, & torquent. An non sunt distinctiunculæ futilissimæ, & blictricæ, quas recensui?

X. Ultimum quod notandum in Auctore isto venit, est quod, tametsi post damnatas propositiones ab Innocentio XI. sequenti §. 4. defendat necessitatem amoris formalis Dei; non propterea argumenta quæ §. antecedenti adduxerat in favorem proscriptæ propositionis, resolvit, sed illa intacta relinquit. Accedit quod conceptis verbis rejecit speciale præceptum amoris erga proximum, definiitque, solum esse præceptum generale in aliis virtualiter contentum, & nullum interam amoris actum præcipere. Quin exclamans scribit: *Quando enim hoc?* Porro hanc ille opi-

nionem expresse non retractavit; nec in sequenti paragrapho illius mentionem fecit. Et, quod admirationem maximam ingerit, quid in causa fuit ut post oracula pontificia in medium afferret, exaltaretque probabilitatem proscriptæ doctrinæ, eamque argumentis muniret, & veræ sententiæ rationes resolveret? Quorsum labores conatusque isti? Dispicet postremum ultima conclusio laudati paragraphi quarti sub num. 36. posita, quæ est eiusmodi: *Valde probabile, & modo omnino certum est, præceptum caritatis, & amoris Dei super omnia etiam alias obligari in tempore, saltem aliquando in vita.* Iam num. 33. indicaverat damnatam propositionem quæ ultra quinquennium extendebat necessitatem amoris, atque adeo debitum repetendum actuum intra quinquennium. Deinceps ultima conclusione decretorie resolvit, amandum esse Deum *saltem aliquando in vita?* Cur aliquando in vita, si sæpius intra lustrum amandus est Deus, & saltem ut minimum singulis annis?

XI. P. Castropalaus tract. vi. disp. i. punct. 4. n. 9. *Quanto asserunt alii, instante periculo mortis, etiamsi peccati mortalis conscius non sis, immo etiamsi illius conscius sacramentaliter confitearis, te obligatum esse Deum super omnia diligere, . . . Fateor, hanc obligationem esse satis probabilem, & in praxi semper consulendam; at non est omnino certa, si peccati mortalis conscius non es: nam illam vitentur Azor. Sanch. Per caritatem, inquit Angelicus, assequimur ultimum finem, Deoque coniungimur. Instante separationis momento a hoc mundo, & coniunctionis cum Deo, non iubemur actum elicere amoris, qui medium est quo reapse Deo copulemur?*

XII. Idem loc. cit. num. 9. *Septimo alii dicunt obligare hoc præceptum, primo, cum martyrium est subeundum, vel aliud egregium, difficileque opus aggrediendum: quia expedit tunc firmare animum Dei obsequio. Sed ego convenientiam agnoscam, obligationem improbo.* Christianus ergo, tyranno mortem minante, ac morte ipsa imminente, actum caritatis qua & Deum, & tyrannum amet, atque seipsum confirmet roboratque ad subeundum agonem, immanaque supplicium, edere non attingitur? Conveniens id erit; necessarium non erit?

XIII. Idem loc. cit. num. 10. *Hac ergo obligatione existimo quemlibet adultum teneri non singulis annis, ut placuit Petro de Ledesma, quia hoc est nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur; sed aliquoties in vita*

vita . . . *Reputarem autem dilationem trium annorum esse gravem.* Nimis durum est suavibus amicitia amplexibus singulis annis Deum parentem, provisorum, conservatorem, redemptorem, benefactorem nostrum amare? Beatitudo cordis amor est. Durum ergo beatitudine gaudere?

CAPUT III.

Caritatis theologica notio, & obiectum.

I. ANTEQUAM theologica caritatis notionem prodo, variam huius nominis caritatis acceptionem præmittam fas est. Caritas idem est ac amor. Amor generatim acceptus est motus voluntatis in bonum. Triplicem distinguere amorem Theologi solent, *concupiscentiæ, benevolentia, amicitia.* Primo nobis bonum quodpiam congruum optamus. Secundo bonum proximo facimus, aut desideramus. Tertio mutuo amamur. Istius amoris amicitia tres veluti species assignat D. Thomas 2. 2. quæst. xxiii. art. 5. nempe utilis, delectabilis, & honesti. Amicitia utilis illorum est qui ob utilitatem sese diligunt. Altera est eorum qui ob voluptatem quam ex amore capiunt, se diligunt. Tertia eorum est qui amicis bona volunt ipsorum amicorum causa. Hæc tertia vera amicitia est; duæ priores similitudinem, & quidem languidam, amicitia præferunt: quippe non amant aliquem per se, sed secundum quod utilitatem, aut commoditatem adfert. Amicitia porro definiiri solet hoc pacto: *Est mutua benevolentia in quadam communicatione consistens.* Eam Philosophus vocat Lib. VIII. Ethic. cap. II. *benevolentiam mutuam non latentem.* Prærogativæ, seu conditiones ad veram amicitiam requisitæ, sunt sequentes. Prima, ut amor sit non concupiscentiæ, quo, ut dictum est, aliquis amat propter nostrum commodum; sed amor benevolentia, quo alteri bonum volumus. Altera, ut sit mutuus amor, quia amicus amico amicus est. Quare si quis non redamatur ab eo quem amat, amans, non amicus dicitur. Hinc D. Thomas ait, quod Deus amicus peccatorum dicitur, quatenus amans, fecus ut amatus. Tertia, ut amor iste super aliqua communicatione bonorum honesta fundetur. Addi alia conditiones solent: nempe quod mutuus amor non lateat, quod sit animorum unitas, secretorumque communicatio, & quod alter alterius voluntatem faciat. At hæc omnia sub tribus assignatis proprietatibus continentur.

II. Amor benevolentia erga Deum alius

est habitualis, alius actualis. Item alius naturalis, quo Deus ut Auctor naturæ diligitur: alius supernaturalis, quo ut gratia, & gloriæ auctor amatur. Quæ distinctio & rationi, & Scripturarum consonat auctoritati. Quippe tum ratio, tum Scriptura nobis mirabile mundi huius ædificium ob oculos representant, ut ex illius intuitu ad amorem divini artificis, qui tam varia, & exquisita cuiusque generis bona nobis contulit, excitent. Bona vero gratia, & gloriæ fides divina nobis manifestat, auribusque meditanda inculcat, ut divinum largitorem amore prosequamur. Iure ergo, & merito proscripta est propositio Michaelis Baii, quæ est ordine 34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor nature, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatorum, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata.* Denique amor Dei alius est affectivus, qui animam afficit, & in corde dulciter fervet, atque delicias suas ibidem effundit: alius est effectivus, qui foras erumpit, & bona operatur. Hic etiam efficax appellari solet, ut distinguatur ab amore inefficaci qui languidum desiderium, & velleitas simplex nuncupari solet. Alius dicitur remissus, alius intensus. Denique alius appetitivus, qui præfert Deum omnibus creaturis; alius intensivus, qui iuxta plures iuniores non solum Deum super omnia amat, verum etiam quamdam sensibilem teneritudinem, fervoremque inducit in animam.

III. Ultimo tandem notandum est, tria hæc vocabula *amorem, dilectionem, & caritatem* ita distingui, ut amor latius pateat quam dilectio, & dilectio quam caritas. Amor, quippe tum in bono, tum in malo sensu accipitur. *Erunt homines* (inquit Apostolus II. ad Tim. III.) *se ipsos amantes.* Idem de dilectione dicendum. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: Psal. x. At Amor non solum rationalis, sed etiam sensibilis appetitus partus esse potest; dilectio vero solius rationalis. Caritas solum in bono sensu accipitur a Theologis, residetque in appetitu rationali. Tandem caritas theologica aliquando sumitur pro suo obiecto: *Deus caritas est*: aliquando pro amore Dei in homines: *caritate perpetua dilexi te.* His prælibatis finitio caritatis theologica exhibetur.

IV. Notio caritatis theologicae pro habitu accepta hæc est: *Virtus est divinitus infusa, qua Deus propter se, & proximus propter Deum diligitur.* Singula exponenda sunt

particulæ. Dicitur *virtus*, quia, ut inquit S. Thomas 2. 2. *quest.* xxiii. *art.* 3. caritas est principium actus attingentis primam regulam non solum naturalem, quæ est ratio, sed etiam supernaturalem, quæ est Deus. Quare scribit Augustinus epist. xxix. *Virtus est caritas, qua id quod diligendum est, diligitur.* Altera particula *divinitus infusa* prodit caritatem theologicam supernaturalem esse, quæ a solo Deo animabus nostris infunditur, ut dicit Apostolus ad Rom. v. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Additur: *qua Deus propter se diligitur.* Caritas Deum amat, ut Deus est. Deus autem ut Deus, propter se, & a se est, ac super omnia alia a se. Diligit ergo caritas Deum propter se, & super omnia. Per hanc particulam *propter se* differt caritas a spe. Spes diligit Deum super omnia; sed in Deo non sistit, sed Deum sibi propitium, largitorem, clementemque desiderat. Additur: *& proximus propter Deum.* In hac particula *proximus* primum nos, deinceps omnes creaturæ rationales æternæ gloriæ capaces intelliguntur. Hæ omnes propter Deum amantur, dum caritate diliguntur: quia ratio, seu motivum, ut vocant, formale caritatis est bonitas ipsius Dei, vi cuius tam Deus debito ordine, quam proximus diligitur.

V. *Quest.* I. *Quodnam sit obiectum caritatis theologice?* Resp. Obiectum cuiusque virtutis aliud formale, aliud materiale est: seu aliud *quod*, aliud *quo*. Obiectum materiale, seu *quod*, primum caritatis Deus est: secundarium est proximus propter Deum. Quod Deus secundum omnes suas perfectiones sit obiectum primum caritatis, res clara est. Nam, inquit Augustinus Lib. I. de Doct. Christ. cap. xxiii. *cum quatuor sint diligenda: unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod iuxta nos est, quartum quod infra nos est: de secundo, & quarto nulla præcepta danda erant.* Obiectum quod supra nos est, Deus est solus, quem primum, & principaliter diligere, & in quem omnia referre debemus. Quod nos sumus, est persona nostra, anima, & corpore constata. De hoc non erat dandum præceptum: quia, ut docet Apostolus Ephes. v. *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet.* Modus ergo (subdit Augustinus loc. cit. cap. xxiv.) *præcipiendus est homini, id est quomodo se diligat, ut pro sit sibi.* Quod iuxta nos est, est omnis rationalis creatura, sive Angelus, sive homo, sive in-

fidelis, sive fidelis, sive infidelis, sive peccator; omnes denique qui æternæ beatitudinis sunt capaces. Quod infra nos est, sunt res omnes natura, & statu inferiores. De hoc quoque præceptum dandum non erat, quia creaturæ irrationales capaces non sunt beatitudinis; ideo non ingrediuntur obiectum secundarium caritatis. Possunt tamen aliquo modo diligere, quatenus in Dei gloriam referuntur. Hinc optime Augustinus loc. cit. cap. xxvi. *relatis duobus præceptis diligendi Deum, & proximum, concludit: Nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. De dilectione tua nihil dictum videtur, sed cum dictum est: Diliges proximum tuum tanquam teipsum; simul & tui abs te dilectio non prætermissa est.* Quare merito antea dixerat, non fuisse peculiare præceptum dandum de sui ipsius amore, quod in proximi præcepto inclusum sit. Amor porro quo quis seipsum diligit, caritatis quidem est; sed non amicitie, quæ non nisi inter duos haberi potest; sed benevolentie. Quemadmodum nec creaturæ irrationales, nec dæmones amore amicitie amari ullo modo queunt; sed amore caritatis, seu benevolentie diliguntur, quatenus illarum naturarum conservationem ad Dei gloriam permanere avemus, inquit D. Thomas 2. 2. *quest.* xxv. *artic.* II: *Ex caritate diligimus creaturas irrationales, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & utilitatem hominum, ut dictum est. Et per hunc modum naturam demonum etiam ex caritate diligere possumus, in quantum scilicet volumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei.*

VI. *Quest.* II. *Quodnam sit caritatis obiectum formale?* Resp. Est infinita Dei bonitas propter se amabilis. Hac siquidem ratione caritas ab aliis duabus theologis virtutibus distinguitur: a spe, quæ Deum spectat ut bonum nobis, & sub ratione omnipotentie conferentis auxilia quibus bonum expectatum comparemus: a fide, quæ Deum inspicit ut verum sub ratione primæ veritatis revelantis. Hæc omnia communia sunt apud Theologos cum D. Thoma 2. 2. *quest.* xxiii. *art.* 5. *ad 2.* & *art.* 6. *in cor.*

CAPUT IV.

Prærogativa caritatis theologice.

I. **P**icturam quamdam theologice caritatis formare lubet, eiusdemque excellentiam indicare, tamen optimo simus pen-

nicillo destituti, coloresque desint, quibus splendidissimum virtutis reginæ vultum referre valeamus. Sed non propterea quadam saltem lineamenta adumbrare omittendum nobis est. Prima caritatis theologice prærogativa est amicitia Deum inter & homines. Contraria Durandi opinio in IV. *dist.* xlix. *quest.* iv. falsa prorsus est. Quippe caritas infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei: inquit Auctor divinus Sap. 1. & David Psal. cxxxviii. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Item Ioannes cap. xiii. *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* At numquid commemorabo tot celeberrimos Dei amicos, ut Moysen, Abraham, Ioannem Baptistam, Ioannemque Evangelistam, quorum familiaris cum Deo amicitia in Scripturis describitur? ut Exod. xxxiii. Iud. iii. Isai. xli. Iacob. ii. Ioan. iii. *Si vis vera amicitia delectari,* (inquit Hieronymus in cap. vii. Michææ) *esto amicus Dei, sicut Moyses, qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum: esto amicus ut Apostoli, ad quos Salvator ait: Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Verum utique est etiam homines scelestos a Deo quandoque amicos appellari, ut Matth. xxii. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* & cap. xxvi. *Iudam proditorem alloquens interrogavit: Amice, ad quid venisti?* Quæ sane phrasæ non efficiunt, sed profunt assertioni nostræ. Licet enim homines perverfi non sint amici ut amantes, sunt tamen amici ut amati, quatenus Deus benevolentiam suam erga impios ostendit, significatque se illos, non ut perversos & rebelles, sed ut redemptionis suæ pignora diligere. Prærogativa amicitie sunt mutua benevolentia, bonorumque communicatio. His vero mirum in modum caritas fulget. Deum nos amamus, ipsius pellecti bonitate de eiusdem infinitis gaudemus perfectionibus, illi gloriam, honorem, cultum, obsequiumque optamus: cor, animam, omniaque nostra in sacrificium illi litamus. Vicissim ille nos infinito suo prosequitur amore: *Ego diligentes me diligo:* Prov. viii. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum:* Ioan. xiv. Sua vero infinita bona non solum communicat, sed effundit, ac prodigit, si ita loqui fas est. Gratiâ nobis confert, quæ suæ nos efficit naturæ consortes. Caritatem infundit, quæ valorem æterni præmii operibus nostris donat, nosque infinite illius gloriæ quæ ipse vivit, & gaudet, participes reddit. Omnia itaque quæ amicitie iura sibi vindicant,

amor quo Deum amamus, possidet. Quid inæqualitatem obtrudis personarum? Quoniam amicitia proportionem, similitudinemque, secus æqualitatem requirit. Inter sponfam & maritum, patrem & filium vera amicitia ardet; tamen si disparis sint dignitatis, & gradus. Quid quod Deus humanam naturam unione hypostatica sibi copulavit, & ad divinitatis fastigium evexit; & ut quamdam æqualitatem nos inter & seipsum constitueret, suam ad nos maiestatem inclinavit, nostramque vilitatem ad suæ naturæ participationem exaltavit?

II. Secunda caritatis prærogativa est quod sit animæ vita, sicut corporis vita anima est. Quippe per caritatem Spiritus sanctus animam nostram vivificat, in eam illabitur, diciturque ab Augustino ipse animæ vita ser. v. de verb. Dom. *Sicut anima est vita corporis, sic anima vita est Deus. Sicut expirat corpus, cum animam emittit, ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amissus mors anima, anima amissa mors corporis.* Beatitudo, & vita cordis amor est. Amor quo fluxa, & caduca huius vitæ bona diliguntur, vita cordis non est: quia quemadmodum bona in nihilum occidunt, sic & amor; atque adeo cor quod in eadem morituro amore rapitur, ad mortem properat. Solus ergo amor æternæ vitæ, felicitas, & vita cordis est. Hæc vita quam amor divinus hic inducit, duratura æternum est. Manet enim caritas viæ etiam in patria.

III. Tertia prærogativa caritatis est quod sit donum a Deo infusum, nullis nostris antecedentibus meritis, nullaque nostra naturali capacitate spectata. Quoniam, ut inquit Angelicus, caritas amicitia cum Deo est super æternæ beatitudinis communicationem fundata. Hæc autem communicatio gratuita est. Igitur & caritas, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datur nobis. Neque repugnat Synodus Tridentina *sess.* vi. cap. vii. ubi ait: *Spiritus sanctus partitur pro ut vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Nam quod sit gratia, & comitans caritas donum mere gratuitum Dei, non excludit conatum, atque cooperationem liberi arbitrii. Nam & ipsa impii iustificatio donum Dei gratuitum est: nec propterea anima tamquam stupidum instrumentum se habet; sed Dei gratia præventa se se ad eam recipiendam disponit. Hinc quandoque Doctores catholici aiunt gratiam, caritatemque Deum infundere secundum quantitatem, & mensuram dispositio-

nis, & bonorum operum recipientis. Quoniam hic est divinæ providentiæ fixus ordo, ut vi gratiæ a Deo nobis omnino gratis communicatæ apti efficiamur ad ampliora recipienda carismatum dona, velitque Deus operam nostram atollere, atque locum partemque nobis in tam sublimi negotio impertire. Omnia tamen a sua infinita proficiunt bonitate, profluuntque a fonte passionis Domini nostri Iesu Christi, qui meritorum suorum intuitu omnia nobis communicat. Hoc in sensu illud intelligitur: *Dedit unicuique secundum propriam virtutem*: Matth. xxvi. secundum propriam virtutem gratia fultam, secus secundum virtutem naturalem.

IV. Quarta caritatis prerogativa est valor quem ceteris operibus tribuit. Habent utique ceteræ virtutes ex proprio obiecto suam honestatem, bonitatemque; verum, ut vitæ æternæ corona redimitæ appareant, sigillo caritatis distinctæ sint oportet. Nisi sigillum istud in fronte illarum splendeat, custos ianuæ regni cælestis nequaquam earum titulo animas ad Sponsi amplexus admittit, neque ad convivium divinum, donec vestem hanc fulgentissimam induerint. Innumera alia sunt caritatis privilegia, quæ modo describere non vacat. Illius extensio ad omnes creaturas, ordine servato, non infimum locum tenet. De hoc ordine iam supra indicatum est, & in præsentia id solum addam quod Augustinus scribit Lib. I. de Doct. Christi. cap. xxviii. *Omnes autem homines æque diligendi sunt. Sed cum omnibus prodesse non possis, potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus restrictius tibi, quasi quadam sorte, iunguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil iustius faceres quam ut sorte eligeres cui dandum esset quod dari utrique non posset: sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatus adherere potuerit. Ex hac Augustini doctrina palam est ordinem cælestem caritatis, ordinem quodammodo imitari ipsius naturæ in bonorum communicatione. Nam sicuti natura primum in propinquiores, dein in remotiores sua effundit bona; sic caritas primum Deum, qui ceteris omnibus nobis inferior est, cum in ipso vivamus, & simus; deinde nos ipsos, & postea proximum secundum æquam distributionem respicit.*

CAPUT V.

De præcepto caritatis. Recentiorum opiniones. Vera sententia exponitur.

I. **N**atura clamat, effectorem nostrum diligendum esse, Scripturæ inclamant, remuneratorem, glorificatorem, atque redemptorem nostrum dignum esse ut toto corde, totisque viribus a nobis diligatur. Amor iste principium est, & finis religionis christianæ. Amor generis humani e cælis in terram Deum devocavit; &, ut cælestem amoris istius flammam in nos accenderet, hac indutus mortali carne passus, & mortuus est, & resurrexit. Qui ergo amorem hunc hominis erga Deum negat, uno ictu totam simul evertit religionem nostram. Nemo unquam Christianorum, nedum Theologorum, præceptum amandi Deum negavit, cum nihil frequentius Scripturæ inculcent quam maximum primumque mandatum istud. Quid ergo in controversiam Theologi vocant.

II. Recentiorum quorundam Theologorum placitum fuit, divinum hoc mandatum non præcipere actum formalem, explicitumque amoris, sed dumtaxat præceptorum divinæ legis observationem. Docuerunt, fideles hoc maximum potissimumque mandatum implere, si cetera divinæ legis præcepta servaverint. Hinc distingere obligationem *per se*, & obligationem *per accidens*. Obligare divinum hoc mandatum per accidens, quando medium reputatur necessarium ad alia implenda præcepta, omnes fatentur Catholici. Totæ ergo controversia in hoc sita est, obliget ne hoc præceptum *per se ad actum explicitum amoris caritatis qua Deum super omnia diligamus*.

III. Tres, ut prænotavi, hac de re propositiones anathemate confixit Innocentius XI. nempe 5. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. 6. *Probabile est ne singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum*. 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam qua iustificari possimus*. Hanc septimam propositionem docuisse Azorium Tom. I. Lib. IX. cap. IV. videtur satis manifestum: & concedit ipse Cardenas *dissert. VI. cap. I. num. 5. saltem si sola spectetur editio anni 1600. cui defunt nonnulla verba, quæ in posteriori editione questionum VI. de fide cap. VII. Lib. VIII. inserta tuere, ut ille contendit. Ut ut sit de illius*

mente in questione citata de fide, loco laudato de caritate; ubi ex professo rem discutit, conceptis verbis docet, caritatis præceptum tunc dumtaxat urgere, cum fuerit ad poenitentiam peragendam necessarium. Nihil tamen in ceteris suis sententiis ob hanc opinionem auctoritatis amittere debet Azorius, Doctor inter morum Theologos, mea quidem sententia, valde gravis, solidæque doctrinæ ut plurimum strenuus assertor, quando Probabilissimi nubes non officit.

IV. Quid posteriores Theologi nonnulli, Tamburinus, Sancius, Sporerius, docuerint, supra indicatum est. Paucis in præsentiarum perstringere lubet peculiarem P. Antonii Sirmondi hoc de argumento sententiam. Librum hic evulgavit, quem inscripsit *Defensionem virtutis*, ubi tract. II. sect. I. cap. II. proponit questionis difficultatem his verbis: *An mortali piaculo præceptum illud violaret qui nullum unquam divini amoris actum eliceret?* Sanctus Thomas 2. 2. quest. XLIV. art. 6. *videtur id negare, idque demum ad vitandam damnationem exigere, ne quid contra suam dilectionem agamus. Si hæc, quem admodum quidem videtur, est S. Thomæ doctrina, eius auctoritate fretus, libenter dixerim, cum Deus amorem suum nobis imperat, nihil præcise aliud a nobis exigere quam ut ipsi in aliis mandatis pareamus*. Et paulo post: *Itaque vide bonitatem Dei. Non tam præcipit amorem sui quam odium vetat: sive formale, & actuale, quod non humanum, sed diabolicum est; sive materiale, quod in mandatorum transgressione positum est. Næ exquisitum divinæ bonitatis elogium! Amor cordis vita, & beatitudo cordis est. Hanc felicitatem, hanc beatitudinem si præciperet Deus, iugum arduum, tetricum, severumque præciperet. At tanta est, inquit Sirmondus, illius bonitas, ut non tam amorem iubeat, quam odium vetet. Hæc ultima divinæ bonitatis meta Sirmondo videtur. Nos vero inmensam Dei bonitatem, ob id potissimum extollendam dicimus, quod suavissimum amicitiaæ fœdus nobiscum inierit, quod ad mutuos sui amoris amplexus admisit, quod aureis præcepti vinculis secum nos coniunxerit, quod hanc cælestem coniunctionem, sanctumque animarum nostrarum cum seipso connubium firmaverit. Verum Sirmondus præceptum istud *rigoris* appellat. *Duo distingue præcepta; alterum rigoris, alterum clementiæ: duos amores; alterum affectus, alterum effectus. Qui, quantum potest, præcipit, at nullam apponit poenam, saltem gra-**

venem; huius mandatum totum melleum est. Adde minas; iam fit rigoris mandatum. Non ergo melleum, sed amarum illud est: Qui non diligit, manet in morte. Qui non diligit Dominum Iesum Christum, anathema sit.

V. Hæc Sirmondi doctrina multos experta est adversarios, quibus ille alium libellum opposuit, quem ita inscripsit, *Responsio ad libellum famosum*, ubi pag. 7. adversarium suum impostorem appellat, quod scripserit, Sirmondum negasse, divinum præceptum amorem præcipere sub damnationis æternæ poena. *Calumnias*. (inquit Sirmondus.) *Non hæc doctrina mea, sed sancti Thomæ, cuius eam nomine protuli. . . . Queritur inter nos, an præter legis mandata sub poena peccati mortalis, duo alia de diligendo Deo, & proximo implere teneamur? Dixeram S. Thomam videri sensisse ista mandata novam obligationem non inducere: dixeram me primum in eam sententiam esse, si ita esset: tam multe in ea probabilitates apparebant. Sed fac me hoc affirmate dixisse. Quid tum? Si nihil tibi vitio vertis affirmate divini amoris obligationem nullam asserere; quid ergo tergiversaris? Quid S. Thomæ errorem affingis, quem numquam somniavit? Sed clariorem ab ipso sententiæ suæ expositionem audiamus. Multum refert (subdit) bene intelligi, quid distet ea opinio quam mihi tribuis, ab illa quam certam in Ecclesia putas. Dicit in tua sententia Deus: Ama me, alioquin in aeternum te perdam, etsi timore, aut alio laudabili fine ita coram me humilis fueris, ut numquam transgressione ullius præcepti, accepta in baptismo gratia spoliari merueris &c. . . . In mea autem sententia, si hoc tueri velim, hoc dicit Deus: ama me, hoc iubeo: non tam districte tamen, ut si nihil adversus debitum mihi tot titulis amorem facias, æternis te supplicis velim adire. Denique, ut Scripturarum apertissima oracula eludat, constituit præcepta amoris divini toties in Scripturis repetita amorem imperare habitualement, secus actualement.*

VI. Hæc referre volui, non ut Sirmondo notam aliquam impingerem, sed tantum ut D. Thomam a calumnia liberarem. Sirmondi sententia apertissime mihi falsa est. Nullum quippe præceptum in lege est cuius gravis transgressio poena æternæ non addicat transgressorem. Cum ergo Sirmondus admittat divini amoris præceptum, cur illud vanis distinctiunculis de medio tollere nitatur, satis mirari non sinit. Distinctionem amoris affectivi, & effectivi in erroneum sensum

detorquet. Amorem quippe effectivum in exteriori mandatorum observantia constituit sine interiori affectu; quod nemo Theologorum asseruit. Siquidem tam amor affectivus, quam effectivus, pondus, seu actus voluntatis sunt, hoc solo discrimine, quod affectivus intra intimos voluntatis sistit recessus, effectivus confinia illa interiora prætergreditur, forasque erumpit, atque operum securitate oculis observatur manifestus. Sed tempus iam est ut pauca in D. Thomæ defensionem dicam, non quod hac ille egeat, sed potius ut palam fiat, quantum per iniustitiam, ne plus dicam, erroneam opinionem tanto Doctori asperferit Sirmondus.

VII. D. Thomas pluribus in locis maximum divini amoris præceptum exponit, traditque peculiare voluntatis actus iubere 2. 2. quæst. xlv. art. 1. ad 1. *Modus dilectionis non cadit sub illis præceptis quæ dantur de aliis actibus virtutum . . . cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus.* Item 1. 2. quæst. c. art. 10. *Actus caritatis dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est quidam actus per se; & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum; & quantum ad hoc primi verum dixerunt, modum scilicet caritatis esse sub præcepto. Alio modo potest considerari actus caritatis, secundum quod est modus actuum aliarum virtutum, hoc est secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad caritatem quæ est præcepti finis, ut dicitur I. ad Timoth. 1. . . & hoc modo est verum quod secundi dixerunt, quod modus caritatis non cadit sub præcepto: hoc est dictum, quod in hoc præcepto, Honora patrem, non includitur quod honoretur pater ex caritate, sed solum quod honoretur pater: unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur transgressor huius præcepti, nisi sit transgressor præcepti quod est de actu caritatis; propter quam transgressionem meretur pœnam. Clarius, & enucleatius reicere Angelicus nequiverat commenta Sirmondi. Attamen, ne ullus elabendi locus relinquatur, unum & alterum textum adicere lubet, ut effugium Sirmondi, quo obligationem præcepti inflectit ad amorem habitualem, secus ad actualem, præcludatur. 2. 2. quæst. xlv. art. 2. ad 1. *Præcepta autem dantur de actibus virtutum: & ideo oportuit esse plura præcepta caritatis.* Item art. 4. in corp. *Cum præcepta dentur de actibus virtutum, hoc modo aliquis actus**

cadit sub præcepto, secundum quod est actus virtutis. Omitto innumera alia loca, tum propter brevitatē, tum quod res suapte natura perspicua sit. Præcepta enim a legislatore nunquam conduntur eo fine, ut nihil oneris subditis imponant: otiosa enim essent, & inania, si nihil agendum præciperent. Nihil amplius in defensionem S. Thomæ, & in confutationem Sirmondi adicimus. Perspicuum siquidem est, divinum mandatum non modo exteriorē effectum, sed interiorē quoque affectum, actualemque, & non tantum habitualem, amorem præcipere.

VIII. Quæ Sirmondus ex D. Thomæ obiicit, paucis perstringemus. Primus textus quem opponit, habetur 2. 2. quæst. xlv. art. 4. ad 2. ubi scribit, quod dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere. *Uno quidem modo in actu, id est ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur; & ista est perfectio patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, in scilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat; & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum caritatis, cum non tendat in oppositum obiectum, sed solum impedit caritatis usum.* Quibus in votis est veritatem caligine involvere, verba ex Auctoribus decerpunt quæ fucum facere illis sint apta qui Auctores in fonte, ut dicitur, non legunt. D. Thomas in laudata quæstione tribus articulis ostendit actum caritatis cadere sub præcepto. Art. 4. non de actu, sed de modo actus sermonem habet: quærit quippe, convenienter ne præcipiatur amor Dei toto corde; decernitque congruum fuisse ut designaretur quædam totalitas . . . circa præceptum de dilectione Dei: duplicemque distinguit totalitatem: alteram patriæ, quæ semper actuali amore ardet; alteram viæ, quæ ob mortalis vitæ imperfectionem perenni flamma splendere nequit, seu amare continenter, & actu Deum nequit. Ideo hæc totalitas habitualis vocatur, seu propositum quoddam, animique promptitudo nihil in cor recipiendi quod Dei dilectioni. Ne multa: D. Thomas non duplicem hic amorem explicat, sed duplicem totalitatis modum: quorum unus patriæ proprius est, alter viæ. Quod ex art. 6. ad 2. obrudat Sirmondus, nos cogit ut maiorem illi optemus sinceritatem. Quærit in hoc articulo Angelicus, possitne divinum mandatum in via impleri. Respondet, perfecte impleri in patria, imperfecte tantum in via. Ad secundum ar-

gumentum respondet: *Qui in via hoc præceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter.* De iustis qui venialiter quandoque peccant, sermo hic est, ut ex ipso argumento constat. Quare si ex iis quæ extrinsecus apparent, iudicium ferendum esset; immunis a fraude, aut nimia oscitantia non evaderet Sirmondus similia obrudens. Non maiorem vim habent quæ hic Auctor opponit ex *opus. xviii. cap. v.* ubi Angelicus docet, omnia opera nostra in Deum actu, vel habitu referenda esse, quod omnes docemus. Neque illa disiunctione significatur actum amoris non præcipi; sed modus amoris, quo opera nostra in Deum dirigimus, indicatur, ut supra dictum est. Quod tamen, ut antea quæque cavillandi tollatur, dum cum D. Thomæ dicimus, præcepto scilicet caritatis nos devictos esse ad omnia in Deum referenda actu, vel habitu, sensus haud est quod alterum semper sufficiat; sed quandoque urget præceptum ut omnia actu in Deum referamus; quandoque satis est animi præparatio, & promptitudo, qua voluntas in habitu constituta est, seu in actu virtuali, quo parata est omnia in Deum referre. Præceptum quippe omnia in Deum referendi adfirmans est, quod non pro semper obligat ad actum, neque solum ad habitum, ut optime explicat pluribus in locis Angelicus. Lege *quæst. disput. de carit. art. xi.* ubi explicat verba Apostoli, *Seve manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite: decernitque in eisdem præceptum contineri.* Porro subdit: *Præcepta legis sunt de actibus virtutum. Habitus autem non cadit sub præcepto.* Non ergo PRÆCEPTUM Apostoli intelligitur de habituali resolutione nostrorum actuum in Deum, sed de actuali.

IX. Vera iam Catholicorum exponenda sententia est. Actus interior caritatis adultis necessarius est necessitate tum mediæ, tum præcepti. Quoniam omnibus adultis beatitudo æterna conferenda est, non modo ut hereditas, sed rependenda etiam est ut merx debita illorum bonis operibus. Opera autem nostra, nisi signaculum impressum habeant caritatis, valorem nullum habent, quo æterna merx acquiratur: quoniam inquit Apostolus I. Cor. xiii. *Si habuero omnem fidem . . . & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ubi de actu, non de habitu, sermo est. Habi-

tus necessarius est pueris cum solo baptisate decedentibus, quibus beatitudo æterna, ut hereditas debita filiis regentis, respondet. Adultis vero necessarius actus est, quo Deum diligant reapse, sibi que applicent merita Iesu Christi, acquirantque, ut victores milites, coronam suis victoriis paratam.

X. Necessitas præcepti adeo frequens in Scripturis est, ut nihil occurrat magis incalcatum; quod præceptum speciale est, & peculiare interiorē actum amoris iubens, secus generale inclusum in aliis mandatis. Ex multis Scripturarum textibus pauci transcribuntur. Deuter. vi. vers. 4. & seq. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis; & meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque, & movebuntur inter oculos tuos: scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ.* Quatuor Evangelistæ concordī voce hoc præceptum tamquam primum, & maximum mandatum prædicant. Matthæus cap. xxii. *Magister quod est mandatum magnum in lege? ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* D. Ioannes cap. xiv. vers. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate: vers. 23. Si quis diligit me sermonem meum servabit: vers. 24. Qui non diligit me, sermones meos non servat: vers. 21. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei in seipsum.* Plures alios textus transmitto, solumque addo illum Apostoli Pauli I. ad Cor. xvi. vers. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha.*

XI. D. Thomas 2. 2. quæst. xlv. pluribus articulis explicat hoc primum, maximumque mandatum quo actus supernaturalis dilectionis nobis præcipitur. Pluribus momentis evincit Angelicus hoc speciale præceptum. Caritas virtus specialis est. Præcepta autem dantur de actibus virtutum. Quæ ergo ratione virtus caritatis

peculiaris est, eadem præceptum imperans illius actus speciale est. Accedit quod id cadit sub præceptum peculiare quod habet rationem debiti: actus autem caritatis habet rationem debiti: nam sine tali actu non possumus Deo uniri, quod est finis vitæ spiritualis. Est autem (inquit Angelicus artic. 1.) aliquid debitum dupliciter: uno modo PER SE: alio modo propter aliud. Per se quidem debitum est in unoquoque negotio id quod est finis: quia habet rationem per se boni. Propter aliud autem est debitum id quod ordinatur ad finem. . . . Finis autem spiritualis vitæ est ut homo uniaturo Deo, quod fit per caritatem; & ad hoc ordinantur sicut ad finem omnia que pertinent ad spirituales vitam. . . . In quolibet autem genere id quod est per se, potius est eo quod est propter aliud: & ideo maximum præceptum est de caritate. Plura alia afferre tum ex eodem articulo, tum ex sequentibus possem; sed nolo in re perspicua diutius immorari.

XII. Nonnulla ex aliis Patribus qui non tam præcepti peculiaris necessitatem (hanc enim certam manifestamque supponunt) quam perenne amoris istius exercitium suadent, delibabimus. Augustinus Lib. I. de Doctrin. christian. capit. xxii. Hec enim regula dilectionis divinitus constituta est. Diliges, inquit, proximum tuum sicut te ipsum; Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam tuam, & omnem intellectum in illum conferas a quo habes ipsa que confers. Cum autem ait, Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit que vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligit Deum. Si enim eum diligit tamquam seipsum, totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem Dei, qui nullum a se rivulum duci extra patitur, cuius derivatione minuat.

XIII. Rursus hoc mandatum explicat Lib. I. de moribus Eccl. cap. xi. Si igitur diligentes Deum omnia procedunt in bonum; & summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse NEMO AMBIGIT, sed ita diligendum ut nihil amplius diligere debeamus; idque significatur,

& exprimitur quod dictum est: Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente: quis, queso, dubitaverit, his omnibus constitutis, & firmissime creditis, nihil nobis aliud esse optimum, ad quod adipiscendum, post positis ceteris, festinare oporteat, quam Deum? Item si nulla res ab eius caritate nos separat; quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest? Sed singula breviter attendamus. Nemo nos inde separat minando mortem: id ipsum enim quo diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diligit Deum, quod nihil est aliud quam ei quidquam in diligendo, atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam &c. Persequitur fuso calamo textum Apostoli explicare.

XIV. D. Bernardus mellifluis suo eloquio melleum hoc mandatum explicat pluribus in locis. Sed primum omnium adducendus est textus quem opponit P. Antonius Sirmondus, quo evincere contendit, D. Bernardum docere Dei mandatum iubere amorem effectivum, secus amorem affectivum. Est caritas (inquit D. Bernard. ser. 1. in Cant.) in actu: & est in affectu: & de illa quidem que operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista ad premium. Hic est textus quem Sirmondus obtrudit, ut suam commentum aliquo fisco deliniant. Nihil quippe in Patribus adeo perspicuum, exploratumque est quod non possit in pravum sensum usumque infecti. Sed Bernardum seipsum interpretantem audiamus. Sic enim ibidem persequitur. Non dico ut sine affectione simus, & solum moveamus manum ad opera: legi inter alia, que scribit Apostolus, magna, & graviora hominum mala, hoc quoque annumeratum, scilicet sine affectione. Sed est affectio quam caro gignit, & est quam ratio regit, & est quam condit sapientia. Prima est quam Apostolus dicit legi Dei non esse subiectam, nec esse posse. Secunda quam perhibet e regione legi Dei consentientem, quoniam bona est. Longe vero tertia ab utraque, que gustat, & sapit quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, sed turpis: secunda sicca, sed fortis: ultima pinguis, & suavis. Igitur per secundam opera fiunt, & in ipsa caritas; sed non illa affectualis, que sale sapientie condita pinguescens, ma-

quam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; sed quaedam potius actualis, que est nondum dulci illo amore suaviter reficit, amorem tamen ipsius amoris vehementer accendit.

XV. Eiusdem præcepti vim, & obligationem fuso explicat D. Bernardus serm. xx. in Cantica, Disce, o Christiane, a Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter: dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus: ne secularis spiritu mendacii, & erroris, luceat tibi veritas Christus: ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflamet caritas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invitatus. . . . Et vide ne forte tria ista tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Mihi videtur amor quidem cordis ad zelum pertinere affectionis; anime vero amor ad industriam, seu iudicium rationis; virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam, vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia, & circumspeditione: dilige & tota virtute, ut nec mori propter amorem pertimescas, quoniam fortis est ut mors dilectio.

XVI. Ex his quæ latius disputata sunt, colligas velim nitidam præcisamque divini mandati cognitionem. Mandatum ergo istud speciale est, & peculiare, quod iubet per se actum amoris. Falsa proinde recentiorum opinio, qua propugnabant, mandatum istud generale esse in aliis præceptis imbibitum, istorumque observantia sola, absque alio peculiari actu impleri. Ipsum verbi Diliges, quo conceptum mandatum est, actum, non habitum quemdam inertem, otiosumque prodit. Quare merito Augustinus Lib. III. de Doctr. christ. cap. x. vocat caritatem motum animi ad fruendum Deo propter se ipsum, & se, atque proximo propter Deum. Id ipsum clarius exponit D. Thomas, ut vidimus supra, ubi ex eodem palam fecimus, non de habitibus, sed de actibus præcepta dari. Quid quod Evangelistæ ipsi inane habitualis, inertisque amoris commentum reiecerit, potissimum S. Ioannes Epist. I. c. III. iubens ut non voce, non verborum so-

nitū, sed opere, & veritate diligamus? Quæ aliorum præceptorum omnium exemplis confirmari veritas potest. Cum lex iubet aliena restituere, elemosynas erogare, proximam errores corrigere, parentibus honorem exhibere, tributa Principibus pendere; numquid habitum tantum, secus actum ipsum præcipit? Quod si cetera omnia præcepta actibus implentur; qua fronte primum omnium mandatorum, quod est universæ legis finis, solum præcipere inertem habitum edocent? Verum cum hodie tam erroneam defendere opinionem non audeat, non est quod nos fufius illam insectemur. Satis ergo sit subicere anathema quo illam confixit summus Pontifex Alexander VIII. anno 1690. Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.

CAPUT VI.

Qualitas amoris quem præceptum imponit. Distinctio amoris appetitivi, & intensivi a recentioribus Theologis in sensu minus recto accepta. Amor necessarius ad implendum præceptum, non solum appetitivus, sed & intensivus sit necessum est.

I. SI recentiores quidam ipsum divinum mandatum de medio auferre pertentarent, alii non pauci mandatum excipientes, eiusdem vim obligandi ita extenuarunt, ut in nihilum ferme redegerint. Ut iam vidimus supra, P. Tamburinus Lib. II. cap. 1. num. 9. contendit, præceptum istud nullo tempore obligare, quod sit indeterminatum. Numquam præceptum aliquod (inquit) obligat, nisi sit determinatum: cum enim non possit ut indeterminatum exire in executionem, non censetur practice esse impletum. Propterea fufius probat, hoc mandatum non præcipere actum amoris explicitum, & per se, sed solum iustificationis consequendæ causa. Illius verba supra cap. II. dedimus. P. Antonius Sirmondus Tamburini Socius, postquam vanis distinctiunculis vim præcepti ad solam exteriorem præceptorum observantiam restrinxit, in examinem vocat tempus quo Doctores catholici actum amoris præcipi docent. Diligenti Dei (inquit tract. II. sect. 1. cap. 11.)

præcepto homines obligari affirmat S. Thomas statim ab usu rationis. Huius tam cito? Scoto singulis dominicis. Unde petitur? Alii, cum vi tentatio. Recte, si non esset alia via fugienda tentationis. Sotus post acceptum beneficium. Grati quidem animi istud iudicium est. Quidam in articulo mortis. Nihil ferum est. Ne quidem, quoties recipitur aliquod sacramentum, eam obligationem urgere existimo. Sufficit enim attritio cum confessione, si commode fieri possit. Aliquo tempore tenet censet Suarez. At quo? Tuo iudicio remittit. Ipse nescit. At quod ille nescivit, quis sciat, nescio. Plura iam dedimus supra ex hoc Auctore, qui docet Deum non tam præcipere amorem, quam odium vetare, scribitque pag. 24. Non parum esset, si semel in vita uno amoris actu fungeremur, atque hoc plus fieret quam quod in rigore præcipitur. Doctrina Sirmondi satis cohæret doctrinæ Tamburini.

II. Alii Theologi & præceptum, & vim præcepti admittentes, amoris a præcepto impositi qualitatem in examen vocarunt. Disputant, sit ne naturalis, an supernaturalis, appetitivus, vel intensivus amor quem mandatum præcipit. Hæc omnia sequentibus quaestionibus expendam.

III. Quæst. I. Præceptum diligendi Deum iubet ne amorem supernaturalem, an naturalem? Resp. Non una est Theologorum sententia. Valentia 2. 2. disp. III. q. XIX. punc. 1. P. Thomas Sanchez Lib. II. in Decal. c. xxxv. n. 4. docent, mandatum hoc absolute præcipere amorem supernaturalem; in quibusdam tamen casibus amorem solum naturalem. P. Castropalaus tract. VI. disp. 1. punct. 3. n. 2. contendit, mandatum istud nec supernaturalem, nec naturalem amorem præcipere; sed solum (inquit) ut amet Deum super omnia ob eius infinitam bonitatem, quantum cum Dei gratia possit... Ratio est manifesta, quia in tua potestate situm non est Deum amore supernaturali potius quam naturali prosequi &c. Hæc opinio mihi videtur falsa. Nam certum est præceptum istud amorem explicitum directe præcipere. Ergo aut naturalem, aut supernaturalem. Nec enim medius reperitur amor. Quapropter absolute respondeo, divinum mandatum amorem supernaturalem præcipere. Amor quippe naturalis a lege ipsius naturæ imperatur. Lex autem evangelica lex gratiæ est. Virtutes theologales, virtutes sunt divinæ supernaturales. Ergo quemadmodum præcepta fidei, & spei

actus iubent supernaturales; sic potiori iure præceptum caritatis, quod omnium maximum est, ad actus amoris supernaturalis obligat. Iubemur amare Deum ut ultimum finem, fide divina propositum, & summum bonum in seipso. Sed Deus ultimus finis, & infinite bonus in se, nobisque fide divina manifestatus tamquam gratiarum, donorumque omnium largitor, auctor est supernaturalis. Igitur amore supernaturali a nobis est diligendus. Et hæc sententia communis est.

IV. Quæst. II. Diligendus ne Deus vi præcepti super omnia non solum appetitivus, sed etiam intensivus? Resp. Amore quem Theologi appetitivum vocant, Deum prosequimur, cum Deum omnibus rebus præferimus, & anteponimus; cum tali amore flagrantem parati sumus omnia mala perferre, & bona omnia amittere, ne Deum offendamus. Amor quem intensivum appellant, supra præfatum amorem appetitivum, addit fervorem vehementiorem, conatum intensiorem, & insensibilem quasi teneritudinem. De hoc iterum infra num. 6. In præsentia communis exponitur Theologorum sententia; quæ est, nos vi præcepti diligere debere Deum amore appetitivo, minime vero amore intensivo. Res manifesta est, inquit. Nam ille amor nobis præcipitur qui efficax est ad observanda alia præcepta, & ad præferendum Deum omnibus creaturis. Sed amor appetitivus reapse anteponit Deum omnibus creaturis, fervare facit omnia præcepta, omnemque Dei offensam vitare: immo tantum nobis amor iste fortitudinis iniicit, ut aptos nos reddat ad omnia sustinenda mala, ne a Deo separemur. Idque confirmatur ex eo quod amor intensivus sub præceptum cadere non potest. Nam amor iste præcipi nequit in ultimo gradu intensivus; alioquin omnes amores essent æquales: & qui implet præceptum amandi Deum, æquaret amorem B. Virginis, ac ipsius Iesu Christi. Nullus designari gradus valet istius intensivus quæ vi præcepti debeatur. Intensio maior, aut minor amoris sæpe ex conditione temperamentis amantis hominis proficitur: eaque solemus intensius amare quæ sensibus nostris propinquiora sunt. Sic filius amittens patrem, sponsa destituta sponsa intensius dolet de iactura, & vehementius amat unionem sui sponsi quam doleat de amissione Dei, vel amet eiusdem coniunctionem. Ceterum re ipsa, si comparatio fieret, & filius, & sponsa magis æstimarent Deum,

Deum quam patrem, & sponsam, & parati essent perdere utrumque, ne Deum perderent. Hæc quoque sententia communis est penes Theologos. Contraria opinio de amore intensivo attribuitur Scoto in III. dist. xxvii. q. unic. §. De primo dico. Pro eadem P. Sanchez citat etiam P. Petrum Soto de Inst. Sacerd. lect. v. de iustif. At in tota illa lectione nec verbum habet hac de re, sed lectione xv. de pœnit. hanc versat quaestione, de qua iam iam.

V. Obiicies. Divinum mandatum iubet amare Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota fortitudine. Ergo non solum appetitivus, sed etiam intensivus amandus est. Resp. D. Thomas 2. 2. q. xlv. duobus articulis, nempe 4. & 5. explicat istius præcepti particulas, docetque illis significari Deum diligendum esse tamquam ultimum finem. Porro non potest ut finis ultimus diligatur, nisi omnia illi subiciantur. Eo ipso ergo quod Deum amamus ut ultimum finem, omnia illi supponimus, & omnibus creatis bonis illum anteponimus. Propterea ex toto corde, ex tota anima illum amamus: quia nullum bonum in corde nostro occupat locum non subiectum Deo; sed omnia bona quæ præter Deum amamus, Deo subordinata sunt; immo omnia, & quæcumque bona reiicere parati sumus, ne Deus abscedat a corde nostro. Si plura cupis, consule D. Thomam loc. cit.

VI. Quæst. III. An peccatum sit patrem, & matrem diligere plusquam Deum? Resp. Hanc quaestionem proponit Leander tract. IV. disp. II. q. IV. de caritat. & ante ipsum proposuerat illam Castropalaus loc. cit. & respondent certum esse non peccare eum qui intensiori, & ferventiori amore sensibili plus patrem, & matrem quam Deum amat. Christus vero Dominus ait Matth. x. vers. 27. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.

VII. Ut perspicua exhibeatur responsio, revocanda est in memoriam distinctio illa triplicis amoris quo Deum diligimus: obiective, dum plus boni ei volumus quam ceteris omnibus; appetitive, cum illum ceteris præferimus; intensive, dum maiori conatu illum prosequimur. Licet isti amores, maxime appetitivus, & intensivus, familiares Theologis sint, ut modo dictum est; non apud omnes tamen perspicua notiones occurrunt. P. Petrus Soto Theologus vere doctus, quia in Scripturis, Patribus, Canonibus

busque apprime versatus, Lib. de Inst. Sacerd. de sacrament. pœnit. lect. xv. hæc scribit: *Distinctio illa appetitionis ab intensivitate nova est, nihil aliud habens quam nomina: nisi quod interim illa persuasione ingeneratur hominibus securitas quadam, & tepiditas, quod valde timendum est.* Ad novitatem quod attinet distinctionis, non est disputatio instituenda: constat enim altum de eadem apud antiquos silentium extitisse. Quod autem nihil significatus præter nomina habeat, non videtur absolute verum; quamquam diversitas significationis non sit omnibus explorata, & pervia. Quidquid igitur sit de novitate, & significatu distinctionis amoris appetitivi, & intensivi; illud enucleate est explicandum, quod mensuram amoris quem præceptum iubet, palam facit. Quod ut præstemus, faciliora primum declaranda sunt. Itaque certum, & tamquam extra controversiam positum constituo, non præcipi a mandato fervorem, seu quam vocant intensivum amoris; si hæc intensio eo in sensu accipiatur in quo eam communiter accipiunt Theologi. Proprie enim, & præcise amor intensivus præfert quamdam sensibilem teneritudinem, fervoremque sensus ipsos demulcentem, atque commoventem. Nonne sapius plus nos delectat hominum colloquium quam Deum precibus alloqui? Et tamen plus certe Deum quam homines amamus. Nonne frequentissime sensibilibus ardet amor erga amicum, erga sponsam, quam in Deum ipsum? Et tamen si comparatio fieret, Deum amico, sponsæ, & ceteris præferremus, ut supra iam dictum est. Et profecto si amoris teneri, & sensibilis gradus aliquis sub præcepto caderet; gradus iste vel esset determinatus, aut secus. Si non sit definitus, ergo ad implendam legem minime pertinet. Si sit definitus, ostendendus ergo est, & declarandus. Ut autem ea quæ dicturus sum, facilius teneas, duplex est distinguenda appetitio: altera in sola intellectus speculativi cognitione sita; altera intellectus practici, quæ affectum voluntatis coniunctum habet. Hæc Deum amore prosequitur propter legitimam diligendi rationem, in eoque sibi complacet. Verum mens humana proprii amoris delusa practici, sæpe iactat se Deum præ omnibus appetiunt, quæ tamen appetitio solius est intellectus speculativi, sterilis nempe, & vacua: aut, si quid ei amoris inest, æquo imperfectior est, ut patet in caritate quæ est iustificante minor.

VIII. Ad propositam itaque quaestione respondeo, proculdubio peccare qui ferventiori, & intensiori amore patrem, matremque præ ipso Deo prosequitur. Addo, præfatam appetitionem seungi haud posse ab aliqua rationalis amoris intensione. Latius intentio quam appetitio patet. Hæc bonitatem per intellectum appetitiam propositam consequitur; illa amori inest perfectioris boni: & præterea ex clariori notitia, acriori attentione, meditatione profundiori, & ex aliis capitibus oriri valet. Hunc caritatis amorem appetitativum quo præeligitur, & præfertur Deus ceteris omnibus bonis, includere intensiorem aliquam ipsa prælationis natura ostendit. Hanc doctrinam ita veram reputat laudatus Petrus Soto, ut subdat loc. cit. *Quod igitur dicunt, non reperiri in Scriptura præceptum de intensione aliqua, vel conatu, certe non putamus dici posse absque errore. Quid significat Convertimini ad me in toto corde vestro? Non itaque omni diligenti, omni invocanti Deum, omni se convertenti ad ipsum, sed eis qui ex corde perfecto hæc agunt, promittitur gratia, & exauditio, &c. Nec aliud sentiri potest sine magno errore. Prope est, inquit Psalmus, Dominus invocantibus eum in veritate. Nec aliud quod offerunt, multum inquit, quod scilicet quocumque conatu a Deo recedatur. . . . Quia, cum malum ex singulis consistet defectibus, non mirum si facilius fiat. Hoc idem docet P. Dominicus Bannez 2. 2. quaest. xxvi. art. 2. ubi hæc habet. Teneo ego quod . . . non distinguuntur respectu Dei, & quantum est ex parte caritatis diligere intensivo, & appetitativo; sed tantum appetitativo diligitur Deus, quantum intensivo. Nec sanctus Thomas aliam quantitatem, vel augmentum tribuit caritati nisi intensiorem. Ergo augmentum, quod appetitativo consideratur, non est distinctum. Verum audiamus ipsum sanctum Thomam 2. 2. quaest. xxvi. art. 6. & 7. ubi illorum oppugnat sententiam qui æquali amore diligendos proximos docent. Oportet (inquit art. 6.) quod etiam inclinatio gratiæ, quæ est affectus caritatis, proportionetur his quæ sunt exterius agenda; ita scilicet ut ad eos intensiorem caritatis affectum habeamus quibus convenit nos magis beneficos esse. Et ideo dicendum est, quod etiam secundum affectum oportet magis unum proximum quam alium diligere. Rursus artic. 7. varias dilectionis species distinguens, docet, intensiorem affectum desumendam esse ex parte illius qui amat. Intentio, inquit, dilectionis*

est attendenda per comparationem ad ipsum hominem qui diligit, & secundum hoc illos qui sunt propinquiores, intensiori affectu diligit homo. Hanc doctrinam nedum Patres, verum graviores etiam Theologi docent, quos brevitatis studio recensere omitto. Si intensiori affectu diligimus homines nobis propinquiores melioresque; non erit Deus ferventiori affectu diligendus? Hinc constat naturam ipsam appetitionis, seu prælectionis, & prælationis practicæ, qua Deus omnibus reipsa præfertur, imbibere quamdam intensiorem, quæ pertinet ad ipsam caritatis substantiam absolute in quocumque statu spectatam. Et ad hoc quod attinet, dixi, & dicam infra, dissidium inter Theologos esse de solo nomine: quoniam cum admittunt primum, admittant & alterum necessarium est. Ceterum, si ultra pergamus, & caritatem ipsam consideremus ex parte hominis, qui in hoc lapsæ naturæ statu continuo conflictu diligit certando, ut docet sanctus Thomas; tunc non de nomine, sed de re dissidium est, & quidem non leve. Homines creaturarum amore ardent: propriis appetitionibus abripiuntur erga divitias, libidines, dignitates, & cetera mundi oblectamenta. Quis inficiari iure valet, intensiorem, conatu, & sæpe vehementi opus esse ut his omnibus reipsa Deus præferatur? Huc pertinent tot divinarum Scripturarum testimonia. Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: Matth. xi. Violentia hæc fervorem conatumque prodit. Rursus: Contendite intrare, quia multi quærent &c. Tandem: Diliges ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota fortitudine tua. Quæ omnia intensiorem, & invictam divini amoris fortitudinem declarant, & inculcant. Illud verum habet, nos gradus & mensuram istius fervoris, sive is ad perfectionem, quæ limites non habet, sive ad substantiam caritatis attineat, sermone exprimere non posse. Ex effectibus dumtaxat colligere eiusdem intensiorem possumus cum Apostolo Paulo inquitente I. Corinth. xiii. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et de se ait: Caritas Christi urget nos: II. Corinth. v. Semper tamen præ oculis habenda distinctio est amoris sensibilis, & rationalis, seu voluntatis, ut qualibet evitetur deceptio. Plurimum recentiorum doctrina minus ante explicata segnitiam, & teporem Deo summopere invisam fovet. Itaque amor quo Deum diligimus, adeo efficax, fortis, & potens sit oper-

oportet, ut abrumpere amoris vincula quibus devincimur amicis, & parentibus, valeat; quoties amicorum, parentumque amor aut divini amoris flammam extingueret, aut divinum amorem impediret. Dicis nunc velim, qua fortitudine, qua intensiorem instructus sit necessarium est amor ille divinus, qui inclinationes nostras validissimas cohibere, sensibilis amoris impetum violentissimum frenare debet? Præstare ne effectus istos amor valet, nisi sit vehemens, fervidus, atque ita fortis, ut cum hoste contendere, manus conferere, atque in servitutem redigere valeat?

IX. Obiicies. Quæ hæcenus dicta sunt, partim confusionem produunt, partim scrupulis animas torquent, & anxia sollicitudine cruciant. Confusionem ingerunt: quoniam fervorem, & intensiorem amoris non requiri diximus ad observantiam præcepti; & simul diximus hunc fervorem, intensioremque necessarium esse. Scrupulis etiam, & anxietate animum replent, quod gradus istius fervoris, & intensiorem incertus, & incognitus nobis sit. Accedit quod etiam istius amoris fervorem, & flammam quamdam experiamur; non idcirco nobis constat fervorem istum satis esse ad caritatis quæ nobis præcipitur, substantiam, seu mandatum implendum. Explodenda ergo est doctrina isthæc.

X. Respondeo, nec confusionem ingerere quæ docuimus, nec animas scrupulis confingere. Quippe certum est caritatis fervorem augeri, & remitti, ut omnes docent Theologi; quin habitus ipse caritatis augetur actuum repetitione, & intensiore evadit. Istius augmenti, & intensiorem indolem, modumque quo sit, non vacat in præfens explicare. Theologi scholastici acres prolixasque disputationes hoc de argumento habent, atque metaphysicis subtilitatibus rem magnopere involvunt. Nos hæc missa facimus, & ut perspicuum argumento nobis opposito exhibeamus responsionem, triplicem distinguimus caritatis gradum cum D. Augustino tract. v. in Epist. Ioan. ubi hæc habet: Perfecta ergo caritas hæc est: si quis tantam habuerit caritatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo caritas. Sed numquid mox ut nascitur, iam iam perfecta est? Ut perficiatur nascitur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur. Cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Optatam dissolvi, & esse cum Christo. Hanc Augustini doctrinam D. Thomas excipit, eamque 2. 2. quaest. xxiv. art. 9. explicat, tres-

que indicatos status vocat incipientium, proficientium, & perfectorum: seu primus caritatis status, vel gradus appellatur incipiens, secundus proficiens, tertius perfectus. Caritas, cum fuerit nata (inquit in argumento Sed contra) nutritur; quod pertinet ad incipientes: cum fuerit nutrita, roboratur: quod pertinet ad proficientes: cum fuerit roborata, perficitur: quod pertinet ad perfectos. Ergo est triplex gradus caritatis. Hos tres gradus clarius explicat in ipsius articuli corpore, ubi illos comparat corporeo hominis incremento, in quo infantilis ætas a pubertate distinguitur; hæc a virilitate. Similiter in divina caritatis vita distinguit infantiam statum, seu caritatem incipientem. Hæc autem incipiens caritas hominem Deo subiicit, illius concupiscentias subigit, cupiditates coercet, peccata omnia infestat, legem implet, & omnia cælestis amoris impedimenta removet. Caritas proficiens altius assurgit, flammam sursum extollit, grandia conatur, totam pietatis studia, ac virtutum exercitia incumbit: non modo legem servare exacte studet, sed etiam consilia evangelicæ perfectionis exequi contendit. Perfecta demum caritas uni Deo adhæret, illoque fruatur. Neque hinc inferas incipientem caritatem nos Deo non unire. Unit enim & isthæc, at quodam vinculo, aureo utique, sed inferioris notæ. Quippe caritas hæc cum genio belligerat: illius officium est peccatorum radices pro virili parte convellere, aut amputare, hostibus dulci amicitie fœdus cum Deo in initum abrumpere conantibus fortiter resistere, atque in præceptorum monitionum observatione sese fideliter exercere. Hoc est veluti manus & officium caritatis incipientis. Porro quemadmodum arbores præcisus inferioribus ramis expeditius adolefcunt, & sursum ascendunt; sic caritas, subacta concupiscentia, devictis hostibus, revulsis e viridario vepribus, & spinis, tota in excolenda vinea occupatur. Plantas irrigat, ut dulcissimos fructus pariant, suavemque virtutum odorem emittant. Terram madefacit, quo uberem messem producat, totaque secunda evadat, omni pulsa sterilitate. Nonne & ipsi victores, devicto hoste, eo curas suas conferunt, ut proprium statum excolant; mercimonia, negotiationes, thesauros, divitiisque in eundem inducant? Advertit tamen Angelicus, quod caritas proficiens, quemadmodum edificatores Ierusalem, altera manu debeat virtutum officia peragere, sanctitatis ædificium indefesse altius erigere, atque bonorum operum coronam

nam margaritis exornare; altera vero manu gladium fringere, excubiasque agere adversus inimicorum insidias, atque rebellantes concupiscentiæ fraudes. Divinum plane fuit Neemiæ consilium, quo suis militibus præcepit ut una manu muros Ierusalem instaurarent; at simul ne inermes invenirentur ab hostibus, altera manu gladium tenerent. Eadem ratione caritas ut incipiens, & quasi belligerans, pulsis hostibus, edomitæque appetitionum intestina rebellione, animæ christianæ dominium assequitur, & in eadem tamquam domina residet. Verum, ut imperium bello partum diutius consistat, non modo civitatem ornari oportet; sed etiam omnibus nervis, totisque lacertis laborandum est, ne umquam imposterum aditum sibi ad ingressum hostis aperiat, & vel minimam concupiscentiæ scintillam accendat. Quæ si præstita omnia fuerint, caritas tum secunda quiescit, deliciis cum sponso suo diffuit, illum expansis cordis brachiis complectitur, & eidem totis præcordiorum affectibus agglutinata, intimeque coniuncta, dulcissimos tenerimæ amicitiae fructus degustat.

XI. Placuit paulo fusius hos tres caritatis gradus explicare, ut viam planiorem aperirem qua directe occurrerem argumento obiecto. Primum ergo caritatis gradum necessarium esse dicimus ad legem implendam. Hæc autem doctrina nec scrupulis animam, nec confusione mentem replet. Amor itaque in Deum, ut impleat mensuram definitam a præcepto, tantæ efficacitatis, fervorisque tanti sit fas est, ut officio caritatis incipientis defungi valeat, videlicet præcepta legis servare, animam a creaturarum inanissimo amore seiungere, & ea omnia quæ in Dei gloriam referri nequeunt, respicere. Si hunc amoris gradum recta via spectare non vales, oculos in virtutum opera converte: meditare, quam sis in legis observantia exactus, in hostibus animæ tuæ comprimendis fortis, & ex fructibus reconditum ardere in corde tuo ignem caelestem comperies. Audiarnus quæso Augustinum, qui laudato tract. v. in Ioann. prope finem nos edocet viam qua perveniamus ad caritatis incipientis cognitionem, simulque instruit, armatque ad conservationem, ut nata in nobis proficiat, & proficiens perfecta evadat. Sed interrogatis vos, & dicitis nobis: Quomodo possum habere istam caritatem? Noli cito de te desperare. Forte nata est, sed nondum perfecta est: nutri eam, ne effocetur. Sed dicturus es mihi: Et unde novi? Quomodo enim perficiatur, audivimus: un-

de incipiat audiamus. Iuvat paullulum intercipere textum D. Augustini, ut unum alterumque textum Evangelistæ Ioannis efferam ex illa ipsa Epistola quam Augustinus hic interpretatur. Scribit ergo D. Ioannes Epist. I. cap. v. vers. 2. *In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hæc est enim caritas Dei, ut mandata eius custodiamus.* Et cap. III. eiusdem Epistolæ docet nos Dei caritatem erga nos agnoscere in Filio quem pro nostra salute cruci affixit. Igitur & nostram in Deum caritatem ex sacrificio quod eidem immolamus, cognoscere debemus. *In hoc cognovimus* (inquit Ioannes) *caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Gradum ergo caritatis nostræ ex operibus nostris, ex mandatorum observantia, & proximorum indigentium levamine colligimus. Suum ergo sermonem resumit Augustinus, textum sancti Ioannis ob oculos ponens. *Sequitur, & dicit: Qui autem habuerit facultates mundi, & viderit fratrem suum esurientem, & clauerit viscera sua ab eo; quomodo poterit dilectio Dei manere in eo? Ecce unde incipit caritas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Iam percutiat viscera tua caritas, ut non de iactantia facias, sed de intimo adipi misericordie, ut consideres illum in egestate positum.* D. Thomas signum, unde caritatem in nobis ardere arguere debemus, assignat 2. 2. quæst. clxxxii. artic. 2. ad 1. his verbis: *Augmentum meriti respectu præmii essentialis consistit principaliter in caritate, cuius quoddam signum est labor exterior volentis propter Christum. Sed multo expressius signum est, quod aliquis, prætermisiss omnibus quæ ad hanc vitam pertinent, soli divinæ contemplationi vacare delectetur.* D. quoque Gregorius hom. xxx. in Evang. *Ad vosmetipsos introitus redite: si Deum vere amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestacione responderit. De dilectione Conditoris lingua, mens, & vita requiratur.*

XII. Ex his quæ aliquantulum latius disputata sunt, colliges, distinctionem amoris appetiatiivi, & intensivi minus apte applicari amori quo Deum diligere debemus. Ea parte qua amorem appetiatiivum recentiores constituunt in prælatione super omnes creaturas, optime discurrunt; sed abluunt a vero, dum asserunt hanc haberi prælationem posse sine fervore, & intensione ipsius amo-

amoris. Quoniam, ut Deum iis omnibus anteponamus quæ nobis carissima sunt, & summo opere delectabilia, magnus requiritur conatus, fortisque animi intentio. Quid quod amor iste, ut respondeat obligationi ipsius præcepti, debet talem animi promptitudinem in nobis constituere, ut parati simus ad quæcumque mala perferenda, mortemque ipsam appetendam, potius quam violare vel minimum præceptum legis? Et gradus iste fervoris necessarius est ad hoc ut amor sit iuxta mensuram quam mandatum præscribit. Si vel minimum amor iste ab hac mensura decidit, non sufficit ad substantialem observantiam præcepti. Et hæc doctrina nec singularis, nec rigida est; sed ab omnibus approbari Theologis debet. Quapropter distinctio amoris appetiatiivi, & intensivi, quatenus excludit fervorem, & intensivam ab amore necessario ad præcepti observantiam, iure, ac merito rejicitur a P. Petro Soto, ut inanis, & sterilis, quæ teporem, & ignaviam fovere apta est; atque securitatem periculorum plenam inducit. Fervor, & intentio, quæ ultra præceptorum observantiam animam impellit ad opera consilii, ad sublimioris perfectionis viam percurrendam, aut quæ in mutuis amicorum amplexibus delicias suas constituit, non cadit sub præceptum; sed ad caritatem attinet proficientem, & perfectam. Ex his quæ fortassis latius quam oportebat disputavimus, colligas velim, dissidium quod inter Theologos super hac distinctione ardet, de nomine potius quam de re esse. Nam notio amoris appetiatiivi penes omnes eadem est. Quippe omnes fatentur per hunc amorem præferendum esse Deum omnibus creaturis, quantumvis nobis carissimis, servanda illius mandata omnia, frenandas, & supponendas appetitiones nostras suæ legis observantioni. Porro amor hac efficacitate instructus, fervens, & intensus sit necesse est. Itaque cum omnes Theologi conveniant in notione quam dedimus appetiatiivi amoris; conveniant quoque fas est in hoc quod amor quo divinum implemus mandatum, esse debeat fervens, & intensus: quippe appetiatiivus esse nequit, nisi simul sit fervens, & intensus in sensu a nobis explicato. Dum ergo recentiores Theologi docent hominem non teneri ad amorem ferventorem, & intensivum, excludunt intensivam, & fervorem aut sensibilem, aut qui ad perfectiorem caritatem pertinet; secus fervorem cum hostibus belligerantem, & illorum molimina propulsantem. In statu enim naturæ lapsæ a-

mor appetiatiivus qui excludat omnem conatum, & fervorem, erga Deum reperiri nequit. Dissidium ergo de nomine, secus de re est.

XIII. Quæst. IV. *Peccat ne mortaliter contra hoc præceptum qui deliberate desiderat in hoc mundo perpetuo vitam degere?* Resp. Adfirmant, nulla adiecta distinctione, Thomas Sanchez Lib. II. in Decal. cap. xxxv. num. ultim. & apud hunc Navarrus in Man. cap. xi. num. 20. Hadrianus IV. de conf. quæst. iv. Bartholomæus de Ledesma in Summ. sacram. dub. xii. Rodriquez Tom. I. Sum. cap. xv. punct. 1. Fagundez Lib. I. in Decalog. cap. xxvii. num. 11. eam tamen limitaverat num. 5. Ratio istius sententiæ est, quia qui deliberato animo istius vitæ perpetuitatem desiderat, hanc vitam præponit eternæ beatitudini: quæ sane præpostera prælatio culpa gravi vacare nequit. Longam autem vitam cupere licitum esse subdunt citati Auctores.

XIV. P. Castropalaus oppositam defendit sententiam, & ante ipsum Fagundez; quamvis, ut indicavi, priorem tandem amplexus est opinionem. Ratio Castropalæi est, quod ex desiderio perpetuo vivendi in hoc mundo, non inferitur prælatio vitæ huius delicias eternæ vitæ; alioquin etiam ex desiderio longioris vitæ inferri posset te istius vitæ voluptatibus postponere eternam beatitudinem, & consequenter peccare mortaliter. Gravis siquidem culpa est vel momentum anteferre Dei fructioni præsentis vitæ usuram. Quare dum vitam sine termino ducere aves, solum desiderare videris hac vita non privari. Hoc autem suapte natura malum non est, sed potius bonum. Accedit quod ignores, salvandus ne an damnandus sis post hanc vitam. Ergo cum vitæ huius perpetuitatem desideres, id cupis, ut periculum evadas damnationis. Sed huius periculi fuga culpam non includit. Ergo desiderium absolutum perpetuo degendi in hoc mundo, non est peccatum mortale.

XV. Hoc Castropalæi ratiocinium, tametsi prima fronte speciosum appareat, si penitus tamen inspiciatur, videtur in merum paralogismum decidere. Quippe Christianus non modo divina revelatione, sed experientia visibili scit, vitam istam caducam esse, certisque cancellis definitam. Accedit ipsum scire lumine fidei se ad eternæ beatitudinis possessionem comparandam creatum, redemptumque a Christo esse. Porro cum his veluti pri-

mis, altiusque menti infixis dictatis quomodo componi absolutum desiderium potest istius vitæ perpetuo ducenda? Ratiocinium Castropalæi metaphysicum est, quod ad expendendam practicę deliberationis moralitatem ineptum est. Quare ego non audeam absolvere a gravi culpa Christianum qui deliberato animo absolute cuperet istius vitæ perpetuitatem. Quod opponit Castropalaus, ideo te desiderare vitæ huius æternitatem, ut periculum evadas æternæ damnationis, eo quod ignores, salvandus ne, an damnandus sis: illius destruit opinionem, nostramque firmat. Siquidem via declinandi damnationem non est vitæ huius perpetuitas, sed fuga peccati, & boni prosecutio. Quare desiderium istud perennitatis huius vitæ in praxi proficiscitur ex perverso voluptatum amore, ex impotentia affectu quo erga vitia, & scelera rapiuntur homines. Quoniam æterna supplicia perhorrescentes, & a vitiis abstinere, ut illis se subducant, nolentes, desiderant istius vitæ perpetuitatem. Hac enim ratione & suis indulgere carnalibus appetitionibus, & inferni pœnas evadere sibi illudentes blandiuntur. Quare in praxi, ut minus, periculi plenum est desiderium illud. Fuga inferni non est mala, sed optima. Ab eodem fugere lex ipsa iubet. Sed tunc licita, & optima fuga est, cum sit iuxta legis præscriptum, nempe declinando a malo, & operando bonum; secus, cum eligitur via illicita, & divinę providentię ordini constituto aperte contraria. Prior ergo sententia sic explicata probabilior, & tutior est.

CAPUT VII.

Tempora quibus divinum mandatum Dei diligendi obligationem imponit, designantur. Potissimum in primo rationalis vitæ momento hoc urget mandatum.

I. **O**stendimus hæcenus mandatum diligendi Deum præceptum esse speciale, actumque explicitum supernaturalem amoris erga eundem Deum super omnia diligendum per se iubere. In præsens tempora sunt designanda quibus obligatio hæc urgeat. Quod ut præstemus facilius, & evidentiùs, plures quæstiunculas instituemus. Primo loco sermo erit de obligatione per se. Deinde de obligatione per accidens.

II. Quæst. I. *Obligat ne præceptum istud per se aliquo determinato tempore?* Resp. Negabunt, inquit Leander tract. III. disp. XI. quæst. XI. Gaspar Hurtado, Maldonatus,

Iansenius, Ioannes Sancius, Vasquez, & Molina, qui contendunt præceptum istud non esse speciale, nec peculiarem actum amoris iubere. Sed contraria sententia iam certa est penes omnes Theologos, estque post decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. ab Ecclesia definita. Nec peculiari ratione indiget præter ea quæ dicta sunt.

III. Quæst. II. *Satis ne est semel in vita actum amoris Dei elicere?* Resp. Sententia affirmans damnata est ab Innocentio XI. quæ his verbis concepta erat: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Hanc propositionem Didacus Hurtado dissert. I. c. t. adscribit P. Antonio Marchant, qui eam publice propugnavit Antverpię anno 1674. Si hoc verum est, legerat fortasse Marchantius Tamburinum, qui tametsi, ut iacet, hanc propositionem non docuerit, ex illius tamen doctrina sponte profluit. Ante ipsam propositionis damnationem communiter Theologi eam improbarunt. Dominicus Soto Lib. II. de iust. & iur. quæst. III. art. 10. Navarrus in Manual. cap. XI. num. 7. Petrus Ledesma in Sum. II. Part. tract. III. de car. cap. v. concl. 6. Serra 2. 2. quæst. XLIV. Bannez 2. 2. quæst. XLIV. & communiter ceteri Theologi post proscriptionem vero omnes. Laudans Hurtado loc. cit. num. 6. refert Remigium Noydens in Sum. tract. II. cap. I. §. 3. & Acatium de Velasco Tom. I. resol. moral. fol. 53. qui damnatam propositionem in medium adducunt, nec eam improbant; sed aiunt, eam liberare a multis scrupulis. Videntur quorundam recentiorum efficax animarum remedium? De medio tollunt legem, ut scrupulis animas subducant: cum deberent illis exactam inculcare legis observantiam, virtutumque exercitia, quæ sunt veræ pacis, & tranquillitatis principia. Sententia præfata impugnatione non eget. Ex iis quæ dicta sunt, evidenter illius falsitas constat. Nonne ipsi rationi repugnat quod semel tantum in vita diligitur Deus, qui principium, & ultimus finis est vitæ nostræ? Præceptum illud quod est plenitudo legis, quod unionem nostram cum Deo firmat, quod amicitiam divinam alit, & fovet, semel tantum in vita obligabit? Verum plura dicentur infra, ubi de debito repetendi actus divini amoris sermo recurret.

IV. Quæst. III. *Præceptum caritatis obligatne per se semel tantum singulis quinquenniis?* Resp. Sententia affirmans proscripta est ab Innocentio XI. quæ est eiusmodi: *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis*

per se obligare præceptum caritatis erga Deum. Hæc opinio tribuitur P. Antonio Escobario tract. v. exam. IV. cap. 1. ubi inquit: *Addo ex Filliucio probabile esse non quinquenniis singulis rigorose obligare, sed sapientium arbitrio.* Hurtado excusat suum Escobarium, quod non negaverit debitum amoris quoto quinquennio absolute, sed arbitrio prudentium id reliquerit. Verum ex textu Escobarii patet, eximi fideles a solvendo singulis quinquenniis hoc amoris penso. Num postea elapso quinquennio obliget, hoc est quod Escobarius iudicio sapientum committit. Excusandus potius Escobarius est, quod auctoritate Filliucii, unius ex suis viginti quatuor Senioribus, talem recedent opinionem quam postea retrahavit, seu temperavit, inquit Hurtado, & Filliucium suę restituit indemnitati I. Part. Lib. XLIX. Certum itaque nunc est fideles teneri intra quinquennium elicere actus caritatis ut divinum impleant mandatum.

V. P. Didacus Hurtado in sua Theologia Reformata excusat Escobarium ab opinione proscripta; sed ipse in eandem concedere videtur eo ipso tempore dum illam exponit. Quippe cit. diff. v. cap. II. num. 15. scribit, iure, ac merito summum Pontificem damnasse recentitam propositionem, deinde subdit: *Quo factum est ut singulis quinquenniis ex mandato Ecclesię ad Dei amorem exercendum teneamur, eo modo, ac sensu quo ad confessionem tenemur in annos singulos.* Hæc Hurtadi doctrina aut falsa, aut nimis involuta est. Amor quo nos Deum diligere debemus, non vi præcepti ecclesiastici, sed vi præcepti divini nobis imponitur. Propositio damnata docebat mandatum caritatis non obligare ne singulis quidem quinquenniis. Ecclesię definivit propositionem hanc scandalum plenam esse; atque adeo declaravit falsum esse, præceptum istud non obligare singulis quinquenniis ad actum caritatis. Nec verum est eodem modo ac sensu nos teneri ad actum caritatis singulis quinquenniis quo in annos singulos tenemur ad confessionem. Amor Dei necessarius est necessitate medię ad salutem: secus externa peccatorum confessio. Neque Ecclesię imponendo præceptum annuę confessionis declaravit nos divino iure ad eam singulis annis teneri. Alio ergo modo, alioque sensu intelligendum est præceptum caritatis, ac præceptum annuę confessionis: quia sine confessione in re potest quis salvus fieri; secus sine caritate, cuius mandatum per se, & non tantum per accidens obligat. Quid? Si non adesset ecclesiasticum præceptum, a Dei

amore liberi homines essent? Quis non videt, quam sit hæc P. Didaci Hurtado mirabilis Theologia Reformata.

VI. Quæst. IV. *Obligat ne per se hoc præceptum diligendi Deum in primo instanti usus rationis?* Resp. Adfirmat cum universa Thomistica Schola D. Thomas 1. 2. quæst. LXXXIX. artic. 6. & in II. dist. XXVIII. quæst. 1. artic. 3. ad 5. & dist. XLII. quæst. 1. artic. 5. ad 7. & in IV. dist. XLV. quæst. 1. art. 3. ad 6. de Malo quæst. VI. artic. 2. ad 8. & quæst. VII. artic. 10. ad 8. de Verit. quæst. XXIV. artic. 12. ad 2. & quæst. XXVIII. art. 3. ad 4. Capreolus in II. dist. XL. qu. 1. art. 3. ad arg. Scoti. D. Antoninus I. Part. III. cap. II. §. 3. Caletanus in 1. 2. quæst. LXXXIX. cap. 6. Medina ibidem. Curiel ibidem dub. 2. Gregorius Martinez dub. 1. Aravio dub. 2. Alvarez disp. clxxxvi. Zomel disp. II. par. II. concl. III. Montelinus disp. XVII. quæst. II. Silvester verb. Orat. Sotus de iust. & iur. quæst. III. art. 10. Victoria relect. XIII. Bannez 2. 2. qu. x. dub. 2. Tostatus in cap. XXV. super Matth. quæst. dcccxlx. Dionysius Carthusianus in II. dist. XXVIII. Navarrus in Manual. cap. XI. num. 7. Martinus Ledesma I. par. IV. qu. XXVIII. Toletus Lib. IV. cap. IX. num. 9. Ludovicus Lopez I. par. instruct. cap. XI. Corduba Lib. II. quæst. V. ad 4. Vega in Conc. Trident. Lib. IX. cap. XLII. Rodriguez Tom. I. sum. cap. XI. Salmanticenses Scholast. tract. XIII. disp. XX. dub. 1. Salmanticenses Moral. tract. XXI. cap. VI. punct. 1. num. 7. Natalis Alexander Lib. IV. art. 10. reg. 4. Wigandt tract. VII. exam. 5. ref. 5. Gonetus, Contensonius, verbo Thomistæ omnes. Ex extraneis plures. Diana V. Part. tract. XIV. resolut. 105. Granado tract. XIV. num. 2. Filliucius Tom. II. tract. XXII. quæst. IV. n. 288. Trullenchus Lib. I. in Decal. cap. V. dub. 3. num. 3. Silvius in 2. 2. quæst. XLIV. art. 6. Auctor Theologiæ Moralis Petrocoricensis Lib. IV. tract. II. cap. I. quæst. 11. Henricus a S. Ignatio Tom. II. Lib. IV. cap. VI. Patritius Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decalog. cap. V. sect. 2. §. 4. num. 34. Antoine tract. de virtut. cap. II. Paulus a Lugduno tract. IV. dist. II. art. 3. quæstiunc. 3. Layman Lib. II. tract. III. cap. II. num. 6. ubi citat Valentiam, Leander a SS. Sacramento tract. III. disp. II. quæst. XIV. Roncaglia tract. III. quæst. VI. Marchantius tract. II. tit. 4.

VII. Primum omnium adducam auctoritatem ipsius D. Thomæ, quæ sola recentiorum

N

rum

rum multitudini praevalet. Cum vero (inquit 1. 2. quæst. lxxxix. art. 6.) usum rationis habere inceperit, non omnino excusatur a culpa venialis, & mortalis peccati. Sed primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso: & si quidem se ipsum ordinaverit in debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati. Si vero non ordinet se in debitum finem, secundum quod in illa aetate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est.

VIII. D. Thomæ doctrinæ favere D. Basilii videtur homil. in Psalm. 1. edit. Parisiens. Dum in prima adhuc consistimus aetate, nec improbi, nec virtute præditi sumus: ea enim aetas habitus utriusque capax non est. Sed postea quam ratio nostra perfecta est, atque cumulata, tunc fit quod scriptum est: At cum venisset mandatum, peccatum revixit; ego autem mortuus sum: Rom. vii. Exoriuntur enim male cogitationes quæ ex carnis cupiditatibus in animis nostris generantur. Nam re ipsa ubi venit mandatum, hoc est boni honestique iudicium, si cogitationem peiorem non vicerit, sed a pravus affectibus animum in servitutem redigi siverit; revixit quidem peccatum, mens vero peccatis interempta moritur. Beatus igitur qui in via peccatorum non immoratus est, sed saniore consilio ad piam conversationem se recepit. D. Franciscus Salesius Lib. II. capit. xvii. Hoc a nobis exigit Deus, ut sui amor præ reliquis nostris amoribus altius cordi impressus toti cordi præsit, ac imperet, ut ardentiori affectu totam animam nostram obtineat; & maiori amplitudine nostras omnes facultates ad opus adhibeat, ut sit sublimior, omnemque nostram mentem impleat. . . . In summa est amor excellentiæ, vel excellentiæ amoris, qui omnibus mortalibus in genere, & in specie, seu generaliter, & particulariter unicuique mandatus est, & hoc a PRIMO MOMENTO quo incipiunt uti ratione.

IX. Antequam rationes nostræ sententiæ profero, nonnulla quæ viam sternunt ad ea quæ dicturi sumus, facilius percipienda, præmittamus fas est. Primum itaque omnium animadvertendum occurrit, instans, seu momentum illud in quo puero rationis lux affulget, physicum non esse, sed morale, quod plura instantia physica comprehendere potest. Plures quippe actus fluunt in illa prima deliberatione qua puer de se ipso decernit. Primus est intellectus, seu iudicium, quo bonum commune percipit ut sibi congruum, atque conveniens; & sub hac ratione bonum

istud physicum est, quod nec honestatem fore malem prodit, nec delectabilitatem, quæ rationes, seu modi boni morales sunt. Ab his igitur rationibus primus iste actus præscindit. Hunc actum consequitur in voluntate amoris actus erga bonum physicum. Porro uterque actus nulla prævia electione, vel ratiocinio fiunt; sed ab auctore naturæ sati prodeunt. Solius namque Dei est creatam voluntatem ex propria inerti potentia extrahere, illamque in actu constituere. En semina, & primordia instantis usus rationis. Succedit illico alius mentis actus quo puer ab ordine physico in ordinem moralem ingreditur, & per principia synderesis ab auctore naturæ indita sine ratiocinio discernere incipit inter bonum & malum morale, seu considerat & bonum illud quod congruit rationi rectæ, seu homini prout ratione prædico; & aliud bonum quod dissonat eiusmodi rectæ rationi, placet vero, congruitque appetitioni sententiæ irrationali. Hac face splendente in intellectu, continuo tangitur homo interiore sollicitudine qua impellitur ut in seipsum sententiam dicat, deliberetque; quodnam sibi deligere ex duobus bonis velit, cuiam parti adherere constituit. In hac sententia, in hac deliberatione, in hoc iudicio instans morale conversionis in Deum completur. Secundo notandum venit, quod quibusdam pueris tardius, quibusdam celerius rationis crepusculum illucet, tum propter maiorem, minoremve intellectus perspicaciam, atque temperamentorum diversitatem; tum potissimum propter variam educationis formam. Tertio loco illud considerandum est, quod alia ratio de pueris fidelium, alia de pueris infidelium habenda sit. Illi quippe fidè explicite supernaturali; isti cognitione, amoreque naturali, iuxta illorum diversam capacitatem, ut infra explicabimus, converti in Deum debent. Postremum hæc conversio in Deum fieri debet amore explicito, efficaci, & super omnia. Hic autem amor efficax super omnia in Deum, etiam auctorem naturæ, indiget auxilio supernaturali. His præmissis, sequens conclusio evincitur.

X. Præceptum caritatis, obligat omnes homines, cum rationis usum assecuti sunt, ut sub pena gravis culpe se se in Deum convertant, illum efficaciter diligendo, iuxta illorum diversam capacitatem. Rationes, ut mea præfert opinio, valde evidentes propono. Præceptum primum, & maximum caritatis aliquo tempore obligat. Atqui nullum magis opportunum tempus designari huic gravissimæ obligationi potest quam illud in quo ho-

mo

mo rationis compos factus, primordia vitæ suæ rationalis præiacit, seu in quo de se ipso deliberare debet. Ergo homo, cum primum rationis usum assecutus fuerit, Deum suum amore efficaci, & super omnia prosequi tenetur. Prima propositio extra dubitationis aleam constituta est. Secunda evincitur. Cum primum homini lux rationis præfulget, illique repræsentat suum supremum conditorum, quem ignorare nemo sine culpa valet, quodam veluti amoris pondere in parentem fertur, rapiturque. Lux illa rationis ei aperit in hunc mundum veluti in quamdam militiam ingressum. Navigationem quam portum tenere debeat, ostendit. Hinc syrtes, hinc scopuli obvii occurrunt: oppositæ viæ patent: altera rationis, altera concupiscentiæ: bonum honestum præbet illa; sensibilia, atque delectabilia porrigit hæc. Principia synderesis ab Auctore supremo indita, dictata altius menti impressa, amplexum honestatis, & rectitudinis vehementer suadent; radios emittunt, quibus ob oculos ponunt, quam sit rationali naturæ congruum consentaneumque bonum honestum amplecti, atque illam inire viam quæ ad amplexum ducit conditoris sui. Sensus e contrario concupiscentiæ, ac universa rebellium appetituum turba, dæmone duce, & deceptore, bona delectabilia, voluptates carnales, delicias viduius repræsentant, offerunt, ingerunt. In medio hoc tremendo constitutus homo veluti pro tribunali sedens quam arripere viam velit, deliberare debet. Quid enim est rationis usus, nisi discretio bonum inter & malum? Primum autem omnium istius mundi bonorum homo ipse est, propter quem cetera cuncta bona facta sunt. Quod igitur tunc in mente hominis prævalet, est inquit Angelicus, deliberare de se ipso: cetera quippe bona per ordinem ad seipsum amat. Amor ergo sui ipsius aliorum amorem præcedit. Omnium enim quæ sunt in mundo, finis homo est. Finis vero ultimus hominis Deus. Ergo quemadmodum alia bona propter seipsum amat, sic seipsum cum omnibus bonis propter Deum diligere debet. Quid hac, quæso, deliberatione naturalius? Quid naturæ ratione præditæ congruentius? Feruntur creaturæ omnes impetu validissimo in finem sibi proprium. Deterioris ne conditionis erit homo ratione ornatus? Explicent adversarii velim, in quo ipsi rationis usum constituant. Nonne in discretione boni, malique? Bonum ergo, aut malum amplectatur tunc homo, necessum est. Nec enim suspensio deliberationis obrudi va-

let; si nunc de usu, de exercitio rationis sermo nobis est. Quemadmodum qui iter arripere debet, ubi duæ solæ occurrunt viæ, aut unam eligat oportet, aut alteram: sic homo ingrediens in hunc mundum, dum primum rationis apparet diluculum, duplicem virtutis, & vitii semitam ostendens, alteram premendam eligat fas est; honesti, vel inhonesti; boni, aut mali; Dei, aut dæmonis. Tribunal rationis circiter septennium, citius, aut tardius, ut inuimus, diem dicit, & quaque dilatione pulsa, sententiam deliberatam proferri iubet.

XI. Quæ hæctenus proposui, validius confirmo. Lex, sicut & fides Christi, cum primum hominibus intimata, ac sufficienter promulgata est, nonne ad eam amplectendam, eique parendum devincuntur? Licitum ne cuiquam est, promulgatione necessaria facta, aut illi obedientiam detrectare, aut consensum in aliud tempus differre? Quidni ergo cum rationis tribunal legem naturalem diligendi Dei indicit, promulgat, explicat, suadetque, servanda ea erit? Quid est quod ab observationis vinculo solvere valeat? Difficilius est altissimis christianæ fidei arcanis assensum præbere, atque in illorum obsequium mentem captivare, quam legi naturali, quæ supremum parentem diligendum imperat, parere. Si nemo immunis a culpa iudicatur qui aut resistit fidei arcanis sufficienter promulgatis, aut anceps consensum in aliud tempus protrahit; innocens ne dicendus erit qui legem rationali naturæ quam maxime consentaneam violat, infringit, conculcat? Quid, quæso, est quod animantibus omnibus tributum a natura sit ut sibi caveant a malo, ut bonum congruum teneant, ut ductum seu instinctum naturæ firmiter sequantur? Hæc vero privilegia denegabimus animæ rationali, creaturarum omnium excellentissimæ, in cuius gratiam cuncta alia condita sunt? Quodnam officium, quodnam munus attribuant exorienti lumini rationis recentiores, scire vellem. Torpida nec ac stupida vivida illa rationis lux in suo ortu erit? Ideo ne a sopore, & veluti somno excita erit in puero post septem annorum intervallum, ut dormiat, ut torpescat? Quod si quidquam agere debeat; aptius ne, dulciusque exercitium occurrere ei potest, quam suum salutare Effectorem, illum in Deum suscipere, illum alloqui, illius anhelare dulcissimos amplexus, fuisse cordis primitias illi consecrare? Nihil ne agere dixerint? Quod si officium, atque exercitium concesserint; quod-

nam propinquius homini, aut naturalius, quam amorem sui Creatoris, suæque æternæ felicitatis desiderium, designare valebunt?

XII. Optima dicta hæc omnia sunt, respondent adversarii. Sed ad illa implenda vi præcepti, seu sub pœna æternæ mortis puerum in ipso rationis initio adigere, durum nimis, valdeque asperum apparet. Verum argumentatio nostra hinc magnopere instauratur. Præceptum caritatis aliquo certo tempore obligat: idque concedunt omnes. Recentiores, data tempora percurrunt quibus antiquiores Theologi urgere præceptum docuerunt, omnia fere, ut minus observationi mandati congrua, respuunt. P. Thomas Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. xxxv. a n. 6. usque ad 10.* lato calamo improbat octo circiter varias Theologorum sententias hoc de argumento, quarum aliæ præceptum istud urgere asserunt semel in vita, aliæ in articulo mortis, aliæ sub initium rationis, aliæ singulis diebus dominicis, aliæ singulis annis &c. Ille autem post oppugnatas tum laxas, tum verisimiliores opiniones, sic concludit: *Ultimum tempus est, cum graves odii Dei tentationes instant, & periculum illis succumbendi adest, nisi tentatus actus amoris Dei eliciat. Et in hoc eventu existimo obligare præceptum hoc dilectionis Dei super omnia per se, & ex vi huius præcepti.* Et ego existimo hanc P. Sanchez opinionem non modo falsam, sed etiam in proscriptis ab Ecclesia propositionibus contineri. Quippe alia tempora quibus ceteri Theologi docent præceptum urgere, ille reiicit; mandati quoque obligationem illi dumtaxat tempore illigat quæ tentationes odio habendi Deum animum pulsant, imminetque succumbendi periculum, nisi contrarius amoris actus odium repellat. Hæc videtur opinio P. Sanchez, ut legenti constare potest. Hæc autem sententia in duplici propositione damnata contineri, satis evidenter ostenditur. Una ex propositionibus damnatis est, quod hoc præceptum *per se* non obliget. Porro si tum solum per Sanchezium obligat hoc præceptum, cum odium Dei animum vellicat; non *per se*, sed *per accidens* obligabit. Per accidens enim est, & nullatenus per se, quod tentatio odii Dei homini occurrat; sicut & per accidens est quod alia via, aliove remedio superari nequeat. Altera propositio proscripta est quæ docebat, ne singulis quidem quinquenniis divinum mandatum *per se* obligare ad actum dilectionis. Porro non solum quinquennia, sed decennia, quindennia fluere, immo &

totam transigere vitam homo valet, quin aliquam experiatur tentationem odio habendi Deum. Et continua experientia constat rarissimos reperiri Christianos huic tentationi obnoxios. Rarissimi ergo erunt qui divinum, maximumque mandatum caritatis implere teneantur. Sed hæc per transennam dicta sunt, & ut lectores admoneantur, ne hanc P. Sanchez sententiam absque examine admittant. Scripsit ille ante proscriptionem opinionum; idcirco venia dignus, si quandoque a vero aberravit. In semitam nunc regrediamur.

XIII. Pluries designatis temporibus præceptum caritatis obligare, ex definitione Ecclesiæ certum est. At nullum designari tempus valet in quo tot occurrant rationes Deum diligendi, ac in illo primo rationis ortu. Nam puer rationis compos factus, aut Christianus est, sacro ablutus lavacro; aut infidelis. Si infidelis, nullo alio tempore aptior est ad vocem naturæ audiendam, ad prima illa synderesis principia cognoscenda, quam illo rationis initio: nulla quippe tunc actualium peccatorum tenebræ. Sola regnat originalis culpa. Adultus effectus undique verum caligine superstitionis obducitur, criminum sordibus mens inquinata, ac carnalium voluptatum illecebris fascinatæ animus, ita sensuum deliciis affixus est, ut vix oculos mentis sursum attollere, & caelestia desiderare valeat. Si puer rationis particeps sit Christianus, in floridissimo innocentiae baptismalis statu reperitur. Nulla tum vel levis macula in illa anima, sed ut perlucida crystalus, limpida, & pura relucet: nulla ibi caligo, tenebræ nullæ; immo undique lux, undique splendor. Prima illa virtutum semina ab Auctore naturæ sata nullis peccatorum spinis suffocantur. Principia illa universalis honestatis veluti insita, & innata nullum adhuc habent impedimentum. Quæ itaque congruentior opportunitas implendi primarium naturæ mandatum, amorem imperans Creatoris? Sed perge porro, & altius assurgamus. Ornamenta ille infusarum virtutum fidei, spei, & caritatis otio tunc ne, & inertia diffluent? Quæque virtus in suos erumpere actus getit. Inertes ne tunc fides, & spes? Otiosa nec caritas illa habitualis? Ut quid animæ infusa, nisi ut operetur? Effusis rationis radiis non accendetur ignis ille caelestis? Quid, quæso, officit ne ardeat; cum e contrario omnia ad flammam disposita sint? Nulla ibi peccatorum horrida tabes, nulla caligo. Omnia munda sunt tum naturalia, tum super-

natur-

naturalia dona. Emicat ratio, lucet fides, spes excitat: quidni ergo ardebit caritas? Percurrant adversarii momenta vitæ singula, nullumque invenient in quo tot rationes amandi, & ad amandum dispositiones occurrant. Si ergo certum est pluries in vita caritatis mandatum urgere, hoc sane potissimum tempore actum imperare fateantur oportet.

XIV. Accedit quod omnium præceptorum meta sit caritatis præceptum. *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque que loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.* I. Ad Timot. 1. In hoc D. Pauli testimonio valida habetur sententiæ nostræ confirmatio. Si enim universæ legis finis caritas est, principium quoque illius sit oportet: quoniam hæc est finis prærogativa, ut ea ratione qua est in executione, seu consecutione rei amata posterior, sit in intentione prior: quæ intentio simul executionem includit, ut medium quo res amata reapse obtinetur. Ultimum quod nauta attingit, portus est, quo iter suum instituit; at hic est quem primum in animo sibi præfigit gubernator, ut illuc navim a scopulis illæsam recta dirigere queat. In ipso rationis ortu ingreditur homo in hunc moralis vitæ mundum, ceu in vastum oceanum anfractuum, scopulorumque plenum. Hinc sensuum sirenx pellicunt, voluptatumque præstigiis excæcant; illinc syrtes, & naufragia terrent. Quis est portus quem petit? Deus. Quis est navis clavus? Amor Dei, seu coniunctio firma cum prima regula. Omnia alia præcepta ad hanc intimam sunt ordinata unionem voluntatis cum Deo. Hæc unio, hic amor principium quoque est aliorum præceptorum, quorum nullum sine hoc amore, ut oportet, perfecte impletur. Ergo istius divini primique mandati observantia cetera omnia præcedere debet. Ergo sub initium vitæ rationalis hanc primam regulam amplecti, huic inhærere homo debet, ut feliciter inceptum iter persequi valeat, portumque tenere. Si præciserit hanc christianæ professionis primam basim, solidumque fundamentum, orsa summi æternæ salutis negotii facta, & optima sunt. Contra vero si ab hac recidit prima rationis regula, si hoc navigationis suæ gubernaculum negligit, ceu navis sine clavo, scopulis, syrtes, ac naufragio expositus est. Quæ omnia ostendunt nullum

Conc. Theol. Tom. I.

opportunius designari tempus posse de quo urgeat præceptum illud quod Deo hominem coniungit, quam rationis primordia. In quolibet ædificio tum potissimum ædificator attentionem, sollicitudinemque adhibere tenetur, cum illius fundamenta ponit. Quicumque aliquod negotium aggreditur, tum maxime regulas omnes exactæ prudentiæ consulere, expendere, serioque examinare cogitur, cum primum illud suscipit. Quis ergo dixerit hominem non teneri hanc eandem servare methodum, dum primo æternæ salutis negotium agere incipit? Hæc ratio ex Angelico hausta est, qui *quæst. xxviii. de verit. art. 3. ad 4.* hæc habet: *Cum quilibet teneatur peccatum vitare, & hoc fieri non possit, nisi præstito sibi debito fine, tenetur quilibet, cum primo suæ mentis est compos, ad Deum se convertere, & in eo finem constituere: & per hoc ad gratiam disponitur.* Primum ergo quod obviam venit homini in rationis ortu, est suæ salutis negotium. Prima synderesis principia vox naturæ, virtutum infusarum lumina, actualia auxilia quæ Deus confert; una voce, uno concentu hanc illi intiment veritatem. Si in tot circumstantiarum apparatu præceptum sibi consulendi, regulamque honestatis amplectendi non urget; quando urgebit? Designari ne tempus aliquod valet in quo tot concurrant rationes quæ Deum amandum evincant? Ex his liquidem rectæ viæ primordiis plurimum secundus totius cursus eventus pendet. Contra si orsa vitæ rationalis a regula declinant honestatis, si itineris initia aberrant toto cælo ipso; quo ultra fiet progressus, eo erit a Deo recessus longior, atque æternum pereundi pericula graviora. Ex confutatione eorum quæ adversarii opponunt, clarior etiam fiet sententiæ nostra.

XV. Contrariam sententiam communiter sustinent PP. Societatis. Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. xxxv. Vasquez 1. 2. q. lxxxix. disp. cxlix. art. 6. cap. 11. Suarez Tom. IV. in II. Part. disp. xi. sect. 2. num. 14. Valentia 1. 2. disp. vi. quæst. xix. punct. 3. Azorius Lib. IX. cap. iv. quæst. 1. Caltropalaus tract. vi. disp. 1. punct. 4. num. 2. Arriaga 2. 2. disp. xxxvi. sect. 3. Filiucius tract. xxii. cap. ix. quæst. viii. Arriaga, Filiucius, Valentia in utramque partem disputant, & modo ab una, modo ab altera parte paululum recedunt, P. Moya tract. disp. vi. quæst. 11. §. 2. num. 10. loquens de hac sententiâ hæc scribit: *Primam desero: quia hæc obligatio Auctoribus tantum scholasticis**

N 3

ois

cis est nota, qui eius meminerunt: & moraliter videtur certum non omnibus inesse obligationem quam nullus agnovit, omnes ignorant. Scholasticis dumtaxat nota est sententia isthæc? Nullus hanc obligationem agnovit? Omnes eam ignorant? Quodnam assertionis tuæ promissum testimonium? Sed argumenta quæ opponere solent, audiamus.

XVI. Obiic. 1. Præceptum caritatis indeterminate est. Ergo non obligat determinato tempore. Resp. Hoc Tamburini argumentum evincit, numquam in toto vitæ decursu hoc præceptum amoris actum imponere, quod est ab Ecclesia proscribitur. Mandatum divinum absolutum est, omneque tempus comprehendit, prout tamen hominis conditio fert, ut infra dicemus. Porro quando imponitur aliqua pensio nulli illigata diei, præsentis die debetur, iuxta regulam iuris Lib. IV. ff. de reg. iur. In omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsentis die debetur.

XVII. Ob. 2. Nimum sapit rigorem astringere pueros in tenera illa ætate ad observantiam mandati omnium difficillimi ob eminentiam obiecti: eo vel maxime quod vix puerorum aliquis talem agnoscat obligationem: nemo autem obligatur ad id quod ignorat, peragendum. Resp. Non rigorem, sed suavissimam iustitiam redolet quod pueri in illa ætate teneantur tributum amoris solvere divino, supremæque Parenti. Iustum, æquumque est ut Deo conditori sacrificium offerant, propriæque cordis hostiam litent pueri in illa ætate. Grave illis non est: quia id offerunt quod habent, nempe semetipsos. An ne tributum quod offerant, emere debent, si ipsimet vestigal sunt? Grave ne illis est carnali parenti cultum, & obsequium exhibere? Et durum erit divinum salutare Parentem? Tempus obligationis ignorant. Oppositum iam supra inter disputandum probavi. Principia synderesis, & ipsius naturæ vox, amoris victimam sacrificandam Deo clamant. Lumen rationis debitum istud representat. Dicant adversarii, quodnam officium præstet aurora illa rationis exorients? Nos dicimus, eam representare bonum honestum prosequendum, malumque cavendum, naturæque referre Effectorem. Dona supernaturalia quæ animam pueri baptizati ornant, illustrationes divinæ, præque affectiones negotium æternæ salutis ob oculos ponunt, Dei timorem incutiant, amoremque accendant. Deligent adversarii munus quod usus illerationis tunc præstet. Nihilne agere reponunt,

si sermo nunc est de primordiis vitæ rationalis? Porro vita rationalis in prosecutione boni honesti sita est. Aut ergo amplectitur puer regulam honestatis, aut ab ea declinat. Si amplectitur, præceptum implet, vitamque hominis coepit, scilicet rationalem; si illam respuit, præceptum violat, & brutorum vitam ingreditur.

XVIII. Obiic. 3. Pueri pluribus appetitionibus, passionibusque ligari in illa tenera ætate valent; & idcirco ignorare illud mandatum. Quid quod viri docti plurimi, ut sunt adversarii nostræ sententiæ, hoc ignorant præceptum, dum ut probabilem defendunt oppositam opinionem? Peritiores ne erunt parvuli illi Theologis ipsis? Cur illi assentiri istorum Theologorum sententiæ impune nequibunt? Resp. Iam ostendimus, parvulos catholicos, maxime dum primum rationis splendor illucet, innocentiam baptismalis privilegii instructos esse, nulla peccatorum actualium caligine obductos, eaque tunc passionum tranquillitate frui quæ vix alio gaudebant tempore. Quapropter in actu, ut aiunt, exercito ita perspicue, & evidenter naturæ Auctor, atque superna donorum lumina proponunt eiusmodi præcepti observantiam pueris sub primum rationis diluculum, ut nullus illis remaneat dubitandi locus. Quod autem adulti effecti tantam non habeant præfatæ obligationis cognitionem, immo quod sæpe, & plurimi tanta luce priventur, ex pluribus causis ortum ducit. Primum in vitæ decursu opus est ratiocinio, & longiore argumentatione ad vim præcepti deprehendendam. Evanuit siquidem evidens illa propositio obligantis legi ab ipso Conditoris facta; silet naturæ vox pravaram opinionum sonitu compressa. Supremus Auctor in illo vitæ rationalis initio muneri suo fecit satis. In posterum autem traditi magistris pueri, humanis opinionibus præveniuntur. Hominum mores, populorum consuetudines, Doctorem disputationes mentem obnubilant, sensuum illecebræ, voluptatum lenocinia, vitiorumque sordes voluntarem inquinant, passiones ad rebellionem ita impellunt, ut, quod in primo illo splendentis rationis crepusculo bonum apparebat, malum postea iudicetur. Hanc doctrinam tradit vel ipse ethnicus Marcus Tullius Lib. III. Tuscul. sub initium. Lubet illius verba recentioribus meditanda proponere. *Parvulos nobis dedit igniculos (natura) quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis sic restringimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenii nostris se-*

mina imata virtutum; quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continue pravitare, & in summa opinionum perveritate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suseruisse videamur. Quum vero parentibus redditi, idest magistris traditi sumus; tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmata NATURA IPSA CEDAT. Non ergo mirandum, si cum ipso Tullio dixerimus, pueros illos sub primum rationis momentum aptiores esse ad illud exequendum præceptum, quam sint plures adulti, opinionum varietate præventi, & sæpe factionis spiritu ducti, & præiudiciis ab educatione, & consuetudine haustis præoccupati. Ab his omnibus immunes pueri sunt; idcirco ad exequenda prima illa naturæ dictata promptiores. Utrum vero innoxia sit, & invincibilis ignorantia qua recentiorum plures pernegant mandatum istud tunc temporis urgere, mea haud interest discutere.

XIX. Obiic. 4. Si præceptum caritatis obligat pueros pervenientes ad usum rationis, dubio procul adstringet omnes tam Christianorum, quam barbarorum, & infidelium ad actum conversionis in Deum. Porro conversio isthæc naturalis ne est, aut supernaturalis? Si naturalis asseratur, satis haud est ad observandum præceptum caritatis. Hoc quippe, posita elevatione hominum ad finem supernaturalem, actus supernaturalis amoris iubet. Accedit quod illud idem præceptum quod obligat adultos, obligat pueros. At adultos supernaturali dilectione Deum prosequi vi mandati caritatis certum est. Igitur idem de pueris omnibus dicendum erit. Porro istius dilectionis regula fides est: nec enim Dei amore flagrare voluntas potest, nisi fidei fax præcedat, ignemque amoris accendat. Pueri autem barbarorum, infideliumque fide destituti sunt. Nequeunt ergo isti implere divinum mandatum. Si dicatur, conferri istis auxilia actualia, vi quorum implere præceptum valeant; obstat infidelitas negativa, quam admittit D. Thomas in barbaris pluribus.

XX. Obiectum argumentum fuso calamo Scholastici versant, subtilesque enucleant difficultates quæ ad nostrum minime spectant institutum. Paucis nos totam conficiemus summam, nihilque omitemus eorum quæ ad clariorem sententiæ nostræ noticiam necessaria iudicabimus. Conversio hæc rationalis puerorum in Deum, ordinem naturæ quæ ab imperfectis ad perfecta assurgit, imitatur. Præ-

oculis autem D. Thomæ doctrina habenda est, quod videlicet pueri tenentur implere dilectionis divinæ mandatum, secundum quod capaces sunt. Maior sane in pueris Catholicorum quam in pueris hæreticorum; maior in pueris Christianorum quam in pueris infidelium, & barbarorum; maior denique iuxta cuiusque pueri ingenii diversum acumen capacitas ad istam conversionem: Et, hac varia capacitate inspecta, præceptum magis minusve astringit. Denique conversio hæc solis naturæ viribus non fit, nec fieri in hoc statu naturæ lapsæ potest; sed viribus gratiæ, quam omnibus potissimum sub illius rationis ortum Deus confert. His prælibatis, solutio obiectæ difficultatis obvia est. Dicimus igitur mandatum caritatis amorem explicitum tum naturalem, tum supernaturalem iubere omnibus pueris ratione præditis; sed iuxta cuiusque diversam capacitatem. Pueris infidelium, & barbarorum educatione parentum destitutis, hebetiorisque ingenii, lux rationis ostendit bonum honestum amplectendum: amor boni honesti implicitum amorem erga Deum continet. Ad hunc ipsum amoris actum eliciendum præsto est divinum auxilium, quo si bene usus puer fuerit, ad amorem explicitum Dei Auctoris tum naturalis, tum supernaturalis disponitur; uno autem actu uterque amor habetur: quoniam in amore supernaturali amor naturalis eminenter continetur; non autem e contrario. Primum illud auxilium quo illustratur intellectus in cognitione boni honesti in communi, licet ad lumen fidei reducat, non est tamen fidei proprie dictæ, nec mysteria representat: idcirco, si male usus fuerit puer, non ob id infidelitatis peccatum perpetrat: quia ad infidelitatem positivam requiritur quod quis respuat mysteria credenda sibi expresse, & clare proposita. Igitur, tametsi conversio non sequatur, remanet infidelis negative. Porro si fuerint pueri Catholicorum innocentia in baptisate infusa sanctificati, & virtutibus theologis illustrati, atque optime educati, actum expressum, efficacemque amoris supernaturalis elicient celerius aut tardius secundum quod magis aut minus capaces reperientur. Omnia itaque quæ hæc nostra sententia statuit, sibi optime respondent. Momentum illud in quo fieri conversio pueri debet, physicum non est, sed morale, quod plura instantia comprehendit. Plures interveniunt actus recto sibi succedentes ordine. Vires naturales vegetæ sunt. Divina auxilia ad præceptum implendum necessaria Deus

abundanter confert. *Neque hoc extraordinariam iudicari debet, cum ad divinam providentiam pertineat cuiuslibet de necessariis ad salutem providere, dummodo ex parte eius non impediatur:* inquit Angelicus *quæst. XIV. de verit. art. 11.* Hinc colliges veram intelligentiam illius axiomatis: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Facienti, inquam, quod in se est ex viribus gratiæ. Deus ergo pueris gratiam confert actualem ad honeste vivendum; cui si non reluctentur, uberiorem supeditat, fideique lumine eos perfundit: quandoquidem, quia neminem ille perire vult, omnibus providet de necessariis ad salutem. Illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum, in mundum scilicet rationis. Hunc mundum lucis rationalis ingredientibus omnibus suæ lucis radios Deus infundit. Adversarii, gratias actuales ad conversionem in Deum necessarias obcæcatis, & induratis peccatoribus Deum conferre ampla manu, propugnant, eorundem liberi arbitrii vires mirum in modum extollunt. Potiori ergo iure hæc omnia fateri debent respectu puerorum in florido illo primo rationis statu.

XXI. Obiic. 5. Nemo unus meminit, se in illo primo rationis ortu notitiam istius habuisse præcepti, aut illud se implevisse. Hac posita ignoratione, & dubitatione omnes confiteri debent peccatum istud. Resp. Sicuti nemo recordatur, se huius præcepti cognitionem habuisse; sic nemo recordatur, se eadem caruisse. Et tamen certum est vel illam habuisse, vel illa caruisse. Obiecta igitur oblivio neutram partem vel lædit, vel iuvat. Quare respondeo, plurimos non solum non recordari; sed ex eorum moribus fati valde colligitur illos transgressos præceptum fuisse. Plurimi pueri hoc divinum violant mandatum tum ob pravas habitudines, & temperamenti inclinationes, quibus inserviunt; tum ob parentum non solum desidiam, incuriamque, sed perverfam educationem, flagitiorumque plenam. Non modo parentes, potissimum istius temporis, negligunt optimis pueros suos imbueri moribus, innata virtutum semina fovere, gratiam baptismatis excolere, piæ cogitationes in illorum serere mentibus, cordisque affectus in Deum, Divosque percipere, verum etiam illorum oculos, sensuque pravus fascinant exemplis. Eorum mentibus primum omnium vana mundi effata imprimunt: delicias, fastum, luxum, thesauros, gloriam, ceterasque infantientis mandi illecebras extollunt. Quare mirum non est, si hodie tanta in pueris conspiciatur pravitas, fraus, & do-

lus, ut admiratione vel sagaciorum mentes suspendantur. Tenera est illa ætas, & veluti mollis cera flexibilis, & tractabilis: eas suscipit rerum formas quæ auribus, sensibusque occurrunt. Qua ratione, si sancta sunt quæ vident exempla, si pia quæ audiunt colloquia, sermonesque fuerint; pietatis, recipiunt formam. Quapropter isthuc parentes curas suas conferant, isthuc parochi, & christianæ doctrinæ magistri studia collineent sua, ut sanctis imbuant præceptionibus hanc tenerrimam ætatem: nitantur parvulos istos in divini amoris palestra exercere; illorum auribus continenter divinæ bonitatis amabilitatem, liberalitatis, misericordiæ immensitatem, iustitiæ, & vindictæ severitatem instillent, ut qua terrore, & tremore, qua amore, & fiducia in Deum erigere corda doceant. Si hæc omittant parentes, parochi, ludi magistri præstare; non video qua ratione excusari a culpa possint. Quoniam, tametsi daremus iustitiæ rigore, vique mandati devinctos non esse pueros amoris primitias Deo litare; quis inficias ire astit, hoc tributum offerendum divinæ maiestati saltem esse innumeris titulis urbanitatis, gratitudinis, & summæ convenientiæ? Si carnalis pater, ut primum a filiis dignoscitur, salutandus est; si Rex, dum primo coronam accipit, dum regni thronum primum occupat, fidelitatis sacramento subditos adigit, ut obsequium sibi præstent: quid æquius quam ut primum rationis splendor divinum Parentem, supremum Monarcham, Creatorem, Redemptoremque nostrum manifestat, eidem primordia moralis vitæ offerantur? Quid æquius quam ut inde vitæ nostræ rationalis orsa incipiant, adolescent, & crescant, ubi tandem desinare debent? Quid æquius quam ut in Deo vivere ceperet cor nostrum, cum quo in sæculorum sæcula regnare debet; idemque sit principium, ac finis vitæ nostræ? Quod autem spectat debitum consistendi istius præcepti omissionem; dicimus, quod, cum hæc omissio occulta sit, quisquam debet sub dubio saltem confiteri. Neque hoc scrupulos ingerit; sed securitati æternæ salutis consulit. Navarrus in Enchiridio de Oratione *cap. III. num. 17.* de hac omissione se confessum fuisse candide fatetur; nec continuo scrupulosum se esse existimavit. Sufficit tamen istius omissionis generalis confessio, quin singula expendantur tempora, ut sic anxietas nimia, & importuni scrupuli auferantur.

XXII. Obiic. 6. Puer ad usum rationis per-

pervenire potest non advertere ad obligationem præcepti, suamque deliberationem suspendere, & ad neutrum se se determinare: vel poterit malum detestari, & ab eo declinare, quin eliciat actum amoris erga Deum. Resp. Ab hoc ultimo ut ordiamur, ex amore boni, fuga mali proficiscitur. Si puer a malo declinet, eo ipso eligit bonum. *Quia bonum queritur, ideo refutatur oppositum malum:* inquit D. Thomas 1. 2. *quæst. xxv. art. 2.* Tota vis declinandi malum a bono est. Quod ad suspensionem iudicii attinet, iam inter disputandum convulsus fuit. Vita rationalis in actibus intellectus, & voluntatis sita est. De istius vitæ exordio sermo nunc recurrit. Si vita primos suos exerit actus, dici haud potest, quod illos suspendat. Eo ipso ergo quod puer ducere rationis vitam incipiat, quod malum a bono internoscit, quod lumen syndereis clare ei bonum honestum amplectendum, malumque fugiendum representet; sponte fluit electio boni, aut mali. Potissimum quod prima boni honesti notitia a Deo indita sit; atque adeo clara, & perspicua. Quippe Deus illam primam illustrationem immittit, ut sit veluti fons frequentium cognitionum quæ ad ordinem attinent moralem. Idcirco illa prima notitia nec semiplena, nec dubia, nec hærens est; sed completa in sua linea, & perfecta: ut puer constitutus in actu valeat ipse ratiocinari, deliberare, & eligere. Ne multa: ipsa recta ratio tunc clare ostendit non esse ambigendum, nec hærendum; sed bonum deliberate amplectendum, malumque vitandum. Quare si puer suum suspenderet iudicium, rectæ rationi resisteret, pugnaretque adversus syndereis principia. Necessè est ut deliberet, alterutrumque seligat.

XXIII. Ex momentis quæ pro nostra adduximus sententia, & ex confutatione difficultatum quas opponere adversarii solent, quibusque nunc colligere valet, quam commendabilis, quam non modo probabilis, verum etiam probabilissima, unaque verissima sit hæc nostra opinio. In cuius tamen maiorem confirmationem explicare breviter iuvat hanc proscriptam propositionem ab Alexandro VIII. *Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in PRINCIPIO, neque in DECURSU vitæ suæ moraliter.* Propositio quatuor constat partibus. *Dua primæ partes, quæ*

bonitatem obiectivam, & formalem spectant, innoxie sunt. *Tertia* falsa est, & etiam, ut ego quidem arbitror, proscripta videtur: quoniam urget præceptum sepe referendi actus nostros expresse, & actualiter in Deum ultimum finem. Præterquamquod actio moralis in aliquem finem honestum aut actu, aut virtualiter directa sit oportet, ut formalis moralitas in actu eluceat. *Quarta* pars proscripta est, nemine dissidente. Sed duplex occurrit sensus proscriptionis, nempe vel disiunctivus, vel distributivus, & copulativus. Primus ergo est. *Amari finis ultimus debet vel in principio, vel in decursu vitæ.* Et quod hoc in sensu hæc propositio sit vera, & contradictoria illius damnata, nemo ambigit: quin hoc in sensu iam damnata erat propositio ab Alexandro VII. & ab Innocentio XI. Alter sensus est. *Amari finis ultimus debet & in principio, & in decursu vitæ.* Et hic quoque sensus verus est, & in opposito sensu damnata itidem est relata propositio: idque tamquam probabilius defendit vel ipse P. Claudius La-croix *Lib. II. num. 145.* Quod si hoc verum sit, uti verissimum esse ego censeo, salvo semper meliori iudicio; consequitur contrariam recentiorum opinionem, qua docent, puerum in principio vitæ rationalis non teneri sese convertere in ultimum finem, includi in proscripta propositione. Nec sibi constare videntur quæ docet laudatus La-Croix *loc. cit. num. 144.* nempe probabilius esse non teneri puerum sub initium rationis sese convertere in finem ultimum: & deinde *num. 145.* subdit esse certum nos teneri & in principio, & in decursu vitæ tendere in finem ultimum. Si certum est nos astringi ad amplectendum finem ultimum in vitæ exordio; quomodo probabilius est nos non teneri? At, ut ut sit de hoc, illud mihi videtur certum, sententiam nostram in praxi tutam esse.

CAPUT VIII.

Quam aspera, & rigida sit recentiorum sententia. Legis evangelicæ mandata difficilia in se, caritatis amore suavifunt. Alia tempora frequentioris obligationis designantur.

I. **I**ncredibile omnino videtur Theologorum aliquem extitisse qui in suis cogitationibus eousque exorbitaverit a veritatis via, ut expresso amore diligendum esse Deum negaverit. Lex, natura, urbanitas, gratitudo, religio, iustitia clamant, inclamant-

mantque, Deum mundi creatorem, conservatorem, provisorumque supremum amore colendum esse: & Theologi in naturæ principis, in legis tum veteris, tum novæ regulis optime exculsi præfatum amorem denegant. Undenam, quæso, tam insolens cogitatio, tam monitrosa opinio? Nec enim parum nostram interest istius tam manifestæ aberrationis originem repetere. Quippe si palam fit vel ipsum primum, exploratumque caritatis mandatum obnubilatum quorundam Theologorum disputationibus fuisse, ac fere omnino de medio sublatum; non valde laborandum erit ut malorum multitudinem quæ in alia minus comperta præcepta invexit nimia disputandi libido, ostendamus. Duas autem tantorum radices malorum per transfennam hic indicabo.

II. Prima est factionis spiritus. Ex quo sæculo elapso extremas ingredi vias non pauci Theologi cœpere, quisque suscepti extremi partes non tueri modo, sed amplificare, & extollere, e re sua esse existimavit. Qui in nimii rigoris extremum prolapsi sunt, caritatis officia tanta sunt severitate interpretati, ut consilia quæ amoris divini perfectionem, fervoremque suadent, & promonent, præceptorum loco inculcaverint. Opera omnia caritate destituta in peccatorum censum rejiciunt. Ad referenda omnia in Deum opera, non statim temporibus tantum, sed continenter actu, vel virtute vi præcepti homines adigunt. Toties istos peccare contendunt, quoties omittunt in Deum sua referre opera; tametsi operis honestate suapte natura in Deum referibili, pellesti, nullaque perversa intentione ducti, actiones exercent suas. Contra, adversæ scholæ fautores, ut ab his declinarent anfractibus, in peiores ferre errores deciderunt. Quoniam, ut uno ictu nulloque negotio omnia suorum hostium molimina retunderent, caritatis præceptum de medio sustulerunt. Nolunt isti peculiare esse mandatum quod singulares amoris actus iubeat; sed in universali legis observantia illud collocant: nec semel in vita urgere per se aiunt. Alii præceptum falsi sunt, at semel in vita, scilicet in articulo mortis; alii pulsante tentatione odio habendi Deum; alii intra quinquennium, aut triennium obligationem amoris admiserunt. Tanto vero disputationis æstu quæque pars suos propugnare errores continuavit, ut timendi locus sit, non veritatis inquirendæ, & prædicandæ amorem, sed propriæ rationis tuendæ ardorem tam peregrinas, tamque evangelicæ sanctitati infe-

stas opiniones peperisse. Quippe plerique (inquit Cicero in Lucullo) errare malum, eamque sententiam quam adamaverunt, pugnantissime defendere, quam sine pertinacia, quod constantissime dicatur, exquirere.

III. Altera radix nimie laxitatis est erronea intelligentia illius Christi Domini oraculi: *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve*: Matth. xi. vers. 30. Porro recentiores quidam, ut iugum istud suave undique verum ostendant, nihilque afferre incommodi, & oneris christianæ religionis professoribus, carnis appetitionibus student accommodare. Hinc est quod quoties occurrit aliquod divinum mandatum humanis appetitionibus infestum, continuo illud vanis distinctionibus, & metaphysicis abstractionibus extenuare, vimque totam, & obligationem elevare nituntur, illudque totis lateribus inclamant: *Iugum meum suave est, & onus meum leve*. Porro erronea istius textus intelligentia potissima est laxitatis causa.

IV. Sensus itaque genuinus evangelici oraculi promendus est, ut hinc pateat quam sit aspera, dura, & tetrica de divinis mandatis opinio recentiorum. Iugum ergo evangelicæ legis suave est, & leve: quia scilicet iugum amoris est, lex caritatis est, scedus amicitiae est. Dura sunt præcepta carni, & sanguini inimica, carnalibus desideriis, & voluptatibus prorsus infesta. Verum dulcedo amicitiae amaritudinem tollit, celestis illa caritatis unctio suavitatem effundit: vis illa efficacissima amoris erga suum mutuum amorem, & amatum difficultates, & impedimenta omnia devincit, hostes deprimit, laborem nullum experitur; quamtumvis dura alioquin suapte natura sint præcepta illa quæ exequi debet. Hæc est omnium Patrum doctrina.

V. Paucos ex multis D. Augustini textus produco. In Psal. lxxvii. *Quidquid enim difficile est in præceptis, leve est amanti. Nec ob aliud recte intelligitur dictum Matth. xi. 30. Onus meum leve est, nisi quia dat Spiritum sanctum, per quem diffunditur caritas in cordibus vestris*. Fusius loquitur serm. lxxvi. cap. i. *Durum videtur, & grave quod Dominus imperavit, ut, si quis eum vult sequi, abneget se ipsum. Sed nec est durum, nec est grave quod ille imperat, qui adiuvat ut fiat quod imperat. Nam & illud verum est quod ei dicitur in Psal. xvi. Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras: & illud verum est quod ipse dixit Mat. xi. vers. 30. Iugum meum leve est, & onus meum leve*.

leve. *Quidquid enim durum est in præceptis, ut sit leve, caritas facit. Novimus quanta ipse amor faciat. . . quanta homines perpeffi sunt: quanta indigna, & intolerabilia pertulerunt ut pervenirent ad id quod amaverunt. Item Lib. de natur. & grat. contra Pelagianos cap. lxxix. Valde autem bona sunt præcepta, si legitime his utamur. Eo quippe ipso quo firmissime creditur Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe sunt facilia caritati, cui Christi sarcina levis est: aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est, secundum hoc quod dictum est I. Ioan. v. vers. 3. Et præcepta eius gravia non sunt. . . & quod dicitur in Deuteronomio xxx. . . . Prope te est verbum, in ore tuo, & in corde tuo. . . . Conversus ergo quisque, sicut tibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habet grave. Quomodo est enim grave cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo grave est: aut diligit, & grave esse non potest. Diligit autem, si, quod illic admonetur, Israel conversus fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua. Mandatum, inquit, novum do vobis, ut vos invicem diligatis: Ioann. xiii. &: Qui diligit proximum, legem implevit: &: Plenitudo legis caritas. Secundum hoc & illud dictum est: Si ambularent semitas bonas, invenissent utique semitas iustitiæ lenes. Quomodo ergo dicitur: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras? Psal. xvi. nisi quia utrumque verum est. Durae sunt timori; leves amanti. Plurima alia ex D. Augustino afferre possem, ut evincerem mandata divina dura utique esse, & gravia, si solæ spectentur naturæ vires, & præcepta ipsa; levia vero, & suavia fieri unctioe gratiæ, & caritatis. Sed quæ protuli, satis sint.*

VI. Hic colligere quisque potest quam dura, quam severa, quam intolerabilis sit recentiorum quorundam Theologorum doctrina, quamque erronea eorundem intelligentia divini effati: *Iugum meum suave est, & onus meum leve*. Iugum divinæ legis suave, & lene est, quia Spiritus sancti unctioe perfusum est, quia pinguedine gratiæ delinitum. Præfati Theologi iugum istud a caritate separant, amoris dulcedine privant: contendunt quippe amoris præceptum speciale non dari: vel si datur, perraro obligare docent. Lex Christi utpote lex gratiæ, vitam vivere

spiritualem, & caelestem imperat. Alimenta vitæ istius gratia est, caritas est. Si Christianos hoc privas alimento, qua fortitudine iugum portabunt? Si corpus nutrimento suo caret, quomodo sua deferet onera? Corpori fame confecto gravissimum, & intolerabile est onus, quod facile, & suave est corpori cibo refecto, & instaurato. Similiter divina mandata hominibus divini amoris pabulo vacuis, gratia destitutis, gravia, & dura sunt; iis vero qui cordis lampadem oleo caelesti plenam habent, qui divini amoris igne ardent, suavia, dulcia, lenia sunt. Recentiores nos traducunt ut silvestres, asperos, hirsutos, crudelesque, cum docemus pueros, ut primum vivere incipiunt rationalem vitam, debere in Deum se convertere, amore divino vires reficere sub ipsum ingressum in hanc vitam. *Hui tam cito!* exclamant. Præceptum adeo sublime, adeo excelsum tenerrimæ illi ætati imponis? Immo quia tenera, quia debilis ætas, adiuvanda, munienda, & roboranda est. Præceptum caritatis pharmacum divinum est, quo puerorum vires solidantur; balsamum, quo reliquæ originalis culpæ delentur; pabulum, quod vitam nutrit divinam. Si ergo vitam vivere divinam debent, & legis divinæ iugum deferre, illi crudeles dicendi sunt, asperi, & præter modum severi, qui ad onus istud evangelicum portandum, & vitam caelestem ducendam pueros deobligant: simul vero nutrimento unico quo hæc alitur vita, illos privant, iugumque ferendum gravissimum, asperrimumque efficiunt. Quoniam unctioe caritatis sublata, ut ex Augustino vidimus, dura sunt Dei præcepta, & viæ illius difficiles. Mirari satis non subit contrariam adversariorum disputandi methodum. Cum de auxiliis divinis sermonem habent, omnibus hominibus hæc conferri, nedum offerri, docent. Dum liberi arbitrii vires librant, expenduntque, magnopere eas extollunt, robustas prædicant. Dum contra servanda lex est, & implenda mandata, vires debiles sunt, Deus non adeo effuse auxilia dispensat. Idcirco legem non obligare, præcepta non urgere constituunt. Cur? *Quia iugum suave, onus leve*. Leve utique, si cervicibus illud excutis, alioque proicis: grave, si amoris æquipondio non allevas: dulce, & suave, si balsamo caritatis illud ungis.

CAPUT IX.

Frequentandorum actuum divinae caritatis debitum. Tempora quibus potissimum praeceptum urget ad istorum actuum exercitium.

I. **H**Atenus ostensum est. I. Praeceptum caritatis speciale esse, & actum expressum, & formalem amoris imponere. II. Pluries in vita obligare. III. infra quinquennium illud *per se* ad amoris actum adigere. Haec autem tria ex Ecclesiae Romanae definitione colliguntur. Alia nunc tempora sunt designanda quibus hoc urget praeceptum; praeter illud vitae rationalis initium, in quo omnes pueros rationis compotes huic praecepto obnoxios esse demonstravimus. Id autem ut clarius praestemus, sequentes proponimus quaestiuunculas.

II. **Q**uest. I. *Frequenter ne ad actus amoris Dei obligat mandatum divinum caritatis?*
R. Frequentem obligationem imponere praeceptum istud, ex divina Scriptura evidenter demonstratur. Deus *Deut. vi.* his verbis exprimit mandati obligationem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Eruntque verba haec qua ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditareberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur ante oculos tuos, scribebuntque ea in limine, & ostiis domus tuae.* Qui expressione adeo clara, & emphatica simul utitur, ut vim obligationis manifestet; quid aliud nisi perennem amorem iubet? Poteratne Deus altius continuam istis mandati observantiam inculcare? Hoc idem mandatum similibus verbis expressum repetit Christus Dominus in Evangelio, ut iam supra vidimus, textus afferendo. Et nunc addimus illud Ioan. xv. *Manete in dilectione mea.* Patres fere omnes illud *manete* sic interpretantur, ut perseverantiam constantem in divina dilectione exprimat: idque confirmant ex verbis quae immediate sequuntur: *Sicut & ego Patris mei praecepta servavi, & maneo in eius dilectione.* Quae verba hunc reddunt sensum: Ideo servo praecepta Patris mei, quia Patrem diligo: quem sensum confirmant alia verba quae idem Evangelista scribit cap. xiv. vers. 24. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Praecipit igitur Christus nos in Dei dilectione manere, id est continenter illius amore ardere. Docet nos servare praeceptum caritatis, quo alia servare mandata valeamus.

Quippe haec dilectio fragranti unguento linit aliorum praeceptorum severitatem, rigorem mitigat, & ad illorum observantiam viam parat, viresque, & fortitudinem confert. Qui enim non diligit Deum, dicit Evangelista, illius non servat mandata. Qua positione constituta, mirum non est, si recentiores legis praecepta plurima non obligare doceant, quod gravia reputent: quoniam praesidium caritatis auferunt. Accedit illud D. Petri effectum Epist. I. cap. iv. *Ante omnia autem mutuatam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum:* quod explanans Auctor commentariorum in Epistolas canonicas qui D. Thomae a nonnullis tribuuntur, ait: *In vobismetipsis, id est intra vos in corde, & non tantum in signis exterioribus. Continuatam: non interruptam. Loquitur magis de continua caritate habenda, quam de vigiliis, vel orationibus: quia, ut dicit Beda, semper diligere valeamus, semper autem vigilare in orationibus, fragilitate carnis obstante, non possumus.* Praeceptum ergo orationis interruptionem patitur; secus praeceptum caritatis, cuius perennem durationem nihil impedire valet. Quae continuatio moralis est, non physica.

III. Frequens caritatis exercitium inde etiam evincitur unde diximus cum D. Paulo praeceptum caritatis finem esse aliorum praeceptorum: *Finis praecepti caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta:* I. ad Timoth. i. ex quo hanc instituo argumentationem. Cetera praecepta, puta castitatis mentis, & corporis; abnegationis sui ipsius; abstinendi a re aliena, etiam gravi urgente penuria; sanguinem effundendi, potius quam a fide desciscendi, gravissima sunt, & ardua. Sola finis intentio vehemens, ac fervens animum attollere, atque concitare ad haec exequenda media valet. Ergo si languida fuerit, & nimium interrupta finis intentio, executio mediolorum cesset oportet. Hoc quotidiana experientia patet. Si mercator constituat Indias petere, ut merces comparet, navigationem arripere debet periculorum, molestiarum, laborumque plenissimam, longissimamque. Quid, quae, animos iniiciet ad tot subeundos labores, pericula, tædia, ad tot perferenda incommoda? Non sane aliud, nisi efficax ac fervens desiderium comparandarum mercium: ad harum quippe consecutionem omnia recensita incommoda, tamquam media necessaria ad finem, diriguntur. Quis dixerit mercatorem hunc labores, & pericula tam longae navigationis tolerare con-

stanter posse, si raro illi mercium Indicarum memoria occurrat, aut si nullo, aut languido exilique desiderio teneatur earumdem mercium? Qui igitur per integros menses, annosque nullum eliciunt divini amoris actum, quorumque mentes, animique tepescunt, & caritas, quae finis est mandatorum, frigidescit: quomodo praeceptorum, seu mediolorum difficultatem, laboremque devincant? Et sane id re ipsa contingit. Christiani facillime violant cetera praecepta, eaque contemnunt, tamquam onus eorum humeris minime aptum; quia nullo placendi Deo desiderio flagrant; quia nulla in eorum cordibus scintilla caritatis ardet. Doctrina quippe Philosphorum certissima haec est, cessante efficaci intentione finis, evanescere mediolorum electionem. Et mirum in modum hinc apparet quam sit solida doctrina Augustini, aliorumque Patrum, dura scilicet, & gravia esse mandata, nisi dulcia, & suavia amore evadant. Alterum Augustini textum proferam ex *serm. ix. de verb. Domini.* Deberem integrum sermonem transcribere, quia totus versatur in explicando modum quo grave Christi iugum suave fiat. Sic ergo inquit. *Mirum quibusdam videretur, fratres carissimi, cum audiunt Dominum dicentem. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve: & considerant eos qui iugum ipsum intrepida cervice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus huius seculi, ut non a laboribus ad quietem, sed a quiete ad laborem vocati videantur. Quomodo iugum leve, & sarcina levis? Audiamus Apostolum dicere: In omnibus commendantes nosmetipsos, tamquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis &c. Et alio loco in eadem epistola: A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi: ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte, & die in profundo maris fui. Omnia ergo illa quae commemoraverat aspera & gravia, frequentius & abundantius sustinebat; sed profecto aderat ei Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renovaret de die in diem, & gustata requie spirituali in affluentia deliciarum Dei, in spe beatitudinis futurae omnia praesentia deliniret aspera, & omnia gravia releveret. Ecce quam suave iugum Christi portabat, & quam levem sarcinam, & omnia illa quae superius enumerata dura, & immania omnis auditor horrebat, levem tribulationem diceret, inveniens in-*

terioribus, & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati aternos labores impiorum, & sine ulla sollicitudine perfui felicitate iustorum. Secari, & uri se homines patiuntur, ut dolores non aterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris acriorum dolorum pretio redimantur. In languida, & incerta vacationis brevissima, atque ultima vita immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus. Quibus tempestatibus, & procellis, quam horribili, & tremenda saevitia caeli, & maris importuni sunt mercatores, ut divitias ventosas acquirant maioribus, quam quibus acquisita sunt, periculis, & tempestatibus plenas. Quos aestus, quae frigora, quae pericula ab equis, a fossis, a praecipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores, quem laborem esuriendi, & sitiendi, quantas vilissimi, & sordidissimi cibi, & potus angustias, ut bestiam capiant. . . . Sed in his omnibus qui haec non amant, eadem gravia patiuntur; qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia, pati videntur. Omnia enim levia, & immania, prorsus facilia, & prope nulla efficiunt amor. Quanto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinem caritas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Quam facile toleratur quaelibet adversitas temporalis, ut aeterna poena vitetur, aeterna requies comparetur. Non immerito ille vas electionis cum ingenti letitia dixit: Non sunt condignae passionibus huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis: Rom. viii. Ecce unde illud iugum suave est, & sarcina levis: & si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmita: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Sed quae dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus.

IV. Haec licet paullulum prolixiora ex Augustino transcribere lubuit, ut palam fieret nihil hoc de argumento a nobis dici quod non fuerit prius ab Augustino scriptum. Quam Augustini doctrinam confirmat Angelicus 2. 2. quest. xlv. art. 1. *Finis autem spiritualis vitae est ut homo uniaturo Deo, quod fit per caritatem. Et ad hoc ordinantur, sicut ad finem, omnia quae pertinent ad spiritualem vitam.* Ex qua sic instauratio argumentationem meam. Sicut moraliter fieri nequit ut mercator navigationis pericula, miles belli pressuras, & vulnera, venator incommoda venationis perferant, nisi vehementi flagrent ardore id assequendi quod sibi in finem praestituere; eadem ratione difficillimum, & mo-

raliter impossibile est ut Christiani multo tempore cetera omnia legis præcepta servant, nisi frequenter in fervidos amoris actus erga Deum erumpant. Hanc porro summam difficultatem, moralemque impossibilitatem vi gravissimi præcepti tollere astringuntur. Sola autem caritas hanc difficultatem, & impedimenta auferre valet. Ergo ad frequentandos caritatis actus vi præcepti astringuntur homines. Cum dicitur, caritatem ad alia præcepta servanda necessariam esse, non est sensus, quod caritas sit medium, & alia præcepta sint finis; sed e contrario alia præcepta imperantur ab efficaci intentione finis, seu caritatis, eorumque executio dirigitur in caritatem sicut in finem. Idque patet ex communi doctrina de intentione finis, & electione mediorum. Finis enim per se intenditur, & media propter finem: & tamen cum media ardua sunt & difficilia, finis intentio renovatur, ut istius efficacitas animum ad executionem impellat mediorum. Nec propterea quicquam dixit, finem esse propter media; sed contra media propter finem. Repetenda igitur est frequenter finis intentio, seu amor erga Deum ob duplicem rationem, tum ut ipsum impleatur caritatis præceptum, tum ut facilius alia præcepta executioni mandentur.

V. Quæst. II. *In quo sita est frequentia ista actus amoris erga Deum repetendi?* Resp. Antequam frequentiam hanc pressius explico, congruum est aliqua tempora designare in quibus communiter Theologi præceptum urgere docent; & quasdam opiniones refellere quæ nimium differunt istius præcepti observantiam. Itaque certum cum sit pluries in vita amandum Deum esse, ut alias dictum est.

VI. P. Thomas Sanchez *Lib. II. cap. xxxv.* octo temporum intervalla designat in quibus ceteri Theologi præceptum urgere docent, eaque reiicit. Hoc idem præstat P. Castropalaus *tract. vi. disp. 1. punct. 4.* Primo loco refert sententiam quæ urgere præceptum docet sub primum rationis diluculum, eamque reiicit: sed eam supra a vanis cavillis asserimus *num. 3.* Refert deinde opinionem P. Vasquez, qui obligationem istius præcepti reiicit in vitam finem: *Huius tam sero!* Merito illam improbat. Tertio producit opinionem Ioannis Sanchez, & aliorum, quos tacito nomine indicat Sotus, docentium semel tantum in vita præceptum hoc obligare. Tamquam nimium laxam a Theologis communiter reprobari asserit. Quar-

to recenset sententiam Scoti, Angeli, Tabienæ, qui singulis diebus festis teneri fideles ad Deum diligendum defendunt. Sententiam hanc ut nimis rigidam explodit: quia, inquit, sanctificari dies festi valent sine dilectione Dei. Accedit nullum esse qui de hac omissione facta die festo se accuset: ergo credibile non est hanc esse obligationem; alias Parochi tenerentur suos fideles de illa monere, & ad illius impletionem excitare, quod videmus non fieri. Næ egregia argumentatio Parochi probabilissimi præiudiciis occupati id præstare negligunt, verum est. Admonent vero fideles suos de hoc amoris tributo Deo pendendo Parochi evangelica Ethica instructi. Quinto commemorat opinionem Soti, & Valentia, qui docent adultos suscipientes baptismum ad diligendum Deum astringi. Sed neque hæc illi aridet opinio. Sexto inducit Bannez docentem amandum Deum esse, quoties sumenda eucharistia est. Sed est, inquit, obligatio sine fundamento.

VII. Præterire hic minime valeo imposturam quam P. Moya *tract. vi. disp. vi. quæst. 1. §. 2. & 3.* impingit Magistro Bannez, qui conceptis verbis docet mandatum caritatis speciale esse, pluries in vita urgere, & potissimum splendente primo rationis lumine. Deinde subdit, difficile satis esse tempora definire præcisa in quibus urget. Putat tamen eos qui sumunt eucharistiam semel in anno implere præceptum istud. Cuius sensus non est, ut cavillatur Moya, quod sumptio ipsa sacramenti sit observantia præcepti; sed quod fieri vix potest ut fideles accedant ad hoc divinum convivium, quod ultimum, & supremum est divini in nos amoris argumentum, quin redament Deum illum qui se in illorum alimentum præbet. Sic dicimus: qui servant Dei mandata, Deum diligunt: non quod observatio præceptorum sit ipsa Dei dilectio, sed signum, & effectus dilectionis. Postremo admonet Bannez nobis etiam ignorantibus imputari istius præcepti omissionem posse, & continuo nobis clamandum esse: *Ab occultis meis munda me Domine.* Non vacat longiorem pro Bannesio defensionem adornare; cum satis superque illum a cavillis P. Moyæ asseruerit Vincentius Baronius. Nec quæ in Baronium Moya loco laudato congerit, aliquam merentur oppugnationem: sua quippe futilitate corruunt. Paritas baptismi cum eucharistia nullius momenti est. Mortuorum illud, vivorum, seu aman-

amantium, sacramentum istud est. Bannez optime argumentatur, dum dicit, susceptionem baptismi non esse impletionem præcepti diligendi Dei. Neque sibi contradicit, cum docet illum qui suscipit eucharistiam semel in anno, præceptum caritatis servare, ob rationem datam, quod fieri vix possit ut fideles accedentes ad has cælestes epulas non tantum veste nuptiali caritatis, qua induti sint necessum est, cum digne sacramentum percipiunt.

VIII. Sed revertamur ad Castropalaum. Septimo loco repellit doctrinam illorum qui sanctos martyres sese muniendos iubent divini amoris armatura ad extrema perferenda supplicia. Octavo cum Sanchez, Suarez, & Coninch, aberrare eos contendit qui docent redamandum vi præcepti Deum esse, cum magnum ab eo recepimus beneficium. Onus hoc grave reputat; si intimo cordis affectu grates divino largitori reddere iubeamur; cum ille sua nobis impertiat beneficia, ut nostra magis sibi devinciat corda. Nono illi displicet doctrina Soti, & Valentia, qui ad amandum Deum nos obligant vi præcepti, quoties illius maiestatem impeti blasphemias audimus. Amor erga parentes, patriam, amicos, nos ad illorum asserendum honorem impellit: quidni ad propugnandum honorem divinum? Sed religionis, non caritatis munus istud est. Non renuo. Sed amor erga Deum nos ad defungendum religionis officium impellit; & tunc hoc amore in hoc eventu religionis actus languet. Decimo discrepat ab ipso P. Sanchez docente præceptum obligare, dum odio habendi Deum animum tentatio vellicat: quia raro, vel numquam præsumi potest dilectionem Dei medium esse necessarium ad propulsandam tentationem odii. Quod absolute non sit amor Dei medium physice necessarium ad expellendum odium, esto. Ceterum moraliter opportunum antidotum odii amor est. Idcirco communior sententia docet urgere tum præceptum, sive per se, ut Sanchez; sive per accidens, ut communius alii. Undecimo recedit a communissima sententia extendente obligationem divini mandati potissimum ad mortis tempus. Opinionem hanc satis probabilem fatetur, atque in praxi consulendam; at illi certa non est, si peccati mortalis concitatus tu non sis. Nobis vero nimiam redoler laxitatem eximere fideles a debito amoris Dei eo tempore quo medio amore copulari Deo debemus. Amplectenda

ergo est communis sententia. Postremum tamquam asperam, nimiumque duram reiicit sententiam quæ docet fideles teneri singulis annis vi præcepti Deum amare. Quid diceret de præcepto confitendi singulis annis, si auctoritas Ecclesiæ non obstaret? Deus si quidem tanta cura; tantoque studio, & sollicitudine auribus nostris non inculcat præceptum confessionis, sicut mandatum amoris, ut manifestum est. Verum otio abuterer, si longius improbarem opinionem quam ille suo Marte cudit, videlicet peccare fideles, si ultra triennium differant actum amoris Dei. Quid, si ultra biennium? Levem tunc culpam pronuntiabit? Otio, inquam, abuterer, si argumenta congererem, quibus hanc nimium tane laxam opinionem confutarem.

IX. Quæst. III. *Satisfacit ne huic præcepto qui semel in anno Deum diligit?* Resp. minime. Pluries in anno Deum vi præcepti amandum esse, mihi certum est. Quandoquidem Deus tanto verborum apparatu, & tanta expressionum efficacia nobis hunc amorem præcipit, ut continuitatem istius amoris exigere videatur. Verum, cum hæc continuitas physica esse nequeat, spectata naturæ corruptione, ad quamdam continuitatis moralis, nostraque naturæ aptæ, speciem confugiendum est. Porro, ut hæc moralis fervetur continuatio, sæpius in annos singulos amoris actus repetendi sunt: Sine hac quippe frequenti repetitione moralis continuitas consistere non valet. In hanc sententiam concedunt Cardinalis Gotti, doctrina non minus quam purpura clarissimus, Cardenas, Roncaglia, Antoine; aliorum. Nec video qua ratione Theologorum aliquis ab ea discedere valeat.

X. Quæst. IV. *Singulis ne diebus festis urget hoc amoris mandatum?* Resp. Adfirmat Scotus in *IV. dist. xxvii. quæst. unica*, Tabienæ *verb. Caritas quæst. xx. Angelus verb. Fer. num. 41. Gabriel in III. dist. xxxvii. quæst. unic. art. 3. Almainus quæst. unic. & alii. Quæ sententia* (inquit Cardenas *diff. vi. cap. 11. art. 2. n. 9.*) *non est contemenda.* Idemque censet P. Antoine *tract. de virt. Par. III. cap. 11.* Quin ait, Patrem Cardenas docere mortale peccatum committere illum qui hunc amoris actum per mensem negligeret. Et sane mihi valde probabilis est sententia isthæc: immo si continuitatem moralem amoris considero, quam Deus nobis præcipere dixi, ob vim, & robur verborum quibus conceptum est illius mandatum; quasi dicerem probabiliorem mihi esse. Quo-

Quoniam si Deus vult suum mandatum omni nostro conatu, tota anima, tota mente, tota fortitudine impleri; si illud nobis ob oculos continenter obversari præcepit; si iubet nos cogitationes nostras, sive sedentes in domo, sive ambulantes in itinere, in illud conferre; si illud in limine, ostiisque domorum scribere imperat, ut altius memorie nostræ fixum hæreat: qua benigniore, unaque verosimiliore explicatione interpretari valeamus præceptum tanto studio inculcatum, quam si dixerimus, semel singulis hebdomadibus implendum esse? Feita ad Deum colendum instituta sunt. *Quis vero* (inquit Augustinus) *est cultus eius, nisi amor eius?* Non negamus præcepta exteriora servari posse sine caritate. Sed, si præter litteram legis spiritus legis inspicatur, ideo Deus abstinere ab operibus servilibus, bonisque vacare iubet, ut cor nostrum in ipsum erigamus, ut a terrenis seiuncti, & abstracti, sola caelestia meditemur, & commercium cum ipso habeamus, atque viscera cordis nostri in illius dulcissimis colloquiis, & amplexibus dilatemus. Sane si Scripturæ, si Patres, si ratio, & cuiusque generis momenta consulantur; valde probabilis mihi hæc opinio videtur, salvo semper meliori iudicio. Quando enim principia certa defunt, quibus sententia quæ nobis verisimilis apparet, firmetur; submisit, & magno cum timore promendum iudicium est. Quoniam non minus peccatur ob iniustum rigorem quam ob nimiam laxitatem. Hinc temperanda mihi videtur, & explicanda sententia hæc. Si singulis diebus festis diligendus *per se* Deus est vi præcepti; quando ergo plura sibi immediate succedunt festa, ut non raro contingit, singulis ne diebus præceptum urgebit? Qui tribus festis Deum diligit, peccabit ne graviter, si quarto die eum non diligit? Respondeo. Qui tribus festis Deum diligit, diligit & quarto, si iustus sit, & in peccatum non labatur, ut infra dicam. Ceterum, ut recta interrogationi respondeam, dico, satisfieri præcepto, si singulis diebus dominicis Deus diligatur. Sed quam produs istius arbitrariæ determinationis rationem? Quia, ut Suarez, aliique graviores Theologi docent, definita istius præcepti obligatio prudentum arbitrio relinquenda est. Prudentiæ vero meæ (si qua quidem in me est) probabile apparet quod singulis dominicis diebus diligendo Deum impleatur mandatum. Hoc quippe modo servatur continuitas moralis amoris, quam

iubere præceptum diximus: & fixus rigor obligationis temperatur, & aptatur conditioni naturæ humanæ, quæ nec nimia contemplatione caelestium opprimenda est, nec nimium laxanda in terrenarum rerum amore. Hæc nobis probabilia videntur. Qui meliora habet, promat. Nec ideo diebus dominicis urgere præceptum amandi Deum dicimus, quod amor iste necessarius sit ad observandum mandatum de festorum sanctificatione; sed quod eiusmodi temporis intervalum opportunum existimamus ad servandam moralem continuitatem amoris, ut explicuimus. Iterum tamen inculco, me hæc omnia sapientum iudicio subicere. Quoniam nihil mihi antiquius est quam ut iniusti rigoris notam declinem. Dives enim in misericordia Deus est. Quare non ita illigo obligationem præcepti diei dominico, quod non possit altero hebdomadæ die præcepto satisfieri. Quoniam, ut dixi, semel in hebdomada sufficit. Nec in mentem tibi veniat scrupulis animas implere doctrinam hanc. Nam qui reipsa hoc præceptum implent, plusquam semel Deum amant in singulis hebdomadas. Peccatores numquam. Clarius infra hoc explicabo.

XI. Hæc obligatio amandi Deum in primo rationis instanti, in mortis articulo, pluries in annum, immo, ut probabile censemus, singulis Dominicis, *per se* est, seu vi ipsius præcepti caritatis. *Per accidens* vero obligat præceptum, quando quis audit Deum blasphemis impeti, quando odio habendi Deum graviter tentatur: item, cum iustificari debeas, maxime extra sacramentum; ut si sacramenta administrare debeas sine confessione, aliisque similibus casibus, de quibus dictum est supra.

XII. Observes velim, te implere posse præceptum caritatis *per se*, etiam quando illud observas tempore quo obligat *per accidens*. En exemplum. Agnoscis quod actus amoris Dei efficax remedium sit ad repellendam gravem tentationem sive luxuriæ, sive odii, qua vexaris die dominico, in quo supponimus præceptum caritatis obligare *per se*. Si tu elicias actum amoris, quo te tentationis lascivæ periculo subducis; utrumque præceptum implevisti, castitatis, & caritatis: quoniam tamen hoc præceptum caritatis obliget *per se*, non propterea impedit quo minus eliciatur actus imperatus ob finem poenitentiae, propulsandi tentationem, & evadendi damnationem. Igitur quantumque eliciatur actus caritatis, sive ab-

solute absque ullo respectu ad aliquem finem assequendum, sive propter poenitentiam; semper valet ad implendum præceptum; per se pluries diligendi Deum: & si illo die quo actum amoris edis ob finem servandi castitatem, obligat *per se* caritatis præceptum, observas reapse mandatum caritatis; si vero tali die quo tentatione vexaris, mandatum caritatis *per se* non obligat, si tentationi lascivæ succumbis, peccas contra præceptum castitatis, secus contra præceptum caritatis.

XIII. Ultimo observes velim, quod etiam alii Theologi animadvertunt, ut Cardenas, Lorca, Leander, Catholicos bene moratos facillime implere hoc mandatum caritatis. Plures siquidem quotidie caritatis actus edunt, etiam non advertentes. Quandoquidem licet eliciantur ob aliarum virtutum exercitia, satis sunt ad implendum mandatum. Porro fideles qui devote recitant precationem dominicam, Deum amant, cum, ut sanctificetur sanctissimum illius nomen, orent; Deum amant, cum ob illius amorem pauperibus succurrunt, iniurias sibi illatas hilariter perferunt, corpus ieiuniis macerant; qui denique præcepta legis exacte servant, & propriae professionis penum impigre solvunt. Facebant ergo quorundam recentiorum spectra, & lemures, quibus ut tetricam, & grave hoc præceptum frequenter amandi Deum traducunt. Grave est, ut diximus alias, hominibus carnalibus; ceterum iis omnibus qui Dei legem servare student, qui propriae salutis negotium serio peragunt, non modo suave est, sed legem totam suavem efficit, corque roborat ad observantiam.

CAPUT X.

Quomodo Catholici, sive iusti, sive peccatores, implent, violantque caritatis præceptum

I. **D**Uas gravissimi momenti, & scitu necessarias difficultates enucleandas aggredimur. Altera est de peccatoris poenitentia statim post peccati perpetrationem: quam quidem controversiam ex professo non versabo, ad tractatum de poenitentia illam reiciens, & modo quædam tantum delibans ad clariorem intelligentiam præcepti caritatis. Quippe dictum est, pluries in anno illud obligare; immo probabilius singulis diebus dominicis. Porro peccator letali crimine inquinatus implere caritatis præceptum nequit, nisi respiscat, peccatumque

Conc. Theol. Tom. I.

poenitentia deleat. Idcirco examinandum occurrit, teneatur. ne statim post lapsum poenitere, ut amare Deum valeat. Altera ipsum iustum spectat, utrum scilicet hic peculiari ratione repetere actus caritatis astringatur, quibus permanentiam caritatis in anima custodiat, foveat, securioremque efficiat. Ambas difficultates brevi calamo, quoad fieri poterit, resolvemus.

§. I.

Omnia iustorum opera sunt aut meritoria, aut demeritoria.

II. **U**T a iusto initium ducamus, illud est primum omnium demonstrandum, quod scilicet in homine gratia sanctificante ornato nullus detur actus qui non sit aut meritorius aut demeritorius. Quæ controversia tamen alibi locum habeat, e re tamen nostra est illam paucis perfringere: quia ex illa clarius evincitur debitum irequenter repetendi actus caritatis. Porro quod omnia iusti opera meritoria sint, aut demeritoria, colligitur primo ex Apostolo Paulo I. Cor. xv. *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Hic Apostolus comprehendit omne opus, omnemque laborem, & dignum mercede pronuntiat. Non me fugit reponi posse, Apostolum de opere bono loqui; secus vero innuere quod omne opus bonum dignum sit mercede aeterna. Verum quamvis expresse id Paulus non asserat, satis tamen probabiliter colligitur: potissimum quod communiter graviores Theologi hoc in sensu excipiunt Apostoli textum, nostramque positionem defendunt. D. Thomas in II. distinct. xl. quæst. i. artic. 5. *Nullus actus a voluntate deliberata procedens potest esse qui non sit bonus, vel malus, non tantum secundum Theologum, sed etiam secundum moralem Philosophum. Et voluntarius non potest esse aliquis actus a deliberata voluntate procedens in habente gratiam, qui non sit meritorius. Sed in non habente gratiam potest esse aliquis actus deliberatus, qui nec sit meritorius, nec demeritorius. Et paulo infra: Sed tamen actus bonitate civili perfectus, non est susceptibilis efficacia meriti, nisi in eo qui gratiam habet: & ideo in eo qui caret gratia, indifferens est ad meritum, & demeritum; sed in illo qui gratiam habet, oportet vel meritorium, vel demeritorium esse: quia sicut malus erit demeritorius, sic & bonus erit meritorius.* Quia cum

caritas imperet omnibus virtutibus, sicut voluntas omnibus potentiis, oportet ut quidquid ordinatur in finem alicuius virtutis, ordinetur in finem caritatis. Et cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicuius virtutis, in finem caritatis ordinatus remanebit; & ita meritorius erit. Et sic comedere, & bibere, servato modo temperantiae, & ludere ad recreationem servato modo eutrapeliae, quae medium tenet in ludis, ut dicitur II. Ethicorum, meritum erit in eo qui caritatem habet, quae Deum ultimum finem vitae suae constituit. Hoc idem docet pluribus aliis in locis quaest. II. de malo artic. 5. ad II. Ad hoc quod aliquis sit actus meritorius in habente caritatem, non requiritur quod actu referatur in Deum; sed sufficit quod actu referatur in aliquem finem convenientem, qui habitu referatur in Deum. Sicut si aliquis volens peregrinari propter Deum, emat equum, nihil actu de Deo cogitans, sed solum de via quam iam in Deum ordinaverat; hoc est etiam meritorium. Sed constat quod ille qui habet caritatem, se, & omnia sua ordinavit in Deum, cui inhaeret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinaverit vel ad se, vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet; nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum. Hoc autem non potest esse, nisi sit peccatum saltem veniale. Ergo omnis actus habentis caritatem vel est meritorius, vel est peccatum. Eadem habet quaest. XIV. de verit. artic. 5. Dicendum, quod in habente caritatem non potest esse aliquis actus virtutis, nisi caritate formatus: aut enim actus ille erit in debitum finem ordinatus; & hoc non potest esse, nisi per caritatem in habente caritatem: aut non est ordinatus in debitum finem; & sic non erit actus virtutis.

III. Unicum aliud testimonium produco ex eodem Angelico, quo declaratur, quo in sensu intelligendum sit id quod quandoque dicit Angelicus, sufficere videlicet referre in Deum relatione habituali opus bonum, ut sit meritorium. Inquit ergo in II. dist. xl. art. 5. ad 6. Dicendum, quod non sufficit omnino habitualis relatio actus in Deum: quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur. Nec tamen oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum, sit semper coniuncta cuilibet actioni, quae dirigatur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur; sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem di-

rigere: tunc enim quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Quando ergo Angelicus insinuare videtur, satis esse referre opus in Deum relatione habituali, non aliud intendit, nisi quod iustus, qui habitu gratiae sanctificantis, & habitu caritatis praeditus est, habitu conversus in Deum est: ex qua habituali conversione, quoties operatur bene moraliter, suapte natura fere consequitur ut virtualiter saltem opus suum dirigat in Deum, ut clarius explicat Hannibalduus in II. dist. xl. art. 4. *Est homo (iustus) non semper actu cogitet de Deo, tamen habitu semper refert in Deum: & quodam modo actu, in quantum vis actualis intentionis praecedentis remanet in actibus sequentibus.* Ex quo satis perspicue apparet, quod relatio haec habitualis, quam interdum sufficere Angelicus ait, eadem sit ac virtualis. Quippe loquitur Angelicus relate ad propria principia, quibus ita-tuit omnia iustorum opera meritoria esse, vel demeritoria. Quoniam ex quo iustus actu caritatis se, & omnia sua Deo subiicit in ultimo fini, remanet & habitualiter in Deum conversus: & ex hac habituali conversione consequitur quod iustus operans bonum morale, virtute praecedentis actus, virtualiter saltem, bonum istud in Deum ordinet.

IV. Sententiam D. Thomae communiter amplectuntur Thomistae. Capreolus in II. dist. IV. quaest. I. art. 3. & dist. xl. qu. I. art. I. Caietanus I. 2. qu. VII. art. 3. Soto Lib. III. de natur. & grat. cap. IV. Medina I. 2. quaest. XVIII. art. 9. Genet disput. II. art. 6. num. 151. Collegium Salmanticensis tract. XVI. disp. IV. dub. 5. Ratio autem satis perspicua videtur. Actus caritatis amor efficax est finis ultimi, seu Dei auctoris supernaturalis super omnia. Ergo subiicit Deo, atque in Deum dirigit hominem iustum, omniaque illius opera quae in Deum referri queunt. Prima propositio a nemine in disputationem adducitur. Altera vero illam sponte consequitur. Quoniam haec prerogativa est actus efficax, ut sua vi influat in ea omnia quae dirigit, & ordinat. Virtute siquidem istius imperii, & influxus ab actu inefficaci distinguitur. Accedit quod homo iustus, cum actu efficaci amoris semetipsum Deo sacrificat, potissimum quod in victimam Deo litat, liberum arbitrium est, & voluntas. Hoc quippe est Deum toto corde, tota anima, & tota mente diligere, nempe integram animam, mentis, & voluntatis hostiam Deo offerre. Si integram plantam donat; ergo & fructus, nempe actus omnes qui ab eadem voluntate proficiuntur.

ciscuntur, si boni sint, dignique ut Deo offerantur. Hanc rationem paucis verbis complectitur Angelicus 2. 2. quaest. XLV. artic. 4. *Deus autem est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda.* Idemque repetit I. 2. quaest. CX. artic. 10. *Sub praeepto caritatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum.* Hoc quippe est privilegium caritatis quod modus illius cadit sub praeepto; ita ut vi praeepti caritatis omnia opera nostra teneantur in Deum dirigere, secundum illud Apostoli I. Cor. X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quem textum pluribus in locis explicat Angelicus, maxime quaest. II. de virtut. art. II. ad 2. *Dicendum, quod omnia referre in Deum, non est possibile in hac vita, quod semper de Deo cogitetur, hoc enim pertinet ad perfectionem patriae; sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur.* Ad cuius evidentiam considerandum est, quod sicut in causis efficientibus virtus prima causae manet in omnibus causis sequentibus; ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis. Unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem; sicut medicus, dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis cogitans de sanitate; virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis seipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quae propter seipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui est Deus. Unde in omnibus mereri potest, si caritatem habeat. Hoc igitur modo praeeptum Apostolus quod omnia in Dei gloriam referantur. Et in responsione ad tertium argumentum subdit, quod aliud est habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. *Habitualiter enim refert in Deum etiam qui nihil agit, nec aliud actualiter intendit, ut dormiens. Sed virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum.* Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub praeepto; sed virtualiter referre in Deum cadit sub praeepto caritatis.

V. Difficiles, ac metaphysicas nimium subtilitates texere hic Scholastici solent, ut modum explicent quo actus ille primus caritatis transactus permaneat in actibus subsequen- tibus, quos dirigere debet. Verum in his expediendis immorandum non esse existimavimus. Illud quippe certum est caritatem formam esse ceterarum virtutum. Modus porro

quo haec contingat informatio, diversimode a Theologis explicatur. Alii contendunt fieri hanc informationem media quadam modalis formalitate, quae eiusdem caritatis participatio est, & in ceteras virtutes derivatur. Alii volunt caritatem se ipsa alias virtutes informare, easque dirigere in finem ultimum: quod evenit, dum primo gratia, & caritas animae infunduntur. Verum paucis verbis dicitur, quod caritas, cum sua efficacissima vi voluntatem, ceterasque virtutes, omniaque sua in Deum ultimum finem dirigit, ita afficit, disponit, dicamusque, modificat voluntatem, aliasque virtutes, ut vi istius modificationis, & habitudinis impressae ab efficacia caritatis, etiam post transactum illum primum actum, tendant in ultimum finem. Quapropter, dum adversarii opponunt actum formalem caritatis dirigentem elapsam esse, & consequenter non posse sua efficacia influere in actus subsequentes: optime responderet transivisse formaliter actum illum; sed virtualiter remanere in inpressione, seu modificatione relicta in voluntate, ceterisque virtutibus. Hoc autem pluribus exemplis confirmari valet.

VI. Obiicies. Infidelis refert se, & omnia sua in numen falsum, in idolum. Ergo virtute istius efficaciae relationis in finem ultimum idololatriae, cetera omnia posteriora opera superstitionis labe fordescent: & sic omnia opera infidelium erunt peccata, quemadmodum omnia opera iustorum sunt meritoria. Resp. Paritas laborat, ut aiunt, falso supposito, nempe quod finis ultimus idololatriae sit idolum. Sed cuiusque, sive infidelis, sive peccatoris, finis ultimus est bonum proprium, prout abstrahit a ratione increati, vel creati, honesti, vel inhonesti. Licet ergo videatur quod idolum sit finis ultimus idololatriae, reapse ita non est: non enim amat se propter idolum, sed idolum propter se: sicuti, dum peccator perpetrat aliquod flagitium, finis ultimus adequatus illius peccatoris non est obiectum, seu idolum illud vitiosum; alioquin qui facit plura peccata mortalia disparata, & non subordinata, haberet plures ultimos fines, quod esse nequit: sed, ut diximus, finis ultimus adequatus peccatoris est bonum proprium, ad quod omnia quae appetit peccator, ordinantur. Porro, cum hoc bonum proprium praescindat a ratione honesti, vel inhonesti, si actio peccatoris, vel infidelis est mala, ordinatur ad bonum proprium, ut affectum privatione referibilitatis in Deum. Si actio bona ex officio fuerit, & in nullum pravum finem ordinata, sed pro-

pter ipsam honestatem obiectivam volita; tunc ordinatur in bonum proprium, ut referibile in Deum, quod vi istius actionis nulla afficitur pravitate quæ impediatur ordinationem in Deum. E contrario res se habet in iusto, cuius Deus est finis, ultimus, adæquatus: & caritas sola quæ in iusto residet, privilegio potitur ut sit forma aliarum virtutum, & efficacia sua determinet voluntatem, ut in tali habitudine, & dispositione consistat, vi cuius valeat, transacto primo caritatis actu, posteriora opera dirigere in ultimum finem. Si plura cupis consule Scholasticos, maxime Salmanticenses *tract. de ultim. fm. disput. iv. dub. 3.* Non ergo omnia peccatoris, vel infidelis opera sunt peccata. Omnia vero opera honesta iusti sunt meritoria, ob rationem explicatam.

VII. Quæres, quamdiu actus ille caritatis efficax quò iustus se, suaque omnia in Deum dirigit, duret in impressione relicta in voluntate ceterisque virtutibus. Respondent Salmanticenses *loc. cit.* suapte natura durare per totam vitam, nisi retractetur. Hæc doctrina nobis minime arridet, nisi explicetur. Quod iste actus, spectata illius efficacia, & deliberato proposito, prodat perpetuitatem quamdam, perennemque durationem, non inficior. Verum subdo, determinationem, vimque impressionis quæ remanet ex efficacia istius actus in voluntate, ceterisque virtutibus, diu non duraturam in voluntate, nisi aliorum caritatis actuum formalium repetitione foveatur, & instauretur, ob corruptionem naturæ humanæ, & passionum tumultum, & rebellionem. Quis dixerit, intentionem efficacem, qua quis proponit attente, & devote recitare divinas laudes, in perpetuum duraturam, nisi frequenter renovetur? Cupiditas quippe terrena, carnalisque amor insidias continenter intruit, & diu noctuque machinatur adversus amorem divinum: Bellum continuum ardet, & lucta non interrupta. In hoc conflictu extenuatur, defervetque calor cælestis, nisi adiuvetur, & foveatur. Comparare non immerito possumus ignem divini amoris qui ardet in voluntate iusti in hoc naturæ lapsæ statu, calori ignis qui calefactæ aquæ inharat. Aqua calefacta cito frigidescit ob continuum conflictum quo frigus aquæ pugnat adversus ignis calorem sibi inimicum; & nisi calor receptus in aqua, ignis flammis corroboretur, in nativam aqua recidit frigiditatem. Eadem ratione, proportione servata, calor amoris divini in voluntate iusti ardens paulatim frigidescit, vi-

resque in continua pugna adversus impurissimum concupiscentiæ ignem amittit, nisi opportunis auxiliis reficiatur, nisi frequenti actuum actu inflammetur. Hinc collige, quam vera sit doctrina quam supra explicuimus, præceptum videlicet caritatis obligare ad frequentem actuum repetitionem: quam frequentiam diximus non salvari, nisi pluries actus caritatis repetantur in annos singulos; quin, ut quid nobis probabilius addidimus, in singulos dies dominicos. Quæ doctrina, si ad Iesu Christi pedes, si ad divinæ maiestatis thronum, si ad infinitæ bonitatis conspectum ruminetur, non rigorem, non asperitatem, sed dulcissimam sapit suavitatem.

VIII. Et revera si mandatum sic explicatum compare ad iustum spectetur, nihil oneris imponit præter id quod in praxi ipsa accidit, & quod Theologi Ascetici inculcant. Siquidem quis iustorum integra hebdomada negliget suum salutarem amantissimum Deum? Quis iustorum precationem dominicam recitabit, quin nec semel in hebdomada ex animi sententia dicat: *Sanctificetur nomen tuum?* Contra si iustus tam fuerit ignavus, tam oscitans, tamque torpidus, ut integram hebdomadam nullum supernaturalis vitæ actum eliciat, ut nec semel colloquatur cum Deo, nec Deo hostiam cordis sui laet, ut cogitationes suas, suosque affectus, sine quibus vivere haud potest, in terrenis, mundanisque negotiis occupet: quis dixerit iustum hunc vitam vivere divinam? Quod si vita divina mortua sit; abruptum ergo est sanctum amoris vinculum, violatumque amicitia fœdus. Duplici ergo ratione iusti tenentur frequenter actus repetere caritatis, tum ut pensum amoris Deo solvant, tum ut infusum caritatis donum ab inimicorum insidiis servent.

IX. Hæc, reponis, ascetica sunt, & perfectionis consilia suadenda, secus præcepta necessario sub damnationis æternæ poena imponenda. Ascetica, & divina esse concedo; consilia tantum nego: nisi loco consilii tibi sint: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua. Hoc est primum, & maximum mandatum. Continuum caritatem habete. Quidquid facitis, sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: narrabis ea filiis tuis, meditaberis in eis sedens in domo, & ambulans in itinere. Quid quod iustus diu in gratia, & caritate non perseverabit, nisi gratia actualis speciali dono a*

Deo

Deo donetur? Hæc porro gratia pigris, & oscitantibus non solet a Deo tribui, sed vigilantibus, qui lampades accensas habent oleoque plenas. Quid quod Ioannes Evangelista scribit languidum, frigidumque amarorem Deum ad vomitum, nempe ad detestationem, provocare? *Vitam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo:* Apoc. III. Innumera alia occurrerent rationum momenta quibus palam facerem, iustum teneri pluribus titulis ad frequentem actuum caritatis repetitionem. Sed hæc pauca quæ dicta sunt, sufficiant: plura fortassis alibi dicentur.

§. II.

Iustus lapsus in peccatum mortale, illico ne caritatis actum elicere, & se in Deum convertere astringitur?

X. Difficillimam enucleandam ingredi-mur quæstionem. Hanc tamen in præsentia pro dignitate discutere nolo. In tractatu de Pœnitentia id peragam. Aliqua nunc perstringam, & quo ego propendeam in dubia, & ardua disputatione, indicabo.

XI. Communior recentiorum opinio est, quæ asserit, eum qui in peccatum mortale lapsus est, non teneri statim ad pœnitentiam, sive ad eliciendum actum perfectæ contritionis, sive ad suscipiendum confessionis sacramentum. P. Suarez de Pœnit. *disp. xv. sect. 5.* laudat pro hac opinione Durandum, Angelum, Ioannem Medinam, Hardianum, Sotum, Canum, Viguerium: P. Castropalaus vero citat P. Henriquez, P. Coninch, P. Layman, Vasquez, pluresque alios.

XII. Altera sententia sustinet hominem lapsum in peccatum mortale statim astringi aut ad actum contritionis perfectæ, vel ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum. Hanc sententiam docent D. Thomas 2. 2. *quæst. lxxii. art. ult.* S. Bonaventura in *IV. dist. xvii. art. 4. in 4. part. quæst. III.* Alexander Aletensis *part. iv. quæst. lxxvii. memb. 4. art. 1.* Paludanus in *IV. dist. xvii. quæst. 1. art. 3. concl. 2.* Argentina in *IV. dist. xvii. art. 4. ad 4.* Maior in *IV. dist. xvii. quæst. 5.* D. Antoninus III. *Part. iii. xiv. esp. viii. §. 2.* Caietanus 2. 2. *quæst. lxxvi. circa 2. & Tom. I. opusc. tract. xvii. Silvester verb. Contritio num. 4.* Marsilius in *IV. quæst. xii. art. 1. part. 5.* Guillelmus Parisiensis *tract. de pœnitent.*

Conc. Theol. Tom. I.

Innocentius in *cap. Omnis utriusque sexus, de pœnitent.* Archidiaconus in *cap. Ille Rex, de pœnit. dist. III.* Ferrus de Soto *lect. xliii. de pœnit. Abulensis Lib. I. Paralip. cap. xvi. quæst. xxxv. 1.* Præ omnibus hanc fuso calamo versat quæstionem P. Liberius a Iesu Carmelita Excalceatus in suo Tomo inscripto *Fœdus timoris, & amoris edito Romæ 1713. disp. 3. art. 4. a pag. 185.*

XIII. Auctores primæ sententiæ mutuo dissent. Nam alii negant vel ipsum pœnitentiæ præceptum speciale, quemadmodum negant præceptum peculiare amoris; quæ opinio communiter rejicitur. Alii admittentes præceptum pœnitentiæ, sustinent obligare dumtaxat in articulo necessitatis; in quam opinionem concedere videtur Magister Cano *par. iv. concl. iv.* Sed hoc nimiam sapit laxitatem: præcepta enim virtutum per se obligant, & non per accidens; nec obligant tantum semel, sed pluries, ut de præcepto amoris divini dictum est. Alii docent, obligare infra triennium, & alii singulis annis. Magister Nunnus in *III. part. dub. 3. Candidus disquis. moral. xxiv. artic. 16. concl. 5.* limitant tempus istud, & decernunt illum qui per octo, vel sex menses maneret in peccato mortali, contra hoc præceptum delinquere.

XIV. Si Theologorum auctoritas spectetur, potissimum recentiorum, prima sententia, quæ negat præceptum pœnitentiæ statim obligare peccatorem ad conversionem in Deum, adeo communis evasit, ut *rigorismi* notam non effugiat qui alteram oppositam propugnare ausus fuerit. Hæc porro rigoris nota quæ ob unam, aut alteram opinionem a communi consensu recedentem inuritur, illud malorum parere solet quod sententiæ aliæ, quantumvis verissimæ, præiudicium maximum subeant. Si hac tempestate Auctor quispiam nimii rigoris reus traducitur vel ob unam opinionem, illico omnia illius opera in discrimen adduci, & eiusdem rigorismi nota fugillari solent. Quid itaque præstabitur, ut tantam declinemus invidiam, & veritati ipsi provideamus? Nostrum iudicium suspendemus, & argumenta utriusque partis exhibebimus.

XV. Prima ergo sententia, quæ negat præceptum pœnitentiæ urgere statim peccatorem ad detestandum per contritionem, vel sacram confessionem peccatum, & ad subitanam conversionem in Deum, his sulcitur argumentis. I. Fidelium omnium consensus pro certo habet novum non perpetrari pec-

catum, si quis non continuo ac in peccatum incidit, poenitentiam agat: nec poenitentes istius novi criminis se accusare, nec Sacerdotes id investigare solent, aut scire curant. II. Præceptum poenitentiae adfirmans est. Ergo quemadmodum cetera alia præcepta positiva pro tempore tantum necessitatis obligant, ita & hoc poenitentiae mandatum urgente tantum necessitate obligabit. III. Si peccator, statim atque in culpam lapsus est, præcepto poenitentiae astringeretur, in quolibet instanti eiusmodi præceptum urgeret. Consequeretur ergo eum qui post primum peccatum in aliud recideret, puta lasciviae, duplex crimen peccare, aliud contra castitatem, aliud contra præceptum poenitentiae; quod absolum videtur. Hæc sunt potiora istius sententiae fundamenta, quæ quam sint valida, palam fiet, alterius sententiae argumenta proponendo.

XVI. Altera ergo sententia, quæ statim post perpetratum crimen poenitentiam exigit, ut mea præfert opinio, argumentis nititur quæ & inconcussa, & ineluctabilia videntur. Primum porro a sancto Dei verbo arcessitur. *De propitiato peccato noli esse sine metu: neque adicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Misericordia Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ecclesiastici v. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: Ps. lxxxiv. Querite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. Isaia IV. Vocavi, & renuistis. . . . despexistis consilium meum, & increpationes meas neglexistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id advenierit quod timebatis.* Ex his textibus manifeste apparet, vel uno die non esse voci divinæ auditum denegandum, sed confestim aures aperiendam eidem. Quin repentinam vindictam; minatur Dominus iis qui de die in diem poenitentiam protrahunt. *Hodie si vocem &c. Ne differas de die in diem &c.* Non dicit de hebdomada in hebdomadam, de mense in mensem, de anno in annum; sed *de die in diem*: ex quo eruitur, quam celerem, quam sollicitam iubeat poenitentiam Dominus.

XVII. Alios textus producam, quibus Deus nobis imperat continuam vigilantiam

adversus inimicorum insidias: imperat conscientiam nos mundam a fordibus criminum custodire, animumque semper habere paratum ad mortem suscipiendam, atque adeo ad eius tremendum, formidandumque iudicium subeundum. *Vigilate ergo, quia nescitis quæ hora Dominus venturus sit: Matth. xxiv. vers. 41. Vigilate ergo: nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico.* Marci cap. xiii. vers. 35. *Si sciret paterfamilias quæ hora fur veniret, vigilaret utique, & non serneret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia quæ hora non putatis, Filius hominis veniet.* Lucæ xii. vers. 39. *Idem repetit cap. xxi. vers. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa.*

XVIII. His textibus utuntur Patres, ut peccatores a somno iniquitatis excitent, & ad subitanam poenitentiam provocent, inducantque. Quare omnes una voce, uno consensu clamant, nec unicum diem differendam esse peccati abolitionem. D. Augustinus in Psalm. cxiv. *Deus poenitentia tua indulgentiam promisit; sed huic dilationi tuam diem crastinum non promisit.* Et de tempore serm. cci. *O homo qui differis dede in diem, forte habiturus hodie ultimum diem.* Tertullianus: *Christiano non est crastinum.* Item Lib. de poenit. cap. vii. *Absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi pateat ut delinquendum aditus, & redundantia clementia celestis libidinem faciat humana temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est.* D. Ioannes Chrysostomus epist. ad Theodorum: *Noli tardare converti ad Dominum: nescis enim quid pariet superventura dies.* D. Ambrosius Lib. de poenit. cap. ix. *Aliqui proposita spe poenitentiae licentiam sibi delinquendi propagatam putant; cum poenitentia peccandi remedium sit, non peccandi incentivum.* D. Basiliius in Cathena aurea: *Laqueus fortis est poenitentiae dilatio.* At quid tempus, operamque ludo inquirendis Patrum sententiam, cum, ut dixi, una voce omnes adversus poenitentia dilationem invehantur?

XIX. Scripturis sanctis, & Ecclesiae Patribus concinit communis Catholicorum consensus. Catholicorum porro nomine hic haudquaquam veniunt vel in sopore scelerum dormientes, vel terrenarum voluptatum

man-

mancia; sed gens illa sancta, & regale sacerdotium, Episcopi videlicet primum, Doctores, divini verbi dispensatores, ministri, ipseque populus divina luce illustratus, minimeque aut pravitate opinionum, aut flagitiorum caligine obnubilatus. Quid porro latius, quid frequentius, quid ferventius facri Concionatores auribus populi christiani ingerunt, intulcant, quam repentinam poenitentiam? Numquam sermo de poenitentia recurrit, quin in eos qui moras nectunt poenitendi, severius declament. Ob illorum oculis vividis referunt coloribus gravissima imminencia æternum pereundi pericula. Oracula Christi Domini quæ adduximus, exaggerant: extremam dementiam, cæcumque furororem illorum ostendunt peccatorum qui vel unicum diem nutriunt, foventque in animæ sinu peccatum illud, quod, ceu serpens feralis, quotidiano morfu vitam illis æternam surripere valet.

XX. Quid ad hæc reponis? Declamationes, figuræque Rethorum istas esse, pias exhortationes, consilia evangelica? Si hæc obtrudis, ne scandalum maximum populo christiano ingeras vereor. Quippe si evangelica oracula, si Patrum effata, si Concionatorum declamationes, si librorum quos spirituales & asceticos vocitant, hortamenta, consiliorum loco habenda sint; sileant in posterum sacri suggestus, facessant divinæ minæ, atque vindictæ in eos qui cordis contritionem differunt. Facta siquidem positione, quod divina oracula adversus eos qui in culpæ statu persilunt, sint mera consilia, quæ repentinam suadeant, minime vero iubeant poenitentiam: languida erunt, & valde exilia argumenta ad infringendam subigendamque peccatorum contumaciam.

XXI. Verum, ut datam responsonem penitus convellam, Patrum, Theologorumque testimonio demonstrabo, oracula divina quæ recensui, non consilia, sed præcepta esse. S. Ambrosius Lib. VII. in Lucam super illa verba cap. xii. *Beati servi illi quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes, hæc scribit: In superioribus vigilare nos voluit, per omnia expectantes momenta Domini Salvatoris adventum; ne, dum aliquis remittit, & negligit, & de die in diem opera sua differt, iudicii futuri die, vel propria morte præventus, meritum suæ commendationis amittat.* Et illa quidem in omnes PRÆCEPTI forma generalis. D. Hieronymus in Michæam cap. vi. *Iubetur nobis ut preparati simus ambulare cum Domino*

Deo nostro: nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus. Theophylactus ad ea verba, *Et vos estote parati*, hæc habet: *Iubet preparari, hoc est habere virtutis opera, quasi in thesauro quodam reposita.* Et Marci xiii. ad illa verba, *Vigilate &c.* subdit: *Omnibus autem PRÆCIPIT Dominus, & his qui in mundo vivunt, & his qui successerint.* S. Leo Magnus serm. viii. de ieiunio, in illa verba, *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra*, hæc scribit: *Quod PRÆCEPTUM, dilectissimi, ad nos specialius pertinere cognoscimus.* Plura alia eiusmodi ex Patribus afferre possem, quæ brevitate gratia transmitto.

XXII. Ex Patribus ergo compertum habemus, severum esse præceptum illud quo Dominus præcipit, iubet, ut vigilantes, paratique simus ad rationem sibi peractæ vitæ reddendam. Est ergo mandatum Domini, ne *ulla hora dormiamus* in sopore peccati, neque ullo tempore deliberate persilamus in iniquitate, ut Patres communiter clamant. Accedit quod Theologi unanimi consensione docent, tunc divina oracula loco præcepti habenda esse, quando poenam æternæ mortis comminantur transgressoribus. *Omnia quæ in Scripturis proponuntur sub comminatione æternæ damnationis, posita sunt sub rigorofo præcepto:* inquit P. Suarez *disp. i. de fide sect. i. n. 2.*

XXIII. Præceptum tum adfirmans, quod poenitentiam imponit, tum negans non differendi eandem, admittunt recentiores. At subdunt, præceptum hoc, ut adfirmans, minime obligare ad subitanam peccati detestationem; ut vero negans, obligare quidem ad non differendam vel per quinquennium, aut per tres, aut plusquam unum, aut per medium annum. Promenda nunc ergo argumenta sunt quæ evincant, confestim ac peccatum perpetratum est, peragendam esse poenitentiam. Tò *confestim*, & *statim*, non metaphysice accipitur, sed moraliter, & iuxta prudentem supputationem. Quoties igitur peccatori memoriae occurrunt propria crimina, si illorum poenitentiam delibato animo negligit omittitque; eum peccare adversus poenitentia præceptum evincunt sequentia argumenta.

XXIV. Deberem, antequam ultra provehor, instaurare argumentationem factam nempe vana, & futilia reddi omnia Scripturarum validissima momenta, quibus Patres, Concionatores, & Confessarii, omnesque christiani populi Pastores utuntur ad sua,

dendum peccatoribus debitum poenitentiae continuo peragenda. Qua vi polleret argumentum illud quod a subeundae damnationis periculo repetunt Patres, ut repentinum odium peccati in peccatoribus excitent; si persuasum sibi Christiani haberent, licitum esse in peccato persistere, & poenitentiam in annos differre? Quid, si scirent Theologos id docere? Quis amplius ex sacris Orationibus suggestum conscenderet solida instructus fiducia se persuasurum fore peccatoribus, ut confestim aeternae damnationis periculum declinent, quod extremae demeritae sit velle deliberato animo in eo persistere statu in quo si denascuntur, damnantur? Mori autem singulis momentis, & quando minus cogitat, quilibet potest. Haec & similia argumenta, quae potissima sunt ad infringendam peccatorum contumaciam, ad suadendam percipiendamque vigilantiam christianam, ad timorem inferni, divinorumque iudiciorum excitandum, frivola profus sunt, recentiorum opposita sententia admittit. In hac siquidem positione, praefata argumenta convenientiam tantum evincunt, secus necessitatem vigilantiae evangelicae, quam continuam Christus inculcat, & poenitentiae post commissum peccatum, quam communis fidelium sensus necessitatem credit. Verum iustus de his alibi.

XXV. Primum ergo argumentum quo evincitur peccatorem statim, modo explicato, astringi ad poenitentiam peragenda, ab auctoritate repetitur D. Thomae, qui haec scribit 2. 2. quaest. lxxi. art. 8. *Manifestum est autem quod nec per modicum tempus licet in peccato morari; sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eccles. xxi. Quasi a facie colubri fuge peccatum. Et ideo quilibet tenetur statim restituere.* Respondent recentiores, D. Thomam loqui de peccato actuali, secus de habituali. Habitale peccatum vocant reatum relictum ex actione peccati; actuale vero ipsum peccatum. Tenetur homo, inquit, iuxta D. Thomam cessare ab affectu, seu continuatione peccati; secus ad abluendam contritionis lacrymis maculam peccati habitualis.

XXVI. Responsio isthac minus, ut mihi videtur, congruit menti, & doctrinae D. Thomae. Quod ut perspicue palam fiat, expendenda primum verba sancti Doctoris sunt, deinceps illius mens manifestanda. *Nec per modicum tempus, inquit, licet in peccato morari.* Haec sane verba hunc obviunt, germanumque sensum menti ingerunt, quod in peccato perpetrato non licet nec

per modicum tempus permanere. Quem sensum confirmant proxime sequentia verba: *Sed quilibet tenetur peccatum statim deserere.* Quid significat peccatum deserere? Non peccare. Non continuare peccatum. In quaestione ne Catholici vertunt, sit ne continuandum peccatum? Eo modo Angelicus deserendum peccatum asserit quo coluber fugiendus, secundum illud: *Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Colubrum ne ille fugit qui colubrum in sinu suo clausum custodit? A facie colubri fugere, est separari ab illo, illiusque aspectui, & commercio se subducere. Sic peccatum deserere est peccatum expellere ab anima. Fugere a peccato hunc prodit significatum, quod peccator vincula contracti criminis solvat, quod servitutem peccati deserat. Quousque peccatum in anima occlusum retinet; qua fronte dicere poterit, se peccatum deserere? Verba ergo D. Thomae, iuxta genuinum sensum, expulsionem repentinam peccati ab anima produunt. Mens modo, & doctrina D. Thomae expendenda est. Haec autem eo spectat ut evincat tam Deo, quam proximo confestim rem ablatam restituendam esse. Peccatum Deo surripit ultimi finis, seu supremi domini dignitatem: suo ausu infinitam maiestatem e throno deturbat: iniuriam illi irrogat gravissimam. Statim igitur haec omnia restituenda Deo sunt, sicut e vestigio res temporali domino suo reddenda est.

XXVII. Secundum argumentum proponitur, quod magis perspicuam efficiet D. Thomae doctrinam. Non licet in affectu peccati permanere, ut omnes fatentur. At qui deliberato animo peccati poenitentiam negligit, cum opportunam occasionem eandem peragendi habet, in affectu peccati reapse persistit. Ergo nunquam licitum est in peccati statu permanere. Minor propositio evincitur. Qui commissi peccati memoriam, simulque opportunam occasionem illud expellendi habet, si reapse illud non expellit, illud deliberato animo retinet in se: quod idem est ac amare, seque in eodem complacet: quia sicuti per odium pellitur, sic per amorem servatur. Quid, amabo te, est illud nolle peccatum a te excutere, nisi interpretative velle in eodem peccati statu perseverare? Sed qui vult in peccato perseverare, eo ipso peccatum adprobat, peccatum diligit, in peccato sibi complacet. Nemo enim in eo quod sibi displicet, quod sibi odio est, deliberato animo persistit. Item aliis verbis urgere hanc possumus argumentationem. Si liceret peccatori, cui peccata memoriae occurrunt, eorumdem non

pe-

poenitere; eadem ratione licitum eidem esset elicere hunc actum, *nolle poenitere.* Si enim licita est poenitentiae ommissio, licitum quoque erit actus quo peccator positive velit talem omissionem, quae obiectum evadit eiusdem actus. Quoties enim obiectum honestum est, honestus quoque sit actus oportet qui in illud tendit. Quapropter communi fere proverbio fertur: *Licitum est positive velle quod licitum est facere: & contra, licitum est positive nolle quod licitum est non facere, seu ommittere.* Ergo si licet poenitentiam non agere, habita opportunitate illam peragendi; licitum etiam erit illam nolle, illamque positive respicere. Porro cum actus iste re indifferens esse nequeat in schola D. Thomae; bonus, vel malus sit necessum est. Si licitus, bonus erit, nisi perversi finis intentione inficiatur. Peccator ergo poterit, oblata opportuna occasione poenitentiae peragendae, illam positive respicere; & actus quo peccati poenitentiam reiiciet, bonus esse poterit: si bonus & meritorius, non aeternae, sed temporalis mercedis.

XXVIII. Ut hanc luculentam eluderent argumentationem recentiores Theologi, non est facile dictu, quot rethoras, quot sutelas excogitaverint. Disertissimus Cano, qui, si quis alius, a tricis scholasticorum, quae nihil significant, alienus est, hic tamen terminis ludere videtur. Concedit *loc. cit. 4. part.* licitum esse differre poenitentiam: ergo velle differre, licitum est: negat consequentiam: quia, inquit, talis volitio non habet bonum obiectum. Quod si ei opponas: *Obiectum iustitiae volitionis est ipsius poenitentiae dilatio: porro, si obiectum istud bonum est, bona sit & ipsa volitio; & si obiectum malum est, mala itidem sit volitio oportet, iuxta communem doctrinam: reponit ille: Non ita licet velle non facere quae non facere licitum est: ut non facere bonum interdum licet, videlicet cum non teneor: at velle non facere, nulla honestari ratione potest.* Idque fufius prius ostenderat §. *Quod si volumus,* ubi clarius statuit peccatorem novum peccatum peccare, si actum eliciat quo nolit poenitentiam, etiam eo tempore quo agere poenitentiam non attingitur.

XXIX. Hanc quam recensuimus doctrinam impugnant, & merito, Salmanticenses scholastici *tract. xxiv. dis. vii. dub. 5. n. 285.* Quia non consistit, licitum esse non poenitere, illicitum vero velle non poenitere, ob rationem quam iam dedimus. Exempla quae Canus adducit, nullius sunt momenti. Quando licet non agere aliquod bonum, licitum itidem est

nolle tunc illud bonum. Quare Salmanticenses admittentes utrumque tamquam licitum, nempe & non poenitere, & velle non poenitere, ad instantiam obviam, quod actus in individuo non sit indifferens; atque adeo actus ille quo ego volo non poenitere tempore quo non urget praecipuum poenitendi, debeat aut bonus esse, aut malus: respondent, bonum, aut malum fieri posse actum hunc, iuxta bonum, aut malum finem. Neque id obiter, sed data opera ostendere satagunt, quod velle non poenitere possit esse actus bonus. Subdunt tamen, quod hoc *nolle poenitere*, ut actus bonus evadat, non debeat esse extensum ad omne tempus: hac enim ratione malus esset, quia tunc comprehenderet etiam tempus in quo praecipuum poenitendi urget: sed debet esse limitatus pro solo tempore in quo non urget poenitendi mandatum. Ut hanc doctrinam, quae christianis auribus non adeo concinne sonare videtur, quibusdam fucis obtegant, plures implent paginas subtilissimis distinctionibus, quae confirmant has duas propositiones: *Non poenitere est obiectum indifferens in peccatore: ergo velle non poenitere potest esse actus bonus, si ob honestum finem fiat: puta cum urget praecipuum religionis, aut misericordiae, aut alterius virtutis, si ob exercitium harum virtutum peccator differat poenitentiam, tum poenitentiae dilatio bona erit. Ergo (sunt illorum verba) velle non poenitere ex illo motivo est moraliter bonum.*

XXX. Ex istarum responsonum exilitate, ne dicam futilitate, collige lector, quam valida, firmaque sit antiquorum Theologorum sententia. Quippe prima responso Pallacii, Soti, & Cano nullo pacto sustineri potest, ut inter disputandum ostensum est. Haec secunda (quamquam sit Theologorum quos ego revera in Theologia scholastica magni facio, nullique in hac facultate secundos existimo ob acuminis aciem, doctrinae profunditatem, & solidi ratiocinii efficacitatem) nihilo secius nullo mihi arridere modo valet. Et profecto, quia Patres isti iusti ratiocinii regulas servant, propriae opinionis fallitatem produunt evidentiis. Quippe recte illi colligunt: Non poenitere licet: ergo licitum erit nolle poenitentiam; si licitum, ergo bonum: si bonum, ergo meritorium alicuius mercedis. Consecutiones istae legitime proficiuntur ex prima illa: *Non poenitere licitum est.* Idcirco illas non ut absurdas, sicuti Pallacius, Soto, & Canus, reiiciunt; sed ut veras, nihilque mali redolentes propugnant. Verum enim vero praefatae consequentiae non modo absur-

de

da, sed horrida mihi videntur. Ergo si legitime ex prima profuunt; consequitur primam, videlicet *non poenitere*, falsam esse, & mali plenam. Quid? Repudiatio poenitentiae bonus, honestusque actus erit ad amassim evangelicae doctrinae exactus? Cur bonum pronuntias actum hunc? Quia non urget praecipuum? Sed haec est petitio principii ut dicitur. Immo urgere praecipuum poenitendi dicendum est, ne tam immanem consecutionem admittere cogamur, deliberatam videlicet poenitentiae recusationem bonam, honestam, & meritoriam esse. Quoniam tam absurda consecutaria aures laedunt christianas. Nec responsionis asperitatem delinunt laudati Salmanticenses, inquietes, poenitentiae dilationem bonitatem induere posse ob bonum finem peragendi officia religionis, misericordiae, aliarumque virtutum. Quandoquidem poenitentia subitanea post peccatum, non aliquid opus externum semper est, sed internum, contritio videlicet, quam aut impedire, aut remorari nullum cuiusque virtutis exercitium valet; sed quocumque tempore elici potest. Immo non modo aliarum virtutum exercitium poenitentiam repentina non retardat; quin eam postulat, & sollicitat. Sterilia quippe sunt omnia ceterarum virtutum officia, nisi anima poenitentiae lavacro peccati fordibus purgetur. Nullus ergo finis honestus designari valet, qui dilationi interioris animi poenitentiae aliquid moralis bonitatis tribuere valeat. Porro, si dilatio isthaec bona, & honesta esse nequit; mala & perversa, ipsis fatentibus Salmanticensibus, sit necessum est.

XXXI. Tertium argumentum. Tenetur puer, dum primum sibi splendor illucet rationis, cordis sui hostiam Deo sacrificare, in illum semetipsum convertere, illi omnia sua offerre, eum toto corde, totaque anima amare? Cur? Quia caritatis praecipuum, quamquam affirmativum sit, obligat. Sed cur praecipuum affirmativum, quod pro semper, ut aiunt, non urget, tunc temporis obligat? Quia puer ingredi tum debet in viam moralis vitae: & summopere interest ne sub initium istius vitae aberret a recta regula. Valde tunc refert ut primae indeficienti regulae inhareat, ut rectum arripiat iter, ut de semetipso optime deliberet. Praecipuum quoque fidei ad repentinum urget assensum, confestim ac fides radios immittit in mentem, seque manifestam exhibet. Quidni ergo ad celerem contritionem poenitentiae praecipuum obligabit?

XXXII. Respondent Salmanticenses *loc. cit. n. 275.* praecipuum caritatis, non qua-

tenus adfirmans est, obligare puerum ad actum amoris; sed obligationem hanc oriri ex necessitate qua astringitur puer tunc temporis ad deliberandum de semetipso. Optime vero. Sed cur eadem necessitate non devincitur peccator? Antequam viam rationis ineat puer, tenetur dirigere semetipsum in Deum, ut securam habeat sui itineris futuri regulam, ut scopulos aeterni naufragii declinet. Adultus vero factus, postquam a recta via declinavit, in semitam se se recipere non tenetur? Quid si puer amoris actum omittat in illo instanti, atque adeo graviter delinuat? Ad subitanam teneri poenitentiam tempore sequenti, docent laudati Patres *num. 273.* inquietes, ridicularium esse illigare pueri conversionem illi soli momento. Quoniam praecipuum illud non ita imperat conversionem illius ut eam finiat; sed implicite verat ne ultra protrahatur. Velint ergo, nolint, in noxam incidunt sententiam. Quoniam puer post commissum primum peccatum non solum ad actum amoris, verum etiam ad actum contritionis, quo delectat commissum crimen, devincitur: potiora ergo iure ad repentina poenitentiam post lapsum tenetur adultus: praecipuum quippe negativum dilationem vetans poenitentiae expressum est: *Non tardes converti ad Dominum: non differas de die in diem.* Possent hanc amplificare argumentationem, palamque facere potiora, & urgentiora argumenta occurrere, quae evincunt maiorem in adulto quam in puero obligationem ad repentina conversionem.

XXXIII. Quartum argumentum. Praecipuum caritatis omnes astringimur fratrem errantem corripere, peccato illum pro virili parte subducere, & in viam veritatis revocare. Hoc mandatum fortius urget, ut nosmetipsos errantes corrigamus, deviosque in semitam reducamus, ut aeternae nostrae salutis consulamus, & ab aeterno supplicio caveamus. Praecipuum quippe caritatis prius nosmetipsos quam proximum, amare nos iubet, ut infra palam fiet.

XXXIV. Quintum argumentum. Quilibet tenetur vitare grave delinquendi periculum. Atqui peccator, nisi commissum crimen detestetur, & contritione delectat, gravi laborat iterum delinquendi periculo; quoniam peccatum suo pondere in aliud trahit: communisque est Theologorum sententia, multum tempus haudquaquam perseveraturum peccatorem, quin in aliud recidat crimen, nisi gratia peculiari adiuvetur. An vero praesumentum est, Deum concessurum hanc specialem gra-

gratiam esse illi peccatori qui deliberato animo in statu peccati persistit? Commune est Patrum estatum, quod perpetrata malitia ad aliam, maioremque perpetranda invitatur: quod peccatum, seu serpens in anima latitans, suis sibilis alios serpentes illuc vocet, ut anima peccatrix cubile fiat draconum, & silva bestiarum diripientium substantiam eius. Tenebrae mentis densiores quotidie evadunt, voluntas continenter durior, lumen fidei hebescit, spes caelestium bonorum extenuatur, & quo deficiunt vires ad bonum, eo ad malum peragendum augentur, & roborantur. Quis ergo dixerit non astringi peccatorem ad hanc declinandam sui ipsius ruinam? Proximi tum corporali, tum spirituali necessitati, & penuriae gravi succurrere caritas iubet; & supplicias sibi ipsi in dies periclitanti ferre non imperabit?

XXXV. Ad argumenta contrariae sententiae solutio facilis est. Ad communem fidei sensum quod attinet, favet, non officit huic secundae sententiae. Omnes quippe persuasum habent malum esse in peccato persistere. Confessores qui moram in peccato elapsam scire non curant; qui ob oculos poenitentium malum quod perpetrarunt, pericula gravissima quibus se exposuerunt diu in peccato persistendo, non ponunt, proprio desunt muneri, partesque non implent suas. Ad secundum dicitur, praecipuum poenitentiae non adfirmans modo esse, sed etiam negans, & prohibens dilationem. Addendum, quod licet praecipuum poenitentiae adfirmans sit, non inde consequitur non obligare peccatorem post lapsum. Nos dum peregrinamur a Domino, continuam agere poenitentiam convenit, etiam eorum criminum quae nobis remissa confidimus. Praecipuum ergo hoc semper obligat, tamen non pro semper. Obligat vero necessitate urgente, ut alia praecipua omnia adfirmantia. Gravi porro laborare necessitate dicimus hominem, qui incidit in aliquod peccatum mortale. Quippe ob culpam commissam nobilitatem divinae adoptionis, animae pretiosa ornamenta, dona, virtutes, dignitatem, charismata, sanctorum amicitiam, merita, ius ad regnum, universamque ditissimam hereditatem infiniti, aeternique patrimonii amisit, & in extremam decidit paupertatem. Quis iverit inficias, gravem hanc esse penuriam, summamque egeitatem? Urget ergo post lapsum in peccatum poenitentiae praecipuum, etiam quatenus adfirmans est, nedum ut prohibens moras, & dilationem. Quod tertio loco obiciunt, videlicet consequi in quolibet

momento delinquerè peccatorem adversus poenitentiae mandatum, positione facta quod vitalis mandati ad subitanam teneretur poenitentiam, nullius momenti est. Peccat ne puer nova peccata singulis momentis, si quinquennium, aut decennium, post primum peccatum omissionis convertendi se sub initium rationis, in peccato persistat? Salmanticenses qui *loc. cit.* magni faciunt obiectum argumentum, docent, puerum qui in primo rationis momento non se convertit in Deum, teneri post aversionem quam primum ad delendum peccatum commissum, supplendamque conversionem omissionem in primo instanti; idque suffus probant. Peccabit ne ergo singulis momentis novum peccatum adolescens iste, si pluribus annis negligat poenitentiam? Verum, missis tricis, dicimus peccata non multiplicari iuxta multiplicationem singulorum temporis instantium decurrentium. In occasione proxima constitutus tenetur statim eam deserere; nec continuo singulis momentis temporis physici peccata multiplicat. Dicendum ergo per mansionem in peccato circumstantiam esse quae malitiam auget; & quo diuturnior, eo gravior evadit. Facessant ergo nugae, & metaphysicae, agrestesque subtilitates quae christianas obnubilant praenotiones, & morales, ac prudentis hominis personam induamus, ut moralia Christi mandata ad trutinam prudentiae, & morales existimationis revocemus.

XXXVI. Utriusque sententiae momenta perstrinxi. Quenam utriusque partis vi, soliditate, perspicuitate antecellant, tu non ignoras. Si quid ipse sentiam inquiris, candide promam, in hanc me propendere secundam. Eam aperte propugnare in praesens nolui, non sane alia ratione, nisi ne rigorissimi notam subirem. Suspendere sententiam lubet, ut interim a Deo lumen impetrem, quo in tractatu de poenitentia pro dignitate gravissimam controversiam dirimere valeam. Temperare mihi tamen haud valeo quin, occasione oblata, innuam, quam sit demens cacochetes illud aspergendi rigorissimi labem cuique opinioni quae libertati ad malum pronae non favet. Aurea paulisper adhibe, Lector. Sententia quae mihi arridet, iubet te, continuo ac peccasti, abrumperè vincula servitutis durissimae, demonem ab anima expellere, illius tyrannidem excutere, periculum aeternae subeundae damnationis evadere, interioris conscientiae aculeos acerbissimos evellere, intestinum constrictum, & crudelem rebellionem, quae cor, & animam scindit, laceratque in partes, subigere, & penitus de medio tollere. Iubet te in

te in pristinam recipi libertatem, in divinae misericordiae sinum confugere, ut peccati macula purgatus, divina firmiter amicitia, ut spe divinae hereditatis obtinenda fretus, caelestique gratia roboratus, hilari fortique animo valeas peregrinationis tuae incommoda perferre. Hæc ne rigida sententia? suavis vero erit quæ sub doemonis crudelissima tyrannide te permanere permittit? Audi diu cogitamentationem, ut verbis Tullii utar. Diem, horamque mortis tuæ ignoras. Æterna damnationis poena te manet, si te iudex imparatum reperiat. Hæc tibi fide constant. Quamdiu ergo te mortis tuæ momentum latet, tamdiu altringeris expegeris, teque paratum habere, ut contingentem damnationis tuæ eventum vites. Peccas ergo, & graviter quidem, quia in unico gravissimoque tuo negotio sic imparatus tanto periculo te committis, si tabulam arripere poenitentiae negligis. Ne vero hæc ut aëtica, minusque urgentia parvi facias, hanc efformo evangelicam demonstrationem.

XXXVII. Christus Dominus hæc fatur Matth. xxiv. vers. 43. *Illud autem scitote, quoniam si sciret, paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sine- ret perfodi domum suam.* Audi nunc consequentiam quam infert vers. 44. *Ideo & vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.* Aures ergo adhibe Christi argumentationi. Ignoras diem venturi iudicis: ergo continenter vigila, ne te imparatum inveniat. Differs poenitentiam post perpetratum crimen per dies, per hebdomadas, per annum. Iudex ad tribunal hoc tempore te vocat, teque imparatum reperit; ideo æternis suppliciis te addicit. Quæro: Dignus ne es vituperio, & reprehensione, quod imparatus a iudice inveniaris? Quis negare hanc propositionem ausit? Est quippe extra controversiam posita. Porro nemo vituperii, & reprehensionis iure reus iudicatur, nisi ob actionem, vel omissionem criminis plenam. Ergo omissio poenitentiae repentinae commissi peccati culpa gravi non vacat. Est ne in universæ Theologiae scholastica penu quidpiam quod vim argumentationis istius elevare possit? In quocumque momento in quo criminis reus exitis, supervenire iudex potest, teque imparatum condemnare. Sed nullum est momentum in quo excusare temetipsum valeas, quod imparatus inveniaris. Ergo nullum est momentum in quo dilationem poenitentiae a crimine purgare valeas.

XXXVIII. Ne vero odium evidentissimæ, & inconcussæ argumentationi creare audeas,

& quod solvere nequis, invidiosam efficere pertentes obrudens peccata in singulis momentis committi, hac argumentatione posita, audi Petrum Sotum gravissimum Theologum lect. XIII. de poenit. *Quæstiones quæ hic, vel alibi tractantur de uno, vel pluribus peccatis, non admodum ad rem pertinent. Constat enim unum nonnumquam maius esse pluribus, & plura minora uno. Si quis enim semel centum aureos furetur, quis dubitavit illum gravius peccasse, unico licet peccato, quam qui decies decem tantum sustulit? Sunt etiam de hoc innumera exempla. Constat igitur quod in iudicio, ubi de gravitate peccati agitur, ut adhibeatur digna medicina, & conveniens, prout fieri poterit, satisfactio, parum ad rem pertineat, unum, an plura sint peccata; sed illud potius considerandum, quis magis obnoxius coram Deo sit. Ex hoc igitur circa id de quo agitur putamus parum, immo nihil ad rem pertinere, an aliud novum peccatum sit non poenitere. Certe quanto diutius quis in peccato hæret, tanto magis obnoxius est culpa coram Deo: & quanto plura se offerunt que merito a peccato detertere debeant, vel admonent ad illud relinquendum, vel astringant ad querendam Dei gratiam; tanto etiam gravius peccatur: & forte in his omnibus, non minus quam si novum esset peccatum, est prioris aggravatio. Et propterea superius diximus, hoc non admodum ad rem esse, & B. Thomam, & Bonaventuram parum curasse. Quando occurrit memorie quod Deum quis offenderit, putant illi consonum rationi esse ut peccati poeniteat. Similiter dici potest, cum occurrit sanctificandus dies festus. Nam illa tam recepta regula, præcepta affirmativa non obligare nisi in necessitate, ut alias diximus, non de extrema necessitate accipienda est solum; sed cum occurrit casus ubi recta ratio iudicat, vel iudicare debet contra illam virtutem esse, si non fiat eius actus. In hoc vero iudicio magis puto credendum esse sanctioribus, & piis, quam argutioribus. Iudicatum B. Thomam, & Bonaventuram, si occurrente peccato eius non poeniteat, cum nondum antea poenituerit, contra virtutem poenitentiae esse, cuius est Deum placare.*

XXXIX. Hinc collige quam futile sit spectrum illud quod obrudunt recentiores de multiplicatione peccatorum in momentis singulis, ut hac via horridum, & tetricum aspectum affingant piæ, & (ut mihi videtur) veræ sententiæ. Sive ergo peccator post lapsum actus multiplicet, quibus peccatum menti occurrens amet, sive in illius compla-

cen-

centia persistat, semper malum committit. Quodnam peius sit, divino relinquendum iudicio est. Certe fieri vix potest ut peccatum nondum poenitentia deletum menti obvieniatur, & peccator suspensus hæreat, quin aut illud detestetur, aut sibi in eodem complaceat. Accedit quod ipsa suspensio actus, & indifferencia, si sit, vix culpa vacat: eo quod animum a periculo complacendi in peccato non abstrahat. Collige secundo, hanc sententiam quæ nobis aridet, nihil rigoris sapere, sed suavitatem redolere; eamque non modo argumentorum evidentia, & efficacitate, verum etiam tum antiquorum, tum recentiorum auctoritate niti. Nam præter quindecim Auctores, quos supra recensuimus, eam defendunt ex professo Vincentius Contentionis dissert. unica de poenitentia, Cardenas dissert. vi. cap. III. Hic secundo, utpote inter probabilissimas insignis, rigorismi nequit in suspicionem adduci. P. La-Croix hanc sententiam probabilem appellat, & amplectendam Lib. II. num. 135. Huic sententiæ illi quoque satis accedunt qui pluris in annum præceptum caritatis urgere docent: & Cardenas docet peccatum letale esse, ultra mensem differre eiusdem observantiam. Porro peccator, quousque in peccato perseverat; nequit hoc servare præceptum. Dia ergo in crimine persistens præceptum caritatis tum erga Deum, tum erga semetipsum violat, præceptum poenitentiae transgreditur, & in peiora flagitia communiter recidit.

XI. Obiicit ultimo. Si vera sunt quæ hæcenus dixisti, omnia peccatoris opera sunt peccata, quod tamen aperte negas. Nam peccator iste, cum sit in continuo peccato mortali, dum aliqua honestatis officia peragit, puta dum pauperibus succurrit, parentibus obedit, infirmos visitat, semper peccabit. Nec est quod reponas opera illa non infici, sed peccatorem. Nam sic respondent quoque Auctores, quos inter Henricus a S. Ignatio, propugnantes semper eum peccare qui omnia opera sua expressa directione non offert Deo; quos Auctores tu oppugnas.

XLI. Resp. Oppositio isthæc duo confundit præcepta, & eum qui contra unum delinquit, adversus alterum quoque peccare eundem contendit. Hæc autem nimis crassa aberratio est. Siquidem aliud est mandatum abolendi peccati perpetrati, seseque damnationis periculo subducendi; aliud est mandatum omnia opera sua expresse dirigendi in Deum. Hoc affirmans asserimus, quod licet semper, non tamen pro semper obligat. Id-

circo diximus non semper peccare eum qui propter honestatem pietatis officia peragit, licet expressam operis directionem omittat. Dum vero in peccato perseverat, peccat contra præceptum vitandæ damnationis, culpæque delendæ. Absurdum ergo nimis manifestum est, si asseras peccatorem violare præceptum dirigendi opera omnia in Deum, propterea quod transgreditur præceptum non perseverandi in peccato. Hoc autem absurdum millies explodit S. Thomas, ut vidimus. Verum de his plura in tractatu de Poenitentia. Hæc nunc dixisse sufficiat, ut clarius explicarem quomodo tum iusti, tum peccatores ad servandum caritatis mandatum astringantur.

CAPUT XI.

Caritas forma est ceterarum virtutum. Nullius virtutis actus meritorius est vite æterna absque caritatis influxu.

I. Theologi catholici omnes docent caritatem formam esse ceterarum virtutum ob illius excellentiam. Hanc veritatem reiiciunt Lutherani contententes solam fidem vitam mereri æternam. Hæresim hanc ut expellamus opus haud est, cum toties profulgata iam fuerit.

Itaque brevissime palam fit caritatem formam esse ceterarum virtutum. Hæc quippe cuiusvis formæ notio est ut perfectionem, ac valorem tribuat rei illi cuius forma est. Hoc autem præstat caritas divo Paulo teste I. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum: ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Caritas patiens est, benigna est: caritas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Caritas itaque omnes alias virtutes in statu virtutum constituit: qui virtutis status in hoc situs est ut Deum saltem habitualiter finem ultimum attingat. Ceteræ autem virtutes a caritate participant quod Deum finem ultimum inspiciant. Quippe caritas Deum cum ultimum finem, sibi tanquam proprium obiectum vindicat, ut alias ostensum est.

III.

III. In his quæ dicta sunt, Theologi conveniunt; sed non una est illorum sententia de modo quo caritas ceteras format virtutes. Verum e re nostra non est quæstiones mere scholasticas versare. Satis est, si dixerimus caritatem ideo dici formam virtutum, quia est principium actuum quibus meremur vitam æternam, seu quia ceteræ virtutes ex motione, & imperio caritatis tendunt in Deum ultimum finem: quem ordinem in Deum ultimum finem a caritate habent, ut ex dictis constat.

IV. Obiiciunt Lutherani. *Iustus autem meus ex fide vivit.* Habac. II. Item Apostolus ad Galat. v. *Fides, quæ per caritatem operatur.* & epist. ad Ephes. III. *In caritate radicati, & fundati.* Ergo fides, non caritas forma est aliarum virtutum. Resp. D. Thomas quæst. XIII. de verit. art. 5. ad 12. inquit: *Vita ergo spiritualis attribuitur fidei, quia in eius actu primo apparet; quamvis eius complementum sit a caritate: & hoc ipso est forma aliarum virtutum.* Et sacrum Tridentinum Concilium docet fidem iustificare, quatenus est humanæ salutis initium. Fides operatur per caritatem, sicut homo operatur per animam. Ibi enim Apostolus de fide loquitur caritate formata. Ad tertium respondet Angelicus 2. 2. quæst. XXIII. art. 8. ad 2. *Quod caritas comparatur fundamento, & radici, in quantum ex ea sustentantur, & nutriuntur omnes aliæ virtutes; & non secundum rationem qua fundamentum, & radix habent rationem causa materialis.*

V. Quæst. I. *Aliæ virtutes distinctæ a caritate mereri ne vitam æternam valent sine influxu caritatis?* Resp. De fide est hominem mereri minime posse vitam æternam, nisi gratia sanctificante, cui annexa caritas est, præditus sit. Constitutus vero in gratia, de condigno vitam æternam mereri valet. Quapropter vita æterna merces, & corona iustitia appellatur. Gratia quippe fons aquæ est salientis in vitam æternam. Et hoc in præsentia pro certo habemus. Nullum ergo dissidium penes Theologos est; sed omnes tamquam catholicum dogma propugnant, hominem, ut mereri vitam æternam valeat, instructum esse debere gratia sanctificante, & caritate; sive caritas hæc eadem cum gratia, sive ab eadem distincta sit. Discrepant vero in designando influxu, & imperio caritatis in aliarum virtutum actus, ut meritorii ex condigno sint vitæ æternæ.

VI. P. Vasquez 1. 2. disp. CXXVII. cap. IV. sustinet, hominem actibus quarumcumque aliarum virtutum mereri ex condigno tum

augmentum gratiæ, tum vitæ æternæ præmium; dummodo gratia sanctificante, & caritate præditus sit. Hæc sententia pugnat cum communi Theologorum sensu. Eam oppugnat inter ceteros P. Layman *Lib. II. tract. III. cap. I. num. 1.* Quoniam ut actus vitam mereatur æternam, in finem supernaturalem directus sit oportet, ut sic proportio meritum inter & præmium appareat. Porro actus aliarum virtutum, puta misericordiæ, iustitiæ &c. suapte natura non tendunt in finem supernaturalem, cum sint ordinis inferioris. Status vero habitualis iustitiæ, & sanctitatis non valet referre eiusmodi virtutes in finem supernaturalem, nisi media aliqua operatione. Ergo istarum virtutum actus meritorii esse nequeunt, nisi gratia, & caritas, vi alicuius operationis aut actualis, aut virtualis, eas ad finem supernaturalem attollant. Alioquin si puer baptizatus, dum primo usus rationis affectus fuit, eliceret actum virtutis obedientiæ erga parentes, mereretur gratiæ augmentum, præmiumque vitæ æternæ, tamen nullo processisset fidei actus: quod absurdum est.

VII. P. Franciscus Suarez *Lib. XII. de grat. cap. IX.* Montefinos *dis. xxxvi. quæst. 1.* alique recentiores recedunt utique ab opinione Vasquez, qui, ut vidimus, contendit actum cuiusque virtutis naturalis ob solam bonitatem moralem absque ulla actuali relatione supernaturali, sed cum sola habituali quam semper habet quilibet existens in gratia, merito dignum esse: dissident vero a communi Theologorum sententia, quod velint ad meritum vitæ æternæ sufficere, si actus virtutum naturalium per imperium alicuius virtutis supernaturalis infusæ dirigantur in Deum. Requiritur isti relationem actualem, aut formalem, aut virtuales aliarum virtutum; sed subdunt necesse haud esse ut relatio isthæc sit a caritate; sed satis esse quod sit ab aliqua virtute infusa supernaturali. Hanc quoque opinionem reiiciunt communiter Theologi.

VIII. Vera sententia proponitur. *Actus ceterarum virtutum, sive naturalium acquiratarum, sive supernaturalium infusarum, ut sint æterna beatitudinis meritorii, necesse est ut a caritate imperentur, & in Deum ultimum finem saltem virtualiter dirigantur.* Sic docent communiter Theologi. D. Thomas 1. 2. quæst. CXIV. art. 4. & 2. 2. quæst. XXIII. art. 8. Capreolus in II. *dis. IV. quæst. 1. art. 1.* Caietanus I. P. *quæst. LXIII. art. 6.* Ferrariensis III. *contr. Gent. cap. CIX.* Medina 1. 2. *quæst. CXIV. art. 4.* Bannez 2. 2. *quæst.*

XXIV.

XXIV. *dub. 7. Gonet disp. II. art. 6.* Salmanticensis *tract. XVI. disp. IV. dub. 1.* ubi laudant Lorcam citantem D. Bonaventuram, Scotum, Richardum, Gabrielem, Durandum, Almainum, Bellarminum, & alios, quibus subscribit Layman *loc. cit. num. 2.* Paludanus in III. *dis. XXIII. quæst. IV. art. 3.* Bellarminus *Lib. V. de iustific. cap. 15.* Verba ipsius Angelici referre lubet ex 1. 2. quæst. CXIV. art. 4. *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad caritatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur.* Ne vero quispiam interpretari de actibus virtutum acquiratarum, aliarumque supernaturalium hunc textum posset, addit in solutione ad 3. *Quod fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. v. Similiter etiam actus patientiæ, & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex caritate hæc operetur, secundum illud I. ad Corint. XIII. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Textus isti adeo comperti sunt, ut seipsis repellant adversariorum responsionem, qua dicunt, D. Thomam loqui de homine habente caritatem: quoniam rotundis verbis docet actus aliarum virtutum minime esse meritorios, nisi quis eos ex caritate operetur. Consule quæst. 2. 2. quæst. II. art. 9. ad 1. in II. *dis. XI. quæst. 1. art. 5. & dis. XXX. quæst. 1. art. 5. ad 3.*

IX. Sententia exposita manifestis Scripturæ oraculis nititur. *Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest.* I. Cor. 13. Item ad Galat. v. *In Christo Iesu neque circumciso aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur.* Patres communi assensu hoc idem docent. Superfluum censeo Augustini testimonia recensere. Leo Magnus *serm. X. de quadrag. Nudæ sunt omnes sine caritate virtutes: nec potest dici in qualibet mortua excellentia fructuosum quod non dilectionis partus ediderit.* D. Gregorius Magnus *hoin. VII. in Evang. Nihil videritatis habet ramus boni operis, nisi manserit in radice dilectionis.* Sed brevitas gratia ceteris missis, ratio effertur.

X. Ut actus sit meritorius, a gratia proficisci debet, quæ est principium meriti: principium, inquam, remotum, non proximum: quia in anima existit per modum naturæ supernaturalis; & iustum ad hunc statum evehit, in eoque illum constituit. Porro natura hæc non immediate seipsa, sed media caritate suas elicit operationes. Sive enim caritas eadem res sit cum gratia, solaque

ratione distincta, semper gratia respicit animam, quam sanctificat; & caritas operationes, quibus meriti valorem impertit (quam sententiam defendunt Richardus, Durandus, Soto, Bellarminus, Salmeronius, aliique;) sive sint qualitates realiter distinctæ, ita ut gratia animam secundum se afficiat, & caritas voluntatem ad operationes accendat, & disponat, ut cum D. Thoma communiter Thomistæ defendunt: ut ut res se se habeat, in utroque dicendi modo operationes profluunt a gratia, media caritate, quæ proportionem constituit inter meritum operationum, & præmium quod Deus in mercedem rependit. Quippe caritas sola Deum spectat, atque in eundem ut summum bonum fertur. Idcirco extollendo ceteras virtutes, easque in hunc ultimum finem dirigendo, qui est meritorii actus corona, efficit inter meritum & præmium æquam proportionem. Paucis verbis hæc omnia tradit D. Thomas in III. *dis. XXX. quæst. unic. artic. 5. ad 1. Gratia facit meritum, sicut principium remotum constituens nos in esse spirituali, sine quo non possumus mereri: sed caritas est sicut proximum merendi principium.* Omnes itaque actus sive fidei, sive spei, sive aliarum omnium virtutum, ut vitæ æternæ, & gratiæ augmenti sint meritorii, ex imperio, & directione caritatis eliciantur necesse est.

XI. Obiicies 1. Christus Dominus *Matth. XXV. inquit: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum &c. esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitiivi, & dedistis mihi bibere.* Item Marci cap. IX. *Si quis dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem suam.* Resp. Ad hæc, & similia Scripturarum testimonia facilis, & obvia est solutio. Sunt itaque præfati actus meritorii; sed prout a caritate diriguntur, & imperantur. Cum dicimus caritatem formam esse aliarum virtutum, non auferimus ab aliis virtutibus illorum naturam; sed eas perficiendas dicimus a caritate, ut dignæ æterno præmio fiant. Nonne & adversarii fateri coguntur, præfatos actus eleemosynæ, misericordiæ &c. meritorios non esse; nisi ab homine gratia sanctificaute ornato proficiscantur? Intelligenti ergo sunt laudati textus, secundum quod ex eadem Scriptura ostensum est, videlicet nihil valere vel ipsum martyrium ad vitam æternam promerendam, nisi caritate formetur.

XII. Obiicies 2. Fides prius natura a gratia quam caritas dimanat: ergo prius fides quam caritas principium est merendi. Nec enim

enim a gratia dimanare valet, quin valorem, & dignitatem a gratia participet. Quod autem prius a gratia quam caritas derivetur, patet: fides enim ad intellectum, caritas ad voluntatem quæ intellectus posterior est, attingit. Resp. Omissis multis distinctionibus a diverso causarum genere repetitis, dico, fidem non ita esse gratiæ proprietatem sicuti est caritas: quia caritas numquam sine gratia, nec gratia, sine caritate reperiri potest. Contra, fides sine gratia existit in homine. Porro si sermo sit de fide viva, quæ iusto inest, negatur a gratia dimanare sine caritate. Dicitur est supra, fidem operari per caritatem, non tamquam per instrumentum, sed tamquam per principium, & formam qua vivificatur.

VIII. Quæst. II. *Actibus aliarum virtutum imperatis a caritate respondet ne meritum peculiare, distinctum a merito ipsius caritatis?* Resp. Adfirmans sententia mihi magis arripet. Quoniam ad meritum vitæ æternæ, aliis conditionibus positis, de quibus modo non disputatur, non aliud requiritur nisi bonitas moralis in actu, & directio cum relatione saltem virtuali caritatis in finem. Hæc bonitas moralis, puta humilitatis, fortitudinis, misericordiæ &c. distincta est a bonitate ipsius caritatis. Directio quoque sive formalis, sive virtualis, qua istæ virtutes ordinantur in Deum finem ultimum, est distincta a relatione formali ipsius actus caritatis. Quoniam directio actus caritatis non est nisi actus ipse caritatis, qui essentialiter fertur in Deum; directio vero aliarum virtutum ex imperio caritatis proficiens elicitive est ab ipsis virtutibus caritatis motione formatis, & corroboratis. Nec est quod plus temporis teram in exprimendo modo quo contingit ceteras virtutes moveri, & informari a caritate.

CAPUT XII.

Præcepto caritatis astringimur omnia opera nostra in Deum dirigere. Quomodo hoc mandatum adfirmans sit, & negans?

I. **Q**uamquam ex iis quæ in superioribus dicta sunt, proposita sententia patet: tamen quia res magni momenti est, & ad Christianorum formandos mores plurimum confert, lubet fusius, & enuclearius eam retractare. Quod antequam præsto, illud admoneo, in mentem revocandam esse distinctionem relationis formalis, & virtualis. Non esse necessariam relationem formalem quemadmodum & habitalem non

sufficere, convenit inter Theologos. De virtuali tota est disputatio.

II. Primum argumentum repetitur ex illo maximo, & supremo mandato: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua* &c. Matt. xxii. Si Deus totum cor, totam animam nostram sibi sacrificari vult, potiore iure omnes eiusdem partus, fructus, & opera sibi vindicat. Qui enim vult solum, eadem voluntate sibi fructus soli asserit. Hinc Angelicus ex hoc mandato peroptime infert, omnia opera nostra in Deum referenda esse 1. 2. quæst. c. art. 10. ad 2. *Sub præcepto caritatis continetur ut diligamus Deum ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum. Et ideo præceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Subdit vero Angelicus, præceptum istud, cum adfirmans sit, non pro semper obligare, ut infra explicabitur.

III. Secundum argumentum petitur ex illo Apostoli I. Cor. x. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* His Apostoli verbis præceptum contineri, communis est Theologorum sententia. Quod confirmat Apostolus in eadem Epistola cap. xvi. vers. 13. & 14. *Pignorate, stete in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia vestra in caritate fiant.* Neque explicat hic Angelicus lect. III. *Omnia debent referri in finem caritatis, ut scilicet omnia fiant propter Deum, & proximum.* Hoc ipsum præcipit D. Apostolus Petrus Epist. I. cap. i. vers. 15. *Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.*

IV. Tertium petitur ex communi Patrum assensu. D. Basilius Lib. II. de bapt. cap. II. *Necessarium est præceptum Apostoli servare, dicentis: Omnia honeste, & secundum ordinem fiant. . . Et quem Paulus in Christo locutus ostendit, Sive edatis, inquit, sive quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Et in Regul. fusius disput. interrogat. 5. *Christianus, si actiones suas omnes sive maiores, sive minores ad Dei voluntatem direxerit. . . Apostoli præcepto illi satisfacit: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

V. D. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem Pelagio opponenti: *Audite, quæso, audite sacrilegium: si voluero curare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurre, spua iacere &c. respondet his verbis: Audi, ingratus, immo sacrilege, Apostolum prædicantem: Sive manducatis, sive bibitis, sive*

sive quid aliud facitis, omnia in nomine Domini agite.

VI. D. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. III. *Præcipit Apostolus dicens: Omnia vestra in caritate fiant.* Item in Psalm. cii. *Negotium agis? Laudet Deum animam tuam. Cibum capis? Vide quid ait Apostolus: Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Innumeros textus ex Augustino adferre possem, quos brevitati consulens prætereo. Aliorum quoque Patrum testimonia omitto, potissimum quod, ut dixi, vix dissidium sit inter Theologos hac de re.

VII. Ultimum argumentum a ratione petitur. Ad tria principia revocari rationes possunt vi quarum omnia nostra opera in Deum referenda sint: videlicet ad creationem, ad conservationem, ad redemptionem. Et quidem ratione creationis omnia nostra opera in Deum referenda quis negare audeat? Quippe, quemadmodum Deus principium omnium creaturarum, & actionum, ita quoque finis est in quem hæc omnia revocari debent. Omnia quæ Deus fecit, propter semetipsum fecit: ergo per ordinem ad Deum omnia appetenda, & amanda sunt. Si aquarum rivuli incessanter æquora repetunt; si ad locum unde exeunt, revertuntur flumina, ut iterum ressuant: ad suum principium non redibit homo, ut illuc omnia sua referat? Quid quod Deus absolutum, perfectumque dominium habet in omnes actiones nostras, non modo creationis, verum etiam continuæ conservationis titulo? Duplici ergo titulo ipsi debentur, & ut domino, & ut conservatori. Quod si creationis, conservationisque iure opera nostra sibi Deus vindicat; potiori iure eadem sibi asserit ineffabilis redemptionis titulo. Peroptime expendit hanc rationem D. Bernardus serm. xx. in Cant. *Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo? Non enim tam facile refectus quam factus. Si quidem qui me tantum & semel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dicit, sed & indigna. . . In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam, etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? Et revera nos infinito redemptionis opere velut servos emptitios Deus acquisivit, secundum illud I. Cor. vi. *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno. Ergo non nobis, sed Deo vivere, & operari debemus.* Conc. Theol. Tom. I.*

quemadmodum docet idem Apostolus II. Cor. v. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est: & ad Rom. xiv. Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur.* Igitur si Verbum incarnatum est; si Christus natus, & mortuus est, ut sibi nos populum, & victimas acquireret: necesse est nos, & omnia nostra illi deberi. Accedit quod hæc omnia vera sunt respectu cuiusque gentis, cum pro omnibus hominibus mortuus Christus sit; verum, si Christianorum dignitatem, si vocationem eorumdem ad sanctam evangelicæ legis professionem spectemus, altera potissima confurgit ratio, quæ fortius nos devincit ad opera nostra omnia offerenda Deo. Status noster qui sanctitatem capit, actiones sibi asserit consentaneas, & congruas, ut idem Apostolus inquit ad Ephes. iv. vers. 1. *Obsecro itaque vos ego vincit in Domino ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis: & ad Philip. i. Digne Evangelio conversamini.* Quippe christianus populus unum corpus efficit, cuius Christus caput est. Vivere itaque vitam capitis debet, eas edere actiones quæ Christi membris respondeant, iisque moribus formare vitam suam quibus vitam Christi exprimat.

VIII. Præceptum hoc adfirmans est: idcirco dato tempore obligat, ut iam indicatum supra est, & nunc confirmatur verbis ipsius D. Thomæ 1. 2. quæst. c. artic. 10. ad 2. *Et cum ista duo præcepta (nempe diligere Deum, & parentes) sint affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare: & ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi caritatis.* Hæc sententia ita perspicua est, ut nulla possit tergiversatione eludi. Idem repetit quæst. lxxxviii. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod illud præceptum Apostoli (Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: I. Corinth. x.) est affirmativam: unde non obligat ad semper: & sic non facit contra hoc præceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit.* Similia habet opusc. xviii. cap. v. *Huius divina dilectionis perfectio datur homini in præcepto: primo quidem ut homo omnia in Deum referat sicut in finem, sicut apostolus dicit I. Cor. x. (Sive manducatis &c.) quod quidem impletur, cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, & per consequens omnia quæ propter seipsum agit,*

virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia quae a Deo abducant, sicut sunt peccata: & sic Deum diligit homo ex toto corde. Plures alios textus nunc transmittio. Ex his oppido patet, præceptum caritatis, affirmans cum sit, non urgere omni, & quocumque tempore, ut omnes actiones nostras actu explicite sive formali, sive virtuali in Deum dirigamus. Licet vero hoc præceptum affirmans sit, includit tamen præceptum negativum quod prohibet quidquam agere contra amorem Dei, seu quod amori, & gloriae Dei repugnet.

IX. Paucis tene quæ de caritatis præcepto dicta sunt. Mandatum caritatis peculiare est. Obligat ad actum expressum, & formalem amoris Dei. Obligat sæpius, non modo in vita, verum etiam infra annum. Sed, affirmativum cum sit, non obligat pro semper, neque ad actus expressos amoris, neque ad referenda omnia opera nostra in Deum: quoties enim urget ad amandum Deum, urget etiam ad dirigenda omnia opera nostra in ipsum; & quando non urget ad amandum, neque urget ad referendum. Quatenus negativum est, semper prohibet ne in finem pravum opera nostra referamus, neve aliquod bonum divino bono præferamus, neve Deum odio habeamus unquam. Nullum vero reperitur præceptum quod vel ut negans vetet amare bona creata honesta; vel ut affirmans iubeat ut semper, & in omni actu hunc amorem in Deum referamus: sed satis est ut illius honestatem quæ suapte natura in Deum referibilis est, amemus, absque ulla prava circumstantia, ut clarius capite sequenti.

X. Commentum Henrici a S. Ignatio, quo Tom. I. Lib. VIII. cap. XII. num. 112. D. Thomæ discipulis notam deceptionis impingit in istius mandati explicatione ad mentem Angelici, vanum est; quod Auctorem suum non modo a doctrina D. Thomæ, sed etiam a communiori doctrina Catholicorum aberrare ostendit. Contendit P. Henricus, idcirco nos decipi, quod non distinguamus inter obligationem sub mortali & obligationem sub veniali. Angelicus sub alterutra culpa, mortali, aut veniali, semper obligare mandatum docet, concludit Henricus. Verum subdimus illum summopere hallucinari. Quoniam omne verum præceptum suapte natura obligat sub mortali. Illius vero transgressio quandoque venialis evadit duplici titulo: nempe vel ob imperfectam deliberationem actus, vel ob parvitatem materiæ. Porro, cum Angelicus conceptis verbis doceat

præceptum caritatis, eo quod affirmans sit, non obligare nisi stans temporibus, sequitur eo tempore quo non obligat, nulla culpa infici qui illud non servat. Si culpam contraheret qui illud aliquo tempore non servaret, consequens fieret, negativum illud esse, non affirmativum. Nam neque transgressio mandati negativi semper est mortalis; sed sæpe venialis esse potest, aut ob indeliberationem voluntatis, aut ob levitatem materiæ, ut patet in furto, cuius præceptum negans est. Non vacat expendere omnes quos hic Auctor profert textus ex D. Thoma, partim truncatos, partim nihil illius proposito faventes. Nam Angelicus sexcentis in locis explicans mandatum caritatis, illius observantiam inculcat, Scripturas sanctas allegat, quæ amorem Dei, & omnia propter Deum facienda iubent, & hortantur. Verum, cum de continua, & non interrupta relatione operum nostrorum in Deum sermo recurrit, continuo subdit præceptum esse affirmativum, quod semper, & non pro semper obligat. Quæ omnia capite sequenti enucleatius discutientur.

CAPUT XIII.

Sunt ne omnia opera quæ absque caritate, aut gratia fiunt, peccata? Infidelium morales virtutes discutuntur.

I. Quoniam primum, maximumque est caritatis mandatum, ideo sedulam curam illius expositio postulat. Omnia hæc nunc hæreticorum erronea explicatione, extremæ Catholicorum opiniones iterum breviter perstringendæ sunt. Vidimus Theologorum aliquos docuisse, præceptum amoris divini generale esse. Plures alii præceptum peculiare agnoverunt; sed illius obligationem tempori tantum vel mortis imminenti, vel tentationis odium Dei ingerentis, illigarunt, vel ultra quinquennium prorogarunt. Quæ opiniones sua laxitate scandalum, & horrorem christianis auribus incutiunt. Hinc alii Catholici in aliud rigoris declinarunt extremum. Hi quippe docent tam universalem esse, continuamque divini mandati obligationem, ut comprehendat omnium actionum nostrarum relationem actualem expressam, aut formalem, aut virtualem, in Deum. Hinc inferunt peccare saltem venialiter hominem qui vel unicum deliberatum actum in Deum dirigere negligit. Viam autem, qua Catholici isti recedere sibi blandiuntur ab hæresi toties convulsa, quod omnia opera pec-

peccatorum, vel infidelium sint peccata, infra palam faciemus. Porro, ut perspicue utriusque extremæ sententiæ absurda ob lektorum oculos referamus, caput istud in varios tribuo paragraphos. In primo sub examen inducam laxissimam, & proscriptam propositionem, quæ veluti furculus est primæ recentitæ sententiæ de mandato caritatis nonnisi urgente necessitate, obligante. Deinceps alterius severioris opinionis absurda expandam.

§. I.

Examinatur propositio damnata ab Innocentio XI. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non oblit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

II. Hæc propositio ab Innocentio XI. summo Pontifice proscripta est, quasi confectarium opinionis laxæ quæ docet, aut numquam, aut raro dirigendas esse operationes in Deum. Qui enim ab prima operationum nostrarum rectissima amussi deflebit, confestim celeri cursu de errore in errorum abyssum prolabitur. Excusso semel primo mandato dirigendi opportuno, congruque naturæ nostræ tempore omnia in Dei gloriam, continuo alii præceptum vel ipsis Ethnicis pervium compertumque, omnia scilicet appetendi propter honestatem, repudiarunt. Quare ob solam voluptatem cibum, potumque ad satietatem usque licite sumi posse propugnarunt. Sensus damnatæ propositionis exponendus est.

III. Propositionem damnatam Ioannes Sanchez docuit in *Select. disp. II. num. 14.* his verbis: *Deficiente nocumento, comedere & bibere absque necessitate solum ob delectationem captandam, scilicet ob frigiditatem potus, vel suavitatem cibi, neutiquam contra rationem erit; sed talis comestio, aut potatio libere fit, ut appetitus naturalis suis fruatur actibus. At velle appetitum delectari suis operationibus quæ contra rationem non sunt, nullatenus peccatum est; cum scelus reperiri sit impossibile, nisi contra rationem tendat operans. Dicis, quæso, quare contra rationem operatur edens, aut bibens absque fame, dum alias esus, aut potus nocumentum saluti non inferant? Nam, si ob solam cibi delectationem gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumento; peccatum etiam esset odorari res aromaticas ob SOLAM delectationem ca-*

piendam boni odoris; & esset scelus res inspicere pulchras ob SOLAM delectationem quam visus in visione capit; & esset crimen audire musicam ob capiendam auditus delectationem. Quis autem damnet hæc? Igitur nec gustus sensum, ex eo quod appetat cibum ob SOLAM eius delectationem, dammare erit fas. Peioris ne conditionis erit quam alii?

IV. Hæc omnia ex Sanchez transcriptit P. Matthæus Moya in *Selectis tract. VI. disp. II.* (num. III. ut citant Cardenas, & Viva) *quest. III.* & ut probabilem opinionem eam defendit. Sitne opinio isthæc eadem ac damnata, aliorum esto iudicium. Laudatus Cardenas *dissert. VII. art. I.* contendit a damnata propositione eximere doctrinam P. Moya, eo quod propositio proscripta licitam comesturam asserat *usque ad satietatem, & ob solam voluptatem.* At ex hoc capite non video cur indemnitas evadere doctrina Moya possit: quoniam probabilem vocat Moya opinionem Sanchez, qui conceptis verbis docet licitum esse comedere, nulla vellicante fame, *ob solam voluptatem.* Hoc autem damnatum esse in propositione, quis inficietur? Quod autem subdit Cardenas, nempe Patrem Moya num. 19. defendere cum Augustino, cibum sine necessitate captum illicitum esse, verum habet. Ceterum non improbat probabilitatem quam tribuerat opinioni Sanchez de licito esu *ob solam voluptatem.* Ut ut autem de mente Moya, nostra non interest in eius examen ad quod aliorum Auctorum sententias revocat, severius inquirere, ne tempus prodigamus. Ad hoc quod attinet, excusandus Moya videtur, quod ante damnatas ab Innocentio propositiones scripserit.

V. Illud admirationem ingerit quod P. Viva, dum officio fungitur ostendendi, iuste proscriptam esse hanc propositionem ab Innocentio XI. ita extenuet vim proscriptionis, ut ea in aristam, & nihilum fere recidat. Quod ut clarius pateat, propositio damnata tribuenda in partes est, ut quid proscriptum sit, plane teneatur. Tres sunt propositionis partes expendendæ. Prima: *Comedere usque ad satietatem.* Altera: *Propter solam voluptatem.* Postrema: *Quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Singula propositionis membra non modo copulate, verum etiam disiuncte, proscriptiioni subiecta sunt.

VI. Ad satietatem quod attinet, duplex satietatis genus distinguendum. Altera satietas est quæ penitus famem pellit. Altera quæ præter plenam famis expulsionem, immo-

deratam cibi quantitatem, ad vitæ sustentationem minime necessariam, sumit. Hæc secunda, non prima, proscribitur in propositione. Ratio proscriptionis clara est, quam tradit D. Thomas 2. 2. quæst. cxlviii. art. 4. Quoniam alimentum institutum est ad conservationem & sustentationem vitæ. Ergo, ubi superfluit vitæ sustentationi, illicitum est. *Regularationis* (inquit Divus Thomas) hæc est ut homo sumat cibum, secundum quod convenit sustentationi naturæ, & bonæ habitudini hominis, & conversationi eorum cum quibus vivit, ut dicitur in III. Ethicorum. Quando ergo secundum hanc regulam rationis appetit aliquid, & sumit cibum, secundum necessitatem sumit; quando vero ultra hoc excedit, transcendit regulam rationis, a medio virtutis discedens, ut satisfaciat voluptati. Culpæ itaque venialis fons evadit qui usque ad satietatem non necessariam naturæ comedit; tamen si voluptatem non intendat ut finem. Si quis tamen satietatem reputaret necessariam, & non immodicam ac superfluam naturæ, & finem in delectatione haud poneret, non peccaret.

VII. Hinc collige, quam difficile a culpa eximantur illi qui impetu quodam fere rapiuntur in cupidias, selectioresque dapes, qui nimia anxietate, & sollicitudine omnia iurant, ut delicatioribus epulis conquirent, ut palato, gulæque omnino obsecundent. Modus in his adhibendus. Non raro iusta occurrit causa mensam exquisitioribus ferulis instruendi, ut hospitibus, & amicis invitatis ad convivium argumenta existimationis, & amicitiae exhibeantur. Quandoque suaviores, gratioresque epulæ expetuntur vel ad animum recreandum, vel quia facilius digeruntur, & magis conferunt ad nutrimentum, iuxta illud: *Quod sapit, nutrit*. Nemo tamen scrupulis angere debet, quod singularem delectationem ex cibo percipiat. Id enim ex meliori palato, & conformitate cibi ad palatum, seu ex proportione, ut dicunt, sensibilis cum sensorio contingit. Idcirco in prandio in quo plura occurrunt ferula quæ magis delectant, licite feligi possunt quæ magis placent; dummodo modus adhibeatur, sobrietas fervetur, & delectatio ut medium ad alimoniam dirigatur. Facillime vel ipsi iusti in his delinquere possunt. Quapropter dum homo has, similesque actiones exercet, in quibus cum brutis convenit, expectatus sit oportet. Preces quas ante mensam Deo offert, singulari devotione recitet; & in ipso esu mentem, animumque

erigat, verbumque Dei, si legatur, attente audiat. Hæc omnia confirmat Augustinus Tom. X. de sanct. serm. iv. de animab. defunct. *Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere*. Verum de his plurimum de actibus humanis sermo erit.

VIII. Satietas ergo in superflua comestura sita se sola ratio sufficiens est cur propositio damnata sit. Altera ratio quæ itidem sola satis fuit ad proscribendam propositionem, est voluptas. Hæc itaque propositio, licitum est comedere, & bibere propter solam voluptatem, dummodo non obsit valetudini, iure ac merito, ceteris aliis omnibus particulis, proscribitur. Quoniam quod sumitur ob solam voluptatem, sustentationi naturæ superfluit. Idcirco hæc primum ratione digna damnatione propositio est. Altera potissima ratio est quod voluptas non sit seipsa digna ut appetatur, nisi Epicuro, inquit Cicero IV. Acad. 131. *Voluptas per se expetenda Epicuro*; & II. Officior. 37. *Si quis est paullo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam: ex quo intelligitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia*. Ipso ergo Tullio iudice ethnico, digna voluptas non est homine ratione prædita. Seneca Lib. de vit. beat. cap. x. homini Epicureo improperabat: *Tu voluptate fueris, ego utor*; paucis indicans medium, non finem esse voluptatem. Rationem promittit Angelicus 2. 2. q. cxli. art. 6. Finis, & ordo quem natura ipsa præstituit in comestura, est ut cibum sit propter sustentationem naturæ. Pervertat ergo necesse est naturæ ordinem qui propter solam comedit voluptatem. Hinc principium universale ponit, quod scilicet temperantiæ virtus modum delectabilibus imponere debeat, eaque in bonum rationis dirigere. Bonum porro rationis in hoc splendet quod media in finem ordinet. In hoc ordine virtutes morales sitæ sunt. Audiamus Angelicum. *Bonum virtutis moralis præcipue consistit in ordine rationis. Nunc bonum hominis est secundum rationem esse. Omnia autem delectabilia quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam huius vitæ necessitatem sicut ad finem: & ideo temperantiæ accipit necessitatem huius vitæ sicut regulam delectabilium quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas huius vitæ requirit*. Tanta ergo capienda ex cibo voluptas est, quanta satis sit ad vitæ sustentationem. Ne vero quis scrupulis

lis vellicetur, subdit Angelicus, aliam ciborum delectationem absolventem necessariam esse, aliam convenientem naturæ sustentandæ, servandæque. Idcirco utramque delectationem temperantiæ virtus dirigit. Hæc quippe habet in resp. ad 2. *Necessitas humane naturæ potest attendi dupliciter. Uno modo secundum quod necessarium dicitur illud sine quo res nullo modo potest esse, sicut cibus necessarius est animali. Alio modo secundum quod necessarium dicitur illud sine quo res non potest convenienter esse*. Temperantiæ autem non solum attendit primam necessitatem, sed etiam secundam.

IX. Tertia damnatæ propositionis particula est: *Licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Hoc est illud quod potissimum anathemate configitur in præfata propositione. Quippe istud est principium universale, ex quo cetera eius propositionis membra proficiuntur. Si enim licitum est appetitui naturali suis frui actibus, necessario consequitur licitum esse comedere, & bibere propter solam delectationem. Quod ut planius teneas, discernimen nota quod est frui inter & uti. Fruimur sine obtento: utimur medio quo finem allequimur. Quapropter, si voluptate fueris, eam ut finem intendis; si uteris ea, ut medium adhibes. Hæc ergo assertio universalis, licitum est appetitum naturalem suis frui actibus, damnata absolute est. Propositio enim damnata hanc particulam adducit tamquam causam universalem, inferentem alia propositionis membra: *Quia licite potest* &c. nisi enim esset universalis, inepta fuisset ad inferendam licitam comesturam. Et quia res plana est, non convenit plura verba facere.

X. Ex his satis colligitur, quomodo P. Viva extenuare videatur vim propositionis damnatæ. Afferit namque num. 6. sensus auditus, olfactus, aliosque licite posse suis frui actibus. *Verum quidem est* (inquit) *quod possit PROPTER SE intendi directe oblectatio aliqua quæ reperitur in ludo v. g. in olfactu floris, in auditione musicæ; & in aliis actibus moraliter indifferentibus*. Quod repetit num. 10. *Voluptas autem moderata quæ ex auditione concertus percipitur, si ad honestum finem ordinetur, erit actus virtutis; si vero propter se signate ametur, quoties non apparet prohibita, erit actus moralis indifferens ex natura ipsius operis ad rectum finem a natura intentum*. Contendit ergo P. Viva nullum perpetrare peccatum veniale illum qui propter solam delectationem musicam audi-

Conc. Theol. Tom. I.

ret, aromata olfaceret, ludo vacaret. Quia, inquit, eiusmodi delectabilia per se instituta sunt a natura, ut animum relaxent. At etiam cibus per se institutus est ut corpus alat. Cur ergo iste signate propter se directe appeti nequit? Sicut enim voluptas concentus animum relaxat, ita comestura corpus nutrit. Reponit, facilius esse ut in cibo, potuque, & rebus venereis (de quibus in tractatu de matrimonio) modus excedatur. Non repugno. Sed hinc solum consequitur, frequentius, & si vis etiam, gravius, in his quam illis peccari.

XI. Hæc P. Viva doctrina mihi videtur (salva docto, pioque viro reverentia) implicite proscribitur in illa particula universalis propositionis damnatæ: *Quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Ut vidimus, hæc propositio universalis est; alioquin inepta fuisset ad inferendum licitum usum propter voluptatem. Damnatum ergo est asserere, licitum esse aliquem appetitum naturalem, sive sensum, posse voluptatem propter se directe appetere. Omnia quippe delectabilia, inquit S. Thomas, aut necessaria absolute sunt, aut congrua naturæ. Ergo omnia delectabilia appetenda sunt, quatenus aut necessaria, aut congrua naturæ sunt. Musicos modos, & modulatum concentum ad pellendam tristitiam audimus. Aromata, floresque olfacimus ad confortandum caput, ad exhilarandum spiritum, animumque recreandum. Viridaria, calorum astra, & ceterarum universi partium mirabilem harmoniam spectamus, ut experimentalem notitiam acquiramus, ut divinam sapientiam, quæ omnia condidit, veneremur. Nihil eorum propter solam voluptatem appetimus; sed omnia propter honestum finem, aut reparandarum corporis virium, quæ labore fractæ, vel extenuatæ sint, aut spiritus occupatione pressi levandi.

XII. Porro quod doctrina P. Viva implicite, & virtualiter damnata sit, aperte testatur P. Cardenas dissert. vii. cap. i. qu. 11. num. 38. his verbis: *Adhuc tamen asserendum est, hanc propositionem, Nullum est peccatum audire musicam propter solam delectationem, non manere damnatam formaliter, sed damnari virtualiter. . . . Damnatur virtualiter, cum ex damnatione unius propositionis inferitur evidenter reprobatio alterius. . . . Nam, ut dicam quæst. seq. damnata manet ea propositio universalis: Licite potest appetitus naturalis suis actibus frui, id est illos elicere propter solam voluptatem: ex cuius da-*

P 3

mma-

mnatione infertur reprobatione dignam esse eam que docet, nullum peccatum esse frui musica, siue illam audire propter solam voluptatem. Quæ omnia eo spectant, non ut notam aliquam erudito P. Viva impingam, (quod absit) sed quo lectores admoneam, ut caute legant commentaria istius Auctoris, qui sane (ut ego quidem arbitror) niuium prohibitionis damnatarum propositionum vim relaxavit. An ex hac propositione damnata præiudicatum sit sententiæ de actibus in individuo indifferentibus, dicitur, ubi ex instituto de hoc argumento recurret sermo, sicut & de copula coniugali ob solam delectationem exercita.

§. II.

Sunt ne omnia infidelium opera peccata proprie dicta.

I. Superiore paragrapho extremum laxitatis in quod declinarunt nonnulli recentiores Theologi, in exponendo caritatis mandato, indicavi; in sequentibus paragraphis alia extrema opposita in quæ prolapsi sunt rum hæretici, tum Catholici aliqui, indicanda sunt. Antequam vero opinionem Catholicorum expono, prius hæreticorum errores indicandi sunt. Quod ut præstem, alius repetenda res est, & ab ipsa fide ducendum initium, sint ne scilicet opera infidelium peccata, virtutesque vitia sine fide supernaturali seu theologica: vitia, inquam, & peccata proprie dicta, quæ nempe ad poenam imputantur. Nam, si sermo sit de peccato latius accepto, idest de opere sterili ad æternam salutem, nulla quæstio est: omnes quippe Catholici fatentur, nullum edi posse morale opus vita æterna dignum absque fide, & gratia supernaturali. De necessitate fidei in præsens; deinceps de necessitate gratiæ, & caritatis.

II. In omni opere morali duo distinguenda, officium, & finis. Officium est ipsius operis materia, seu obiectum. Finis est illud in quod opus ab operante dirigitur. Operire nudum, bonum est ratione officii, seu obiecti: si opus istud in Deum ordinetur, bonum est finis causa. Integra operis moralis honestas, & bonitas ex utroque coalescit, officio nempe, & fine. Duplex porro distinguendus finis est in quolibet morali opere. Alter proximus, & immediatus, qui dici solet finis operis, ut est elemosyna propter solamen pauperis. Alter remotus, & ultimus, in quem opus dirigitur; qui finis Deus est. A-

ctio moralis honesta, & recta tam ex officio, quam ex fine proximo, & immediato, suapte natura in Deum tendit, nisi aliquo pravo actu in finem quempiam malum ab operante detorqueatur: quia omne bonum in Deum, a quo dimanat, regreditur.

III. Intentio qua opus in Deum refertur, ut dictum est alias, triplex: actualis, virtualis, habitualis, seu interpretativa. Actualis in actu expresso, formalis, & reflexo sita est. Virtualis duplex. Altera quæ effectus est intentionis formalis, & expressæ, quatenus videlicet actus expressæ intentionis virtute influit in subsequentes actiones. Altera quæ nullum præsupponit actum formalem, qui actiones expresse in Deum dirigat; sed suapte virtute, & ex implicita quadam agentis intentione opus honestum in Deum ultimum finem refert; quæ intentio virtualis obiectiva nuncupari valet. Habitualis intentio in agentis propensione consistit. Interpretativa ea est quam agens haberet, si de ea cogitaret.

IV. Lutherani, & Calvinistæ, humanae libertatis proditores, omnia opera sine fide iustificante, & formata facta, peccata esse effutiant. Pelagiani e contrario vel in ipsis infidelibus veras virtutes agnoscunt, & quemque hominem solius naturæ viribus universam implere posse legem docuerunt. In Lutheranorum, & Calvinistarum errores lapsi sunt Michael Baius, & præter propter Iansenius, Quesnellus, alique eiusdem factionis; quamquam variis fucis eos delinire gestiant. Nam hæc est propositio 25. Baii: *Infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

V. Error ergo Baii, Iansenii, eorumque gregalium est, quod omnia opera absque caritate vera & proprie dicta sint peccata. Contendunt enim omnes actiones humanas in Deum dirigendas esse ex caritatis theologice motivo; atque adeo peccare semper homines, peccato saltem omissionis, qui dirigere vi eiusdem caritatis negligent opera sua in Deum. Illud inter Baii & Iansenii sententiam discrimen est, quod primus, ut opera reuera bona sint, exigit caritatem perfectam; alter vero etiam imperfecta contentus est.

VI. Porro, ut perspicue teneas quid probandum, quidve improbandum in hac materia sit, illud animadvertito, quod convenit penes Catholicos, actiones nostras referendas in Deum esse modo aliquo. In hac universalis propositione nullum dissidium est. Cir-

ca modum, seu motivum, quo referri debent opera nostra in Deum, dissident hæretici Catholici, & a Catholicis Catholici. Baius post Calvinum asserit referenda esse omnia hominis opera in Deum vi caritatis theologice, & proprie dictæ: quem errorem omnes Catholici reiciunt. Nonnulli Catholici contendunt referendas esse actiones nostras omnes in Deum, non tamen per gratiam sanctificantem; sustinent tamen sine fide nullum opus morale bonum fieri posse. Quare admittentes eiusmodi opera honesta in Christianis peccatoribus, ab infidelibus, præsertim idololatriis, eadem excludunt. Cui sententiæ accedit Gregorius de Arimino in II. dist. xxvi. quæst. I. art. 2. Alii docent sine fide theologica opera bona moralia reperiri posse; secus vero sine auxilio speciali, & caritate generatim, & communiter dicta, seu sine amore Dei propter se dilecti. Hanc porro caritatem actualem communiter dictam in ipsis peccatoribus reperiri docent. In hanc concedunt sententiam Vincentius Contensonius Lib. VIII. dist. II. cap. I. specular. 2. Cardinalis Norisius in vindiciis Augustiniani quæst. II. de necessitate grat. Henricus a sancto Ignatio Tom. I. Lib. VIII. ubi pro hac sententia laudat Scripturas, Patres, Pontifices, & cuiusque ordinis insigniores Theologos. Hanc secundam Catholicorum sententiam infra ad examen revocabimus. De priori nunc dicendum est.

VII. Aliqua opera moraliter bona reperiuntur in infidelibus, ita ut eorum omnes actiones non sint vere, & proprie peccata. Conclusio Scripturarum testimonio patet. Ex multis pauca perstringam. Mercedem Deus rependit obstetricibus Ægyptiorum; eo quod, regio Pharaonis mandato neglecto, Deum timentes, mares Iudæorum servarunt. Exod. I. Benefecit Deus obstetricibus. Neque hinc inferendum, placuisse Deo mendacium quod perpetrarunt mulieres istæ. Sed benignitas mentis, non iniquitas mentientis; remunerata a Deo fuit, inquit Augustinus, Angelicus, & communiter Interpretes. D. Paulus Rom. cap. II. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Duplici expositione hunc textum interpretantur Patres. Gentes accipiunt primi pro Christianis ex gentibus conversis, qui sine Moyse lege Evangelium servabant. Hac interpretatione repellebant errorem Pelagianorum, qui laudato textu abutebantur,

ut evincerent hominem posse universa legis evangelicæ præcepta sine gratia servare. Gentes accipiunt secundi pro infidelibus nondum fide Christi imbutis, qui naturaliter, lumine scilicet naturæ, aliqua legis mandata servant. Christus Matth. v. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutareritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Amicorum dilectio bona est. Et quia Christiani perfectiores sint oportet, inimicos quoque diligere debent.*

VIII. Patrum testimonia si allegare vellem, infinitus essem. Nonnulla transcribam ex Augustino, & Thoma. D. Augustinus Lib. de spir. & lit. cap. xxvii. & xxviii. ubi fuscè citatum Apostoli textum interpretatur, post primam interpretationem hanc alteram subiungit: *Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi iustificat gratia, sed in eorum potius quorum, etiam impiorum, nec verum Deum veraciter, iustequæcolentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus quæ secundum iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus: quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniantur quæ iustitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur. Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere. . . . Sicut non impediunt a vitæ æternæ iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vitæ non ducitur; sic ad salutem æternam non proficiunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vitæ cuiuslibet pessimi hominis invenitur. Docet itidem Deum mercedem Romanorum virtutibus contulisse Lib. V. de Civit. Dei cap. xv. Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam cum sanctis Angelis. . . . si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, idest virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitentur. De talibus enim qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Sic isti privatas res suas pro re communi, hoc est Republica, & pro eius arario contempserunt, avaritiæ restiterunt, consuluerunt patriæ consi-*

ho libero, neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii: his omnibus artibus, tamquam vera via, nisi sunt ad honores, imperium, gloriam: honorati sunt in omnibus fere gentibus: imperii sui leges imposuerunt multis gentibus: hodieque litteris, & historia gloriosi sunt pene in omnibus gentibus. Non est quod de summi, & veri Dei iustitia conquerantur: perceperunt mercedem suam. Adeo perspicua hæc sunt, ut nullo effugio eludi valeant. Mercede remuneravit Romanorum virtutes Deus. Aut ergo dicendum scelorum flagitiorumque remuneratorem Deum esse, quod blasphemiam redolet; aut Romanorum opera moraliter bona fuisse. Fuerint porro hæc opera vi gratiæ peracta, nec ne, infra videbimus. Nunc satis sit ostendisse, iuxta S. Augustinum, non omnia infidelium opera esse peccata.

IX. D. Thomas hanc veritatem pluribus in locis confirmat. Unum & alterum testimonium proferam. Hæc scribit. 2. 2. quæst. x. art. 4. *Sicut habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu quem non refert ad fidei finem; ita infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis. Idem ad Romanos cap. xiv. lect. 3. sub finem, explicans illud, Omne autem quod non est ex fide, peccatum est, hæc habet. Ex quo videtur quod, sicut dicitur in Glossa, omnis vita infidelium peccatum sit, sicut omnis vita fidelium est meritoria, in quantum ad Dei gloriam ordinatur, secundum illud I. Cor. x. Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sed dicendum est, quod aliter se habet fidelis ad bonum, & infidelis ad malum. Nam in homine qui habet fidem formatam, nihil est damnationis, ut supra dictum est; sed in homine infideli cum infidelitate est bonum nature: & ideo cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat. Non tamen opus eius est meritorium, quia non est gratia informatum: & hoc est quod in Glossa dicitur: Nihil bonum est sine summo bono; id est, nullum bonum meritorium est sine gratia Dei: & ubi deest agnitio vite æternæ, & incommutabilis veritatis, quæ scilicet est per fidem, falsa virtus est in optimis moribus, in quantum scilicet non refertur ad finem beatitudinis æternæ. Cum vero homo infidelis aliquid agit ex eo quod infidelis est, manifestum est quod peccat. Unde quod in Glossa dicitur: Omne opus quod non est ex fide, peccatum est: sic est intelligendum:*

omne quod est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est; etsi ex genere suo bonum esse videatur: puta, si paganus ad honorem suorum deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipso peccat. Infidelis ergo, si operatur ut infidelis, seu ex influxu infidelitatis, semper hac ratione peccat; si operatur ut homo ratione præditus, & iuxta dictatum rationis, non peccat. Perspicua hæc sunt, idcirco aliorum Patrum, & Conciliorum auctoritates prætereo, præsertim quod infra nonnulla adducturus sim.

§. III.

Sine gratia sanctificante potest homo aliquod opus morale ordinis non tantum naturalis, sed etiam supernaturalis, virtute gratiæ actualis perficere.

I. **N**egat conclusionem expositam Calvinus pluribus in locis, præcipue Lib. III. cap. xiv. num. 8. *Eant nunc hypocrite, & involutam corde pravitate retinentes, Deum operibus studeant demereri. Atqui magis hoc modo irritabunt. Execrabiles illi sunt impiorum victimæ. Sola rectorum oratio accepta est illi. Constitutum ergo extra dubium, quod vulgatissimum esse debet mediocriter in Scripturis exercitato, quæ vel summo splendore conspicua sunt opera in hominibus nondum vere sanctificatis, tam procul abesse a iustitia coram Domino, ut peccata censeantur.* Hoc idem prius docuerat Ioannes V. Vicleph, & Ioannes Hus, ut constat ex Concilio Constantiensi. sess. xv.

II. Sancto Dei verbo impudentia, & error Calvinistarum, Lutheranorumque confutatur. *Ezech. xvi. r. Deus ad agendam poenitentiam peccatores invitat: Convertimini, & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Si peccatores hanc Dei vocem auscultent, eique pareant, poenitentia opera exequentes, peccabunt ne forsitan? Non essent ergo ad poenitendum laboriosis operibus suadendi peccatores. Concilium Tridentinum hæreticorum impietatem proscriptit sess. vi. can. 7. Si quis dixerit, opera omnia quæ ante iustificationem fiunt, quæcumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.*

III. Opponit Calvinus. *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia: Prov. xv. Matth. vii. Non potest arbor mala bonus fructus facere. Resp. Victimæ*

impiorum Deo abominationi sunt, pravo fine oblata; secus si honesto religionis titulo litentur. Perversi Iudæi delirabant, reputantes solis externis ritibus divinam placari iustitiam, sibi que illius demereri clementiam eo ipso tempore quo intus iniquitatem machinabantur. Quare Hieremias cap. vii. ver. 4. illos redarguit, & increpat: *Nolite considerare in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini est. Sacrificia ergo quæ idcirco Deo impii offerunt ut impunitatem in flagitiis perpetrands sibi comparent, ut liberius, & impudentius suis sceleribus, & carnalibus desideriis vacare possint, odio habet iure ac merito Deus. Si vero hostiæ immolentur, & victimæ, ut legis præcepta custodiantur, ut officia religionis peragantur, & offerentes, alio quocumque sine perverso neglecto, non aliud nisi honestam illarum victimarum oblationem intendant; opus bonum exercent nulla prava circumstantia inquinatum. Ad illud Matthæi dicitur, quod arbor mala, quatenus mala, non potest nisi malos fructus edere; at quatenus bona, bonos parit. Sic peccator ut peccator opera flagitiosa, ut homo rationalis opera honesta producit.*

IV. Antequam ergo homo iustus fiat per gratiam sanctificantem, potest vi auxilii gratiæ actualis opera bona elicere non modo ordinis naturalis, verum etiam ordinis supernaturalis, quibus ad ipsum iustificationis opus sese disponat. Sic publicanus peccus suum percutiebat, & demisso animo Deum precabatur; ut sibi peccata dimitteret. Luc. xviii. vers. 13. *Percutiebat peccus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Cornelius Centurio vir erat religiosus, ac timens Deum, faciens eleemosynas multas, & deprecans Deum semper. Act. x. Dicant Calviniani, & Lutherani, Publicanus percutiens peccus suum, & peccatorum remissionem demisso animo implorans, scelus perpetrabat? Centurio eleemosynas elargiendo pauperibus quodnam crimen committebat? Non me fugit, Centurionem, quamquam aliqui negent, fidem implicitam habuisse ut testatur D. Th. 2. 2. quæst. x. art. 4. ad 3. De Cornelio sciendum est, quod infidelis non erat. . . Habebat autem fidem implicitam &c. Verum innumera alia suppetunt exempla: quare non est quod inimoremur in confirmanda veritate seipsa perspicua. Nam quod Deus possit conferre, & reapse conferat auxilia gratiæ actualis, quæ peccatorum corda emollit, duritiam frangit, & voluntatem erigit ad opera pia pro-*

ducenda, ad divinam sibi demerendam propitiationem, certum ex Scriptura sancta est. Quod porro eiusmodi opera vi istius gratiæ actualis elicitæ, & in Deum Auctorem supernaturalis directæ, bona sint bonitate non modo naturali, verum etiam supernaturali, manifestum itidem est. Nam, ut bona sint in ordine naturali, satis est quod obiectum honestum habeant, nulla circumstantia vitiarum; ut sint bona in ordine supernaturali, satis est quod proficiantur a principio supernaturali, & quod in super naturalem finem dirigantur: hoc autem habetur virtute gratiæ actualis.

§. IV.

Sine gratia actuali speciali potest homo in statu hoc nature lapsæ aliquod bonum opus morale ordinis naturalis peragere.

I. **Q**uestio hæc distincta est a duabus precedentibus. Hæretici, ut vidimus, nullum opus bonum fieri posse sine theologica fide, & gratia sanctificante, & caritate proprie dicta, contendunt. Quorum hæreticorum errores adoptarunt Baius, & Iansenius. Hæresim hanc detestantur Catholici omnes. Disputant isti super necessitate gratiæ ad quodlibet opus moraliter bonum. Alii nimis extenuant liberi arbitrii vires, negantes ullum opus moraliter bonum sine gratia fieri posse. Alii in oppositum declinant extremum, plus iusto liberi arbitrii vires extollentes. Omnia legis præcepta naturalia servari absque gratia posse contendunt. Antequam communem viam aperio, nonnullas propositiones a S. Pio V. proscriptas, & aliquas damnatas ab Alexandro VIII. transcribam fas est, ut plane lector videat quid declinare profus debeat.

II. Sequentes itaque propositiones, quas Michael Baius docuit, proscriptis S. Pius V. 22. *Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

25. *Infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

27. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.*

28. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.*

37. *Cum Pelagio sentit qui boni aliquid natura-*

turalis, hoc est quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creature rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.

43. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor nature; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatorificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimonis excogitata.

61. Illa Doctorum distinctio divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad preceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est, & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum: vel quia ex obiecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt); vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum caritatis, reiicenda est.

III. Ex his propositionibus simul acceptis, quæ fuerit Baii mens hoc de argumento, perspicue patet. Contendit enim omnia infidelium opera vera esse peccata proprie dicta, imputabilia scilicet ad poenam æternam; & non tantum latius accepta, quatenus opera sterilia sunt ad vitam æternam. Nullum ille agnoscit opus bonum quod non sit ex motivo caritatis theologice in rigoroso sensu acceptæ, quæ aut præcedat, aut comitetur actum bonum. Quare illi soli sine controversia dicendi sunt Baii, & Iansenii sectatores qui docent omnia opera nostra referenda esse in Deum ex motivo caritatis theologice, quæ vel est ipsa, vel secum habet gratiam sanctificantem. His autem absolute accensendi non sunt illi qui sustinent nullum opus moraliter bonum fieri posse vi solius auxilii generalis; sed auxilium gratiæ specialis requirunt, vi cuius opus referatur in Deum ultimum finem. Antequam vero plenius explicetur hæc Catholicorum opinio, nonnullæ propositiones ab Alexandro VIII. proscriptæ subiiciendæ sunt oculis.

IV. Alexander Papa VIII. has inter alias propositiones damnavit.

9. *Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.*

10. *Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut celestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

11. *Omne quod non est ex fide christiana supernaturali quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

13. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, christo non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

Hæc omnia præmittere opportunum existimavi, ut perspectum lectori sit quid vitare debeat. Prima ex his propositionibus magnopere perpendenda. Illa liquidem, expresse saltem, caritatis habitualis non meminit; nec aperte postulat directionem in Deum ex motivo caritatis theologice.

V. P. Gabriel Vasquez in 1.2. disp. cxc. viam singularem a nemine prius excogitam inivit, ut hanc controversiam, quam fufe versat, dirimeret. Sustinet nullum reapse opus bonum morale fieri posse absque auxilio gratiæ. Errores Baii, & Iansenii ut declinet, nec exposcit gratiam sanctificantem, nec fidem infusam, nec caritatem theologicam; immo nec caritatem communiter dictam. Sed duplex ille auxilii genus distinguit. Alterum prorsus supernaturale, quod ad exercenda virtutum infusarum officia necessarium est: alterum ordinis naturalis, quod virtute meritorum Christi confertur. Hanc gratiam intuitu Christi a Deo collatam necessariam esse contendit ille ad omne opus bonum morale ordinis naturalis, sine hac gratia, utpote donata ob Christi merita, nullum ipse agnoscit opus morale bonum. Quæ sane distinctio arbitraria, prorsus est, cuius nec leve vestigium in Patribus habetur. Ad objectionem quæ contra suam sententiam ex Bulla S. Pii V. adversus Baii propositiones fieri posset, respondet *in disp. cxc. cap. xviii.* Baii propositiones damnatas fuisse in præsentem materiam propter acrimoniam, & censuras nimium arrogantes, quibus tamquam lue Pelagiana inquinatas perstringebat aliorum Doctorum sententias; secus ob errorem, vel falsitatem quam continerent: additque hanc suam Pæpali Bullæ interpretationem se contulisse cum illusterrimo Domino Cardinali Toletio, cum adhuc Sacri Palatii Concionator, & Theologus esset anno 1586. quique Lovanium pro illa damnatione recipienda missus fuit: eamque probavit, & germanam esse dixit, propriaque manu subscripsit, cuius subscriptionis exemplar apud me adhuc est.

VI. Alii Auctores, ut Gregorius Ariminensis, Romanus, Conterfonjus, Norisius, Van-

Vankoi, Henricus a S. Ignatio, alique sustinent necessitatem gratiæ, & caritatis actualis communiter dictæ ad omne opus moraliter ex omnibus circumstantiis bonum: contendunt enim nullum opus moraliter bonum sterile esse, sed de congruo meritorium illud defendunt. Hanc sententiam immunem prorsus esse volunt a qualibet censura lata in propositiones Baii, Iansenii, & Quesnelli. Quoniam hanc caritatem generatim acceptam in peccatoribus reperiri, & in infidelibus ipsis docent; & idcirco non omnia opera aut infidelium, aut peccatorum esse peccata. Præterquamquod utuntur interpretatione P. Vasquez, qua explicat Bullam Pontificiam in Baii propositiones, quas non omnes ob errorem, sed ob censuram proscriptas vult. Ut ut de hoc sit, non tam facile indemnem servabunt a propositione ix. proscripta ab Alexandro VIII. *Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Ultimum propositionis membrum non requirit respectum ad Deum ex motivo caritatis proprie dictæ, sed aliquem dumtaxat respectum: *sine ullo ad Deum respectu.* Quare proscripta videtur necessitas cuiusque respectus ad Deum, ut aliquod opus non sit peccatum. Verum reponeat, propositionem hanc, ad hoc quod attinet, explicandam necessario esse: alioquin communis Catholicorum sententia læderetur. Quippe omnes admittimus necessariam esse aliquam in Deum relationem virtutalem, saltem obiectivam, qua opus honestum, dum prava agentis intentione non detorquetur in finem pravum, suapte natura in Deum fertur. Non ergo univèrsè proscribitur doctrina quæ aliquem in Deum respectum necessarium defendit, ut opus sit moraliter bonum. Explicanda ergo est propositio de respectu qui sit ex motivo caritatis proprie dictæ, quo in sensu damnata est; secus, si intelligatur de respectu vi alicuius auxilii actualis. Sic forsitan interpretaturi sunt laudatam propositionem. Recte, an secus, aliorum esto iudicium.

VII. Missis ergo aliorum opinionibus, thesis a nobis exposita probanda est, videlicet: *Homo in statu nature lapsæ potest solo generali auxilio adiutus suis viribus absque speciali gratia aliquod opus morale bonum prædicere.* Et primum omnium sensus genuinus conclusionis exponendus est. Sermo est de homine in statu nature lapsæ: liquidem de statu nature innocentis, & integræ nulla occurrit difficultas. In eo florentissimo statu non

solum aliquod, sed quolibet bonum ordinis naturalis operari homo poterat. Quoniam omne bonum istius ordinis proportionatum illi erat, nullumque obtabat impedimentum, quo minus virtus hominis in operationem prodiret. Nulla tunc appetituum rebellio, nulla pugna, conflictus nullus. Homo in statu nature lapsæ ob culpam originalem fauciatius undique est, vulnerumque plenus: contrafractæ illius vires, extenuatum arbitrium, obscuratum mentis lumen, turbata interna pax, omnia in tumultu, & lucta. Vivit tamen veluti infirmus; idcirco aliquod tantum, non omne opus morale bonum efficere suis viribus valet. Bono in lumine posito thesis nostræ statu, eadem nunc evincitur.

§. V.

Quæ sit hac de re D. Thomæ mens. Illius vera doctrina a vanis commentis asseritur.

VIII. Scripturæ sacre, & D. Augustini textus, qui thesim nostram perspicue confirmant, supra dedimus: idcirco, ne actum agamus, eosdem nunc præterimus; præsertim quod de Augustino infra sermo reddibit. Quoniam vero adversarii sacram veluti anchoram in doctrinæ Aquinatis præsidio se collocare iactitant, e re nostra est penicillate Doctoris nostri in quæstione gravissima mentem exponere. Præter textus quos dedimus supra §. i. num. 9. sequentes isthuc transcribimus. In II. dist. xli. quart. 1. art. 2. in corp. *Omnis actus, in quantum est actus, habet quandam essentialē bonitatem, secundum quod omne ens bonum est: sed in aliquibus actibus superadditur quodam bonitas ex proportionē actus ad debitum obiectum, & secundum hoc dicitur actus bonus ex genere; & ulterius ex debita commensuratione circumstantiarum dicitur bonus ex circumstantia; & sic deinceps, quousque perveniatur ad ultimam bonitatem, cuius humanus actus est susceptivus, quæ est ex ordine in finem ultimum per habitum gratiæ, & caritatis: & ideo actus illorum qui gratiam, & caritatem non habent, hoc modo bonus esse non potest; & hæc est bonitas secundum quam actus meritorius dicitur. Sed subtracto posteriori, nihilominus remanet prius, ut in Libro de causis dicitur. Unde quamvis ab infidelium actibus subtrahatur ista bonitas, secundum quam actus meritorius dicitur; remanet tamen bonitas alia vel virtutis politica, vel ex circumstantia, vel ex genere: & ideo non oportet quod omnis eorum actus sit*

malus, sed solum quod sit deficientis bonitatis. In responsione vero ad illud: Omnis vita infidelium peccatum est: hæc habet: Ad primum ergo dicendum . . . Non est intelligendum hoc modo quod omnis actus peccatum sit; sed quia semper cum peccato vivunt: quia infidelitas est tale peccatum, quo retento nullum aliorum dimittitur. Vel dicendum, quod intelligitur de illis actibus ad quos ex sua infidelitate impelluntur, ut est adorare idola. Clarius hoc idem explicat in responsione ad secundum. Dicendum, quod fides dirigit intentionem in finem ultimum; sed ratio naturalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem FINEM PROXIMUM. **ET QUIA ILLE FINIS PROXIMUS EST ORDINABILIS IN FINEM ULTIMUM (ETSI ACTUS NON ORDINETUR)** ideo in infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem dirigitur, possunt aliqui actus esse boni; sed deficientes a perfecta bonitate, secundum quam actus est meritorius: meritorius, inquam, vitæ æternæ, ut expresse declarat ad tertium. Sed tamen etiam actus alii, secundum quod sunt boni ex genere, vel ex circumstantia, Deo placent. Non tamen sunt remunerabiles æterno premio. In responsione ad quartum hæc subdit. Dicendum, quod non obligamur ad hoc quod quilibet actus dirigatur in finem illum in quem non potest nisi fides dirigere: quia præcepta affirmativa non obligant ad semper, quamvis semper obligent. Et ideo non oportet ut actus infidelium qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solum pro tempore illo in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre. Subiiciamus etiam responsionem ad quintum. Dicendum, quod infideles non semper ex infidelitatis errore finem sibi præstituumt, sed aliquando ex vero, & recto iudicio rationis: & ideo non oportet quod in quolibet actu peccent, sed tunc solum quando ex errore finem sibi præstituumt.

IX. Adeo decretoria sunt hæc D. Thomæ testimonia, ut otio abuterer, si confutanda fusciperem inania commenta quibus Henricus a S. Ignatio Tom. I. Lib. VIII. cap. XII. eadem in pravum sensum detorquere conatur. Ideo nonnullos alios textus ex Summa Angelica promam, ut, quam ubique sibi in hac sententia D. Thomas constet, evidentius palam fiat. Igitur 2. 2. quæst. x. art. 4. in terminis, ut dicitur, controversiam nostram proponit, quærens, *utrum omnis actio infidelium sit peccatum?* Et hanc conclusionem statuit: *Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem; non autem totaliter cor-*

rumpit bonum nature. Unde, cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent; remanet tamen eis aliquod bonum nature. Unde manifestum est quod infideles non possunt operari bona quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera ad quæ sufficit bonum nature, aliquantulum operari possunt: unde non oportet quod in omni suo actu peccent. Hoc idem confirmat 1. 2. quæst. cix. artic. 2. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono nature privetur, potest quidem etiam in statu nature corrupta per virtutem suæ nature aliquod bonum particulare agere.

X. Alia testimonia adducuntur, quæ directe pugnant cum principiis adversariorum, eorum saltem qui in hac controversia primas partes habent. Contendunt isti virtutes morales, temperantiam, fortitudinem, iustitiam ipsam esse caritatem, variis formis, seu modificationibus expressam. Hanc vero opinionem confutat Angelicus 1. 2. quæst. lxi. art. 2. in corp. *Habitus dirigitur secundum formalem differentiam obiectorum.* Obiectum autem theologiarum virtutum est ipse Deus, qui est ultimus rerum finis, prout nostra rationis cognitionem excedit. Obiectum autem virtutum intellectualium, & moralium est aliquid quod humana ratione comprehendendi potest. Unde virtutes theologice specie distinguuntur a moralibus, & intellectualibus. Testimonium Augustini, qui Lib. I. de mor. Eccl. cap. xv. videtur docere, præfatas virtutes ipsam esse caritatem quoadmodum affectu manifestatam, quoque testimonio utuntur adversarii, sibi opponit tertio loco, cui sic respondet. *Ad tertium dicendum, quod licet caritas sit amor, non tamen omnis amor est caritas.* Cum ergo dicitur, quod omnis virtus est ordo amoris, potest intelligi vel de amore communiter dicto, vel de amore caritatis. Si de amore communiter dicto, sic dicitur quilibet virtus esse ordo amoris, in quantum ad quamlibet cardinalium virtutum requiritur ordinata affectio. Omnis autem affectionis radix & principium est amor, ut supra dictum est. Si autem intelligatur de amore caritatis, non datur per hoc intelligi quod quilibet alia virtus essentialiter sit caritas, sed quod omnes alie virtutes aequaliter a caritate dependant, ut infra patebit.

XI. Ex hoc textu liquet quam inanis sit illa distinctio quam quidam ex adversariis, quos inter est Henricus a S. Ignatio Tom. I. Lib. IV. cap. XXI. & XXII. & Lib. VIII. cap. xxviii. excogitarunt, caritatis scilicet

com-

communiter dictæ, & caritatis perfectæ, ac proprie dictæ. Nam caritas theologica una est, ut omnes Theologi fatentur cum Angelico 2. 2. quæst. xxiii. art. 5. Unde relinquatur quod caritas est simpliciter una virtus, non distincta in plures species. Caritas hæc nunquam separata a gratia sanctificante, nec cum peccato mortali coniuncta reperitur, ut docet idem Angelicus 2. 2. quæst. xlv. art. 4. Caritas autem non potest esse cum peccato mortali. Quod prius dixerat quæst. xxiv. art. 12. ad 5. Caritas importat unionem quamdam ad Deum, non autem fides, neque spes. Omne autem peccatum mortale consistit in aversione a Deo, ut supra dictum est. Et ideo omne peccatum mortale contrariatur caritati. Non autem omne peccatum mortale contrariatur fidei, & el spei; sed quedam determinata peccata, per que habitus fidei, vel spei tollitur; sicut per omne peccatum mortale habitus caritatis tollitur. Unde patet quod caritas non possit remanere informis, cum sit ultima forma virtutum, ex hoc quod respicit Deum in ratione ultimi finis, ut dictum est. Distinguit ipse Angelicus caritatem hanc in incipientem, proficientem, & perfectam hic quæst. xxiv. art. 9. Quæ distinctio, ut optime advertit Franciscus Silvius hic, non est aut penes diversitatem graduum intentionis, aut secundum extensionem ad plura obiecta; sed distinctio ista sumitur comparate ad diversa munia, & officia, ut conceptis verbis docet Angelicus in corp. *Diversi gradus caritatis distinguuntur secundum diversa studia ad que homo perducitur per caritatis augmentum.* Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato, & resistendum concupiscentiis eius, quæ in contrarium caritatis movent; & hoc pertinet ad incipientes, in quibus caritas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat. . . . Tertium autem studium est ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhereat, & fruatur. Tantum ergo abest caritatem incipientem in peccatoribus reperiri, ut contra munus istius caritatis sit peccatis resistere, reliquias ex peccati macula relictas evellere, & concupiscentias coercere. Hæc caritas quæ ratione officii, & curæ incipiens appellatur, intensior, & ferventior interdum esse potest in iusto recenter converso quam sit caritas proficiens in altero iusto, ut indicavimus: eo quod distinctio hæc non a maiori, vel minori intentione, & fervore, sed ab officiorum diversitate reperitur. Do-

cuerat Angelicus articulo præcedenti quatuor reperiri in caritate perfectionis gradus, quorum primus proprius Dei est, secundus beatorum, tertius eorum qui statum peculiaris perfectionis amplectuntur: quartus, qui in hoc situs est ut homo nihil cogitet, vel velit quod divina dilectioni sit contrarium, est communis omnibus caritatem habentibus. Denique concludit Angelicus omnem caritatis partitionem sub data contineri divisione cit. artic. 9. ad 1. *Dicendum, quod omnis illa determinata distinctio que potest accipi in augmento caritatis, comprehenditur sub his tribus que dicta sunt (in corp.) sicut etiam omnis divisio continuorum comprehenditur sub tribus his principio, medio, & fine.* Si omnis caritatis gradus, status, perfectio sub uno ex tribus assignatis comprehenditur, si caritas sub nullo istorum trium statuum sedes cum peccato inire secundum Angelicum valet; consequitur commentitiam iuxta Aquinatem esse distinctionem illam caritatis communiter dictæ, & caritatis perfectæ, ut illa in peccatoribus, hæc in iustis reperitur. Amor utique, ut vidimus ex Angelico, aliusest amor caritatis, alius communiter dicitur; sed amor communiter dicitur non est amor caritatis: quia, inquit D. Thomas, *licet caritas sit amor, non tamen omnis amor est caritas.* Ex quibus omnibus colligendum videtur, distinctionem illam inventam fuisse ad fucum Pontificii Bullis inferendum. Nullum opus sine caritate, & gratia sanctificante bonum haberi posse, docuerat Baius. Damnata hac doctrina, excogitata est caritas quæ resistere in peccatore valeat. Caritas hæc iuxta hos Theologos diligit Deum propter se, & propter illius bonitatem. Caritas generaliter dicta (inquit Henricus a S. Ignatio Lib. VIII. cap. xxix.) *per quam omnia opera nostra in Deum referenda sunt, a Deo est per gratiam actualem.* Si omnia opera nostra in Deum dirigimus vi istius caritatis, ergo Deum amamus super omnia. Si amamus super omnia, caritatem theologiam habemus. Sed quid amplius immoramur in confutando commentitio invento? Notionem veram, & genuinam istius caritatis Dei propter se generatim dictæ, ut distincta a caritate theologica, hucusque desiderari passi sunt Theologi isti. Nemo tamen hinc inferat, me negare in catechumeno, vel in penitente ante iustificationem actus supernaturales dilectionis Dei. Quamquam enim dissidium sit penes Theologos, sint ne eiusmodi dilectionis divinæ actus in penitente effectus ipsius gratiæ sanctificantis, an auxilii actualis, quod mihi

mihī probabilis est; omnes tamen Orthodoxi fatentur, poenitentes vi gratiæ actualis a Deo infusæ se se disponere ad iustificacionem; & , ut inquit Tridentina Synodus sess. VI. cap. VI. *Deum tamquam iustitiæ fontem diligere incipiunt*. Quam dilectionem si caritatem latius acceptam appellare etiam vis, non valde repugnabo. Verum de hoc ex instituto in tractatu de Poenitentia. Interim hoc nihil suffragatur adversariis, qui caritatem quamdam excogitarunt quæ Deum, non modo tamquam iustitiæ fontem, sed propter suam bonitatem diligit, quamque in ipsis peccatoribus, & infidelibus collocant. Quod commentum inauditum Theologis est.

XII. Unum & alterum textum ex eodem Angelico profero 2. 2. quæst. XXIII. artic. 7. *Virtus ordinatur ad bonum, ut supra habitum est. Bonum autem principaliter est finis: nam ea quæ sunt ad finem, non dicuntur bona nisi in ordine ad finem. Sicut ergo duplex est finis, unus ultimus, & alius proximus; ita etiam est duplex bonum, unum quidem ultimum, & universale, & aliud proximum, & particulare. Ultimum quidem, & principale bonum hominis est Dei fructio . . . Bonum autem secundarium, & quasi particulare hominis potest esse duplex. Unum quidem quod est vere bonum, utpote ORDINABILE, quantum est in se, ad principale bonum, quod est ultimus finis. Aliud autem est bonum apparens, & non verum, quia abducit a finali bono. Sic ergo patet quod virtus vera simpliciter est illa quæ ordinatur ad principale bonum hominis . . . Et sic nulla virtus potest esse sine caritate. Sed si accipiatur virtus, secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest esse aliqua virtus sine caritate, in quantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed si illud particulare bonum non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam quæ est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis . . . Si vero illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid huiusmodi, erit quidem VERA VIRTUS, sed imperfecta, nisi referatur in finale, & perfectum bonum. Et secundum hoc simpliciter vera virtus sine caritate esse non potest.*

XIII. ut multa in pauca contraham, ad quædam principia revocabo quæ fusius ex Angelico transcripta sunt.

Primum. Liberum arbitrium quod in statu naturæ integræ potens erat quocumque bonum morale ordinis naturalis operari, peccato originali vulneratum infirmum evasit,

non tamen mortuum. Non ergo omne bonum morale, quia infirmum; sed aliquod, quia vivum, morale bonum edere poterit. Vivum quippe in genere moris, nedum in linea phylica, liberum hominis arbitrium remansit. In hoc ergo moris genere edere bonum quodpiam valet.

Secundum. Hoc bonum morale in actu ex officio honesto, & ob illius honestatem ab operante edito, situm est. Non requiritur ut actus iste re, vel virtute ab homine in Deum ultimum finem semper referatur; sed satis est quod finis proximus, in quem immediate actus tendit, sit (inquit Angelicus in textibus allatis) *ordinabilis in finem ultimum*.

Tertium. Præceptum caritatis iubet omnia nostra referre in Deum. Mandatum hoc affirmativum est; idcirco non obligat pro semper, ut iam supra ostendimus, & toties repetit Angelicus, sed definito tempore. Verum quidem est quod mandatum istud, utpote primum maximumque, frequenter obligat; atque adeo Angelicus tam frequenter illud mentibus ingerit, & inculcat, ut videatur docere nos ad perennem, continuamque omnium nostrorum actuum oblationem Deo litandam astringi; sed simul data occasione declarat obligationem hanc determinato tempore illigatam esse. Et quia adversarii hoc Angelici principio enormiter abutuntur, ut imperitis imponant; revocandum in memoriam est, iterumque oculis subiiciendum splendidissimum Aquinatis testimonium, quo obligatio omnia referendi in Deum asseritur, & non urgere pro semper declaratur 1. 2. quæst. c. art. 10. ubi querit, *utrum modus caritatis cadat sub præcepto divini legis? De maiore tria opponit. In argumento Sed contra universam adversariorum doctrinam sibi opponit. Quicumque non servat præceptum, peccat mortaliter. Si igitur modus caritatis cadat sub præcepto, sequitur quod quicumque operatur aliquid, & non ex caritate, peccet mortaliter. Sed quicumque non habet caritatem, operatur non ex caritate. Ergo sequitur quod quicumque non habet caritatem, peccet mortaliter in omni opere quod facit, quantumcumque sit de genere bonorum; quod est inconveniens. Videndum nunc, utrum Angelicus respondeat huic argumento, peccare saltem venialiter eum qui non operatur ex caritate aut proprie, aut generatim accepta. Respondeo dicendum, quod circa hoc fuerunt contrariæ opiniones. Quidam enim dixerunt absolute modum caritatis esse sub præcepto. Nec est impossibile observare hoc præceptum caritatem*

non

non habenti: quia potest se disponere ad hoc quod caritas ei infundatur a Deo. Nec quantumcumque aliquis non habens caritatem facit aliquid de genere bonorum. peccat mortaliter: quia est præceptum affirmativum, ut ex caritate operetur, & non obligat ad semper, sed pro tempore illo quo aliquis habet caritatem. Alii vero dixerunt, quod omnino modus caritatis non cadit sub præcepto. Hæ sunt duæ opinioniones quæ D. Thomæ tempore circumferebantur. Quid respondeat Angelicus, audeamus. Utrique autem quantum ad aliquid verum dixerunt. Actus enim caritatis dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est quidam actus per se; & hoc modo cadit sub præcepto legis quod de hoc specialiter datur, scilicet, Diliges Dominum Deum tuum, & Diliges proximum tuum, Deum tuum, & Diliges proximum tuum, & quantum ad hoc primi verum dixerunt. Non enim est impossibile hoc præceptum observare quod est de actu caritatis: quia homo potest se disponere ad caritatem habendam; & quando habuerit eam, potest ea uti. Alio modo potest considerari actus caritatis secundum quod est modus actuum aliarum virtutum, hoc est secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad caritatem, quæ est finis præcepti, ut dicitur I. ad Timoth. 1. Dicitur enim supra, quod intentio finis est quidam modus formalis actus ordinati in finem. Et hoc modo verum est quod secundi dixerunt, quod modus caritatis non cadit sub præcepto; hoc est dictum, quod in hoc præcepto, Honora patrem, non includitur quod honoretur pater ex caritate, sed solum quod honoretur pater. Unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur transgressor huius præcepti, etsi sit transgressor præcepti quod est de actu caritatis; propter quam transgressionem meretur poenam. Integram conclusionem transcribere volui, ne adversarii inclament, ea me omisisse, quæ illis favere videntur. Breviter singula expendamus. Relatis duabus opinionibus, quid utraque veri habeat exponit. Primo constituit, actum caritatis per se iuberi a præcepto amoris divini. Secundo, considerari posse actum hunc ut modum aliarum virtutum, quæ caritatem ut finem præcepti inspiciunt; & sub hac consideratione modus caritatis non cadit sub præcepto. Quare quis implere præceptum honorandi parentes potest, quin eos honoret ex caritate.

XIV. Verum clamantes opponunt adversarii ultimum S. Doctoris periodum tamquam iudicium decretorum pro illorum fen-

tentia. Unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur transgressor huius præcepti; etsi sit transgressor præcepti quod est de actu caritatis. Hunc textum a corpore doctrinæ illius articuli detruncatum transcribere illi solent, ut misceant quadrata rotundis. Sensus istius textus germanus est: qui honorat patrem absque caritatis motivo, implet præceptum colendi parentes, & violat præceptum caritatis, si tunc urgeat caritatis mandatum. Siquidem mandatum istud, adfirmans cum sit, non pro semper, sed pro aliquo definito tempore obligationem imponit. Et ne gratis hæc a nobis comminisci videantur, verba ipsius Angelici ex eodem articulo promamus. Argumentum quod secundo loco sibi opponit Angelicus, est ipsissima adversariorum doctrina: *ad modum caritatis proprie pertinet ut omnia fiant propter Deum. Sed istud cadit sub præcepto: dicit enim Apostolus I. ad Cor. x. Omnia in gloriam Dei facite. Ergo modus caritatis cadit sub præcepto. His paucis verbis summam perstringit Angelicus totius difficultatis objectæ a recentioribus transalpinis nonnullis. Audito responsum. Ad secundum dicendum, quod sub præcepto caritatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum. Et ideo præceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi huius præcepti quod est, Honora parentes; sed ex vi huius præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, NON TUNC TRANSGREDIATUR PRÆCEPTUM DE OMISSIONE MODI CARITATIS. Adeo præcisæ hæc sunt, & explicata; ut nullam patiantur interpretationem. Præceptum caritatis quo iubemur opera nostra omnia Deo offerre, adfirmans est: pro aliquo tempore obligat, pro aliquo non obligat. Quare implens præceptum honorandi parentes, interdum non peccat, quamquam referre honorem istum in Deum omittat, in quem indole sua referibilis est.*

VX. Si autem occurrat, quandam obligat, & quando non obligat præceptum referendi opera nostra in Deum; respondet Angelicus, eo tempore urgere præceptum re-

te-

ferendi omnia opera nostra in Deum quo urget præceptum amandi Deum. In II. dist. xl. quæst. 1. art. 5. ad 6. *Et si queratur quando oporteat actum referre in finem ultimum; hoc nihil aliud est quam querere, quando oporteat habitum caritatis exire in actum; quia quoadcumque habitus caritatis exit in actum, fit ordinatio hominis in finem ultimum.* Porro Angelicus iam in textu numero præcedenti relato definiuit, præceptum affirmativum amandi Deum *pro diversis temporibus obligare.* Hinc evanescit delirium illud quod somniavit Henricus a S. Ignatio cum nonnullis aliis Lovaniensibus, quod scilicet D. Thomæ Discipuli a vero abluant, quod non distinguant præceptum obligans sub mortali a præcepto obligante sub veniali. Præceptum amandi Deum, inquit laudati Lovanienses, obligat sub mortali; præceptum referendi in Dei gloriam opera nostra sub veniali: illud pro tempore determinato, hoc pro semper obligat. Distinctionem hanc, ut alias dixi, delirium voco in sola alterata imaginatione situm. D. Thomas conceptis verbis definit, præceptum caritatis illud esse quod nos ad offerenda opera nostra Deo toties obligat, quoties ad amorem Dei urget. Nullum divinum mandatum reperire licet quod suapte natura obliget sub veniali tantum, sed quodlibet gravem imponit obligationem, cuius transgressio venialis evadit ob rationes obvias alibi indicatas. Et, quod penitus adversariorum ora obstruit, est quod Angelicus in omnibus locis, qui plures sunt, in quibus apostolici præcepti, *Omnia in gloriam Dei facite*, meminit, semper inculcat illud affirmans esse, atque adeo pro semper non obligare. Nullibi, vel indirecte, obligationem sub veniali recordatur. Si semel tantum docuisset Angelicus præceptum Apostoli affirmans esse, potuissent laudati Scriptores miffitare, angelico calamo excidisse fortuito talem interpretationem; sed ubique occasione data eandem repetit. Nam præter loca citata, 1. 2. q. lxxviii. art. 2. hæc scribit. *Ad secundum dicendum, quod illud præceptum Apostoli est affirmativum: unde non obligat ad semper. Et sic non facit contra hoc præceptum quicumque non refert in gloriam Dei omnia quæ facit.* Similia habet in Disp. q. vii. de malo art. 2. ad 9. *Ad nonum dicendum, quod cum illud præceptum Apostoli sit affirmativum, non obligat ad hoc quod semper observetur in actu.*

XVI. Quartum Angelici principium. Relatio operum in Deum fieri debet aut actu

formali, aut actu virtuali. Habitualis non est satis ad præceptum implendum: quia inquit quæst. unic. de carit. art. 11. ad 2. *habitualmente referre in Deum non cadit sub præcepto.* Præcepta enim, ut toties alibi repetit, sunt de actibus, non de habitibus. Interdum Angelicus relationem habituales pro virtuali accipit, & aliquando pro hominis iusti habituali in Deum conversione. Quod ut clarius percipias, scias oportet D. Thomam in peccatore admittere utique actus indifferentes in ordine ad meritum, secus in homine gratia sanctificante ornato. *Non potest esse aliquis actus a deliberata voluntate procedens in habente gratiam, qui non sit meritorius; sed tamen in non habente gratiam potest esse aliquis actus deliberatus qui nec meritorius, ne demeritorius est; tamen est bonus, vel malus.* In II. dist. xl. art. 5. in corp. Porro, ut homo iustus caritatem fervet, non est necesse ut omnia opera sua referat semper actu, vel virtute in Deum: perpetratur enim peccata venialia, quæ in Deum referri nequeunt. At quia hæc peccata venialia non impediunt habituales iusti conversionem in Deum, ideo non violant præceptum caritatis: quia istud non semper urget. Si enim semper urgeret, peccatum veniale esset mortale, ut sibi D. Thomas obiicit 2. 2. q. xlv. art. 2. arg. 2. *Si ergo in præcepto cadit quod Deus ex toto corde diligitur, quicumque facit aliquid quod non pertinet ad Dei dilectionem, agit contra præceptum; & per consequens peccat mortaliter. Sed peccatum veniale non pertinet ad Dei dilectionem. Ergo peccatum veniale erit mortale; quod est inconveniens.* Istuc aures, mentemque intendant velim Lovanienses, qui comminiscuntur veniale peccatum in omissione omnia referendi in Deum, seu diligendi ex toto corde. Audiant quid reponat Doctor sanctus. *Ad secundum dicendum, quod dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo in actu, id est ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur; & ista est perfectio patriæ. Alio modo ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, id scilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat: & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale: quia non tollit habitum caritatis; cum non tendat in oppositum obiectum, sed solum impedit caritatis usum. Audin? Non solum D. Thomas non docet præceptum iubere ut omnia in Deum referamus sub pœna peccati venialis; sed basilice testatur, peccatum veniale*

le non esse contra præceptum caritatis. Cur? Quia non tendit in obiectum oppositum; sed solum impedit caritatis usum: & ideo peccatum veniale non est mortale, ut obieciatur. Non enim est contra, sed præter mandatum. Et hoc fatetur etiam ipse Henricus a S. Ignatio Tom. I. Lib. VIII. cap. x. Commentitium ergo inventum est distractio illa duplicis præcepti, alterius sub mortali; alterius sub veniali obligantis.

XVII. Quintum Angelici principium. Præceptum hoc diligendi Deum affirmativum est, sed includit præceptum negativum, quod prohibet referre actus nostros in obiectum oppositum bono divino, vel odio habere ipsam bonitatem divinam. Quia ratione semper peccatum est dirigere actus nostros in finem pravum, ambitionis, vanæ gloriæ, superbiæ, & id genus similia. Ex quo patet quam sit fallax adversariorum ratiocinium, quo ex hoc præcepto negativo, nihil videlicet agendi contra præceptum affirmativum, inferre nituntur, mandatum Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite*, imponere pro semper obligationem relationis saltem virtualis omnium nostrarum actionum in Deum. Angelicus e contrario ex præcepto negante infert prohibitionem quidquam referendi in finem contrarium bono divino, aut odio habendi bonum divinum, ut dictum est, & infra iterum dicemus. Et hæc in defensionem angelicæ doctrinæ dixisse sit satis: nimis prolixitati lector parcat: quæ, si nimia fuit, non mihi, sed adversariorum vitilitationibus vitio vertenda est.

§. VI.

Rationum momentis evincitur, hominem in statu nature lapsæ viribus pollere quibus sine speciali gratia valeat bonum aliquod morale ordinis naturalis efficere.

I. Concilium Tridentinum sess. vi. cap. 1. can. 5. definit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit &c. anathema sit.* Quæ doctrina universa Patrum traditione consecrata semper fuit. Augustinus, & Thomas hanc rationem ubique, cum fert occasio, ingerunt. Quo posito, necessario consequitur aliquod opus morale bonum produci ab homine posse. Mortuum quippe illius arbitrium esset, nisi aliquo actu viveret. In statu nature integræ omne opus morale ordinis naturalis efficere valuisset. Si hoc idem arbitrium vivit, aliquem actum

illius ordinis pariat opus est: alioquin deleta illius imago esset, vitæque omnino extincta. Vivit, inquit Vasquez, arbitrium hominis ob indifferentiam ad bonum, & ad malum, quam retinet. Quæ responsio nullo negotio eliditur. Infirmas quam homo ex culpa contraxit, sita nequaquam est in læsione folius indifferentiæ ad bonum, & ad malum, sed in virium diminutione. Virtus ad bonum exilis, & infirma evasit, inquit Tridentinum loc. cit. *Tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum.* Porro virtus isthæc, tametsi attenuata & debilis, aliquem tamen actum suæ nature consentaneum producat oportet, ne extincta, & mortua dicatur.

II. Respondet P. Vincentius Contensonius Lib. VIII. dissert. 11. cap. 1. ex nostra ratione consequi hominem his viribus posse totam legem implere, quod Pelagianorum hæresim redolet. Quare subdit, humanam naturam viribus instructam esse quibus ædificare domos, plantare vineas, & tandem opera quedam ex officio honesta edere valeat. At, quia opera isthæc in Deum ultimant finem directam non sunt, bona mixta malo sunt. Præcepto quippe urgemur omnia opera nostra in Deum attollere. Quæ sane responsio ex his quæ diximus supra, occidit in nihilum. Demonstratum enim est, præceptum quo iubentur Deo opera nostra omnia offerre, affirmativum esse, quod itato tempore obligationem imponit: idque perspicue docet D. Thomas. ideo ratio nostra integra consistit, & innumeris Scripturarum exemplis confirmari potest. Numquid Assuerus Rex peccavit, quod iustum Mardocheum extulit, Amari scelere severa pœna multato? Peccavit ne Nabuchodonosor, quod periurum Sedeciam improbavit? Numquid loco criminis habenda iuit Ninivitarum poenitentia, qua divinam iustitiam placarunt, Deique misericordiam sibi conciliarunt? Quid sententiæ dicemus in barbaros illos Melytenses, qui tam misericordii hospitalitate Paulum, sociosque naufragio subductos exceperunt? Quid criminis perpetrarunt Reges, cum templum Hierosolymitanum instaurari curarunt? Nonne isti omnes laude digni in scripturis sanctis memorantur? Quid reponis? Gratia istos peculiari a Deo donatos fuisse? At unde id colligis? Sine peculiari adiutorio hæc fieri posse nos & auctoritate, & ratione demonstravimus.

III. Alia ratio repeti ex absurdis contrariæ sententiæ potest. Si infideles, peccato-

relque in omni opere morali ex officio honesto delinquerent, quod in veri Dei gloriam illud non referrent, admonendi essent ut a similibus abstinerent operibus, positione facta quod infideles veram amplecti religionem nollent. Hortandi essent ne nudum operirent, ne periclitanti suppetias ferrent, ne parentes colerent, ne fratrum discordias sopirent. Ne multa: infideles in omni opere peccarent, quoties lex naturalis servanda occurreret: quod tamen damnatum ab Ecclesia est. Neque anathemata declinare valent, dicentes, non omnia opera infidelium esse peccata, eo quod opera ex officio bona peccata non sunt, neque ex privatione relationis in Deum inficiuntur; sed inficitur operans omittens referre opus in Deum. Hoc enim effugio nullatenus damnationem doctrinae evadunt: quoniam non solum proscripita est hæc propositio: *Omnia opera infidelium sunt peccata*; sed etiam hæc altera: *Neesse est infidelem in omni opere peccare*. Quid? Peccatum omissionis fortasse non erit peccatum? Quid plura? Adversarii sustinent non omnibus infidelibus, immo nec peccatoribus, præsertim obcæcatis, & induratis, auxilia, & gratias sufficientes conferri. Neesse est ergo istos saltem in omni opere peccare. Ergo ut absurda hæc, quæ sane horrida sunt, vitent, fateantur oportet peccatores, & infideles aliqua opera bona honesta propriis viribus, solo generali auxilio adiutis parere posse.

§. VII.

Scripturarum auctoritates quæ obiici solent, explicantur.

I. Opponunt 1. illud Apostoli ad Titum I. vers. 15. *Omnia munda mundis; coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum; sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia*. Omissis pluribus responsis, illud solum exhibeo quod S. Thomas hic in commentariis reponit lect. iv. *Dicendum, quod malum numquam corrumpit totum bonum. Impossibile enim est quin in peccatore quolibet sit aliquod bonum, scilicet nature, etiam in demonibus. Quando ergo peccator facit aliquod bonum secundum quod est peccator, & infidelis, totum est peccatum ex radice; sed si quid facit ex principio alicuius boni quod habet, vel fidei informis, vel NATURAE, non est immundum: & ideo signanter dicit: Coinquinatis, & infidelibus, id est in quantum sunt huiusmodi. Comedebant enim contra conscien-*

tiam, & errabant in fide. Et ideo quod de natura sua est mundum, fecerunt sibi immundum: cuius causa est, quia causa actuum eorum est immunda, scilicet voluntas, & intellectus, quæ sunt in eis depravata. Hæc est constans & perpetua D. Thomæ doctrina, tum in commentariis in Paulinas Epistolas, tum in aliis operibus, videlicet opera infidelium peccata esse, etiam bona opera, quando ex ipsa infidelitate proficiuntur; quando infideles, & peccatores agunt ut tales, referendo opera sua in finem pravam: munda contra illorum opera, quando agunt ex principio alicuius boni, vel fidei vel nature. Duo confutat Angelicus hoc suo responsio, & hæreticorum errorem, contententium omnia infidelium opera esse peccata; & quorundam Catholicorum opinionem, vi cuius volunt opera aliqua infidelium bona esse vi gratia actualis. Angelicus vero hic & alibi docet bona esse ex principio nature.

II. Obiiciunt 2. Apostolus Paulus Hebr. xi. vers. 6. inquit: *Sine fide impossibile est placere Deo*; item Rom. xiv. *Quod non est ex fide, peccatum est*. Resp. D. Thomas in commentariis super hunc textum ad Romanos ambobus textibus respondet his verbis: *Opus omne quod non est ex fide, peccatum est: sic est intelligendum: Omne quod est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est, etsi ex genere suo bonum esse videatur; puta si paganus ad honorem suorum deorum virginitatem servet, vel eleemosynam det, hoc ipsi peccat*. Prius tamen præmittit, eiusmodi infideles non peccare, si hæc opera faciant ex dictamine rationis. *Cum aliquis infidelis ex dictamine rationis (non dicit ex gratia) aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat*. Nota: non dicit tantum, quod bonum opus non sit peccatum; sed dicit, quod infidelis non peccat, ut excludat peccatum omissionis relationis in Deum. En quam ubique sibi conser Angelicus. Quod si nomine fidei solam theologiam fidem accipere velis; tunc itidem dicendum, omne id quod est contra fidem theologiam, peccatum esse. Tandem sine fide impossibile est placere Deo, comparate, seu in ordine ad vitam æternam, verum est; in ordine naturali si peccator, vel infidelis quidquam boni operatur, opus recte factum Deo placet; secus persona infecta peccato aut infidelitatis, aut alterius generis. Apostolus ad Hebræos sermonem habet de fide supernaturali in ordine ad vitam æternam.

III.

III. Obiiciunt 3. Idem Apostolus Paulus I. Cor. xvi. vers. 14. *Omnia vestra in caritate fiant: item cap. x. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite: & ad Coloss. III. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine IESU Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*. His textibus ex dictis responsio patet. Quamquam enim doctissimus Bellarminus Lib. V. de grat. & lib. arb. cap. x. videatur negare, verba Apostoli præcepti vim habere; nos tamen cum Augustino, & Thoma, & communiore Theologorum sententia sustinemus, in recensitis Apostoli verbis verum contineri præceptum; quod affirmans cum sit, non pro semper, sed dato urger tempore. Quatenus vero hoc præceptum aliud negativum includit, vetat ne quidquam quod gloriæ Dei obsit, agamus: quod pro omni obligat tempore.

IV. Opponunt 4. illud Ioannis. xv. *Sine me nihil potestis facere*; item illud Pauli I. ad Corinth. iv. *Quid habes quod non accepisti?* & tandem illud II. Corinth. III. *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*. Resp. His, & similibus testimoniis obvia, facilisque responsio est. Aut enim ibi sermo est de operibus ordinis supernaturalis; & sic nullum istius generis bonum opus sine peculiari gratia edere valemus: vel sermo est de operibus ordinis naturalis; & nec huius ordinis opera facere valemus sine aut auxilio generali, aut auxilio speciali. Aliquod bonum facile cum solo auxilio generali producere possumus; ad opera autem ardua, & plura peragenda, etiam istius ordinis, necessarium est auxilium speciale.

§. VIII.

Testimonia quæ ex D. Augustino, vel ex ratione obiiciuntur, in vero sensu exposta.

I. IN Augustini auctoritate totius victorie spem collocant adversarii. Illum quippe non modo sibi favere, sed perspicue, verbitque conceptis suam ipsorum sententiam docere contendunt, præsertim Lib. I. de nuptiis & concupisc. cap. III. & IV. & Lib. IV. cont. Iulianum cap. III. ubi ex professo controversiam discutit de virtutibus infidelium adversus Pelagianos. Ut id quod sentio libere fatear, illorum haud subscribo iudicio, qui nullum facessere negotium Augustini hoc de argumento testimonia intrepide alle-

runt. Quin aio, non facile ea solvi, nisi magna perspicuitate, quæ fuerit Iuliani Pelagiani de operibus infidelium mens, expendatur. Quo siquidem doctrina Iuliani tendit, eo suam collineat Augustinus responsonem. Misso igitur Libro de nuptiis, & concupisc. cuius argumentum iterum ex instituto versat adversus Iulianum Lib. IV. cap. III. præcipua quæ ex hoc Libro opponi solent, enucleabimus.

II. Hæc ergo sunt potissima testimonia quæ ex præfato Lib. IV. cap. III. opponuntur. *Noveris itaque non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem est quod faciendum est; finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur. Sed quod magis urgens, est principium illud, cui suam fidem sententiam, scilicet opera nostra omnia in Deum referenda esse. Porro hoc debitum Augustinus efficaciter, atque perspicue inculcat ibidem. Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibusdam commodis, vel emolumentis temporalibus serviunt, vere profus esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsa vere sunt: veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, a quo donantur hominibus; Deo serviunt in Angelis, a quo donantur & Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi ex officio videatur bonum, ipso non recto sine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti. Sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei, facit, non bene bonum facit: quia non bonus facit quod non bona voluntate facit. Absit enim ut sic vel dicatur voluntas bona quæ in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur. Clare ergo Augustinus docet, infideles peccare, eo ipso quod opera ex officio bona, & laudabilia in Dei gloriam non referunt. Plurima in hunc finem tum ex Scripturis sanctis, tum ex ratione petita congerit, quæ, ut prolixitatis vitium declinem, prætereo.*

III. Ut mentem, doctrinamque Augustini secure, pullis ambagibus, tenere valeas, Iuliani hæretici Pelagiani sententiam penitus introspectas oportet. Quod ut assequaris,

notionem hæresis Semipelagianæ, cuius fundamenta Iulianus posuit, primum omnium præ oculis habere debes. Inter cetera autem Semipelagiani docebant, liberum arbitrium suis viribus ad fidem, & gratiam comparandam se se disponere. Hinc Iulianus docebat, virtutes infidelium veras esse, & perfectas, quibus ex iustitia fides, & gratia debebantur. Insuper contendebat Iulianus, has infidelium virtutes, ex officio utique bonas, tales esse, & remanere, quamquam in pravum finem ab infidelibus inflecterentur. Recitanda ipsius Iuliani verba. Unde (inquit Augustinus loc. cit.) ne tibi videar calumniari, ipsa tua verba iam posam. *Cum tarum, inquis, origo virtutum in rationali animo sita est, & affectus omnes, per quos aut fructuose, aut steriliter boni sumus, in subiecto sunt mentis nostre, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis cum insti omnibus naturaliter, inquis, non tamen ad unum finem in omnibus properat; sed pro iudicio voluntatis, cuius nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cum sit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt, sed in eo solo variant quod merentur. Nec nominis sui, inquit, possunt, nec generis sustinere dispendium; sed solius quod appetiverunt præmii aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* Implexa aliquantulum hæc Iuliani doctrina apparet, sed Augustini verbis elucidanda est. Duo docebat Iulianus. Primum, virtutes infidelium veras esse virtutes, tamen in finem pravum detortas. Alterum, mercedem æternam mereri, si in finem rectum dirigantur; secus, si in finem pravum. Hæc omnia colliguntur ex Augustini responso. *Hæc ubi didiceris, nescio. Ergo virtutes istæ tali sine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germane, veræque virtutes; tibi tamen ita veræ videntur, & pulchræ, ut nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmii exilitate frustrantur; id est, terrenorum commodorum fructu, non celestium præmiorum.*

IV. Hæc erat Iuliani sententia, cui respondet Augustinus. *Quis hæc sapiat nisi decipiat? ... Noveris itaque non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officiis est autem quod faciendum est; finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens, fines*

ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo tanta absurditas sequitur, ut veram appellare cogaris iustitiam etiam cuius dominam noveris avaritiam. Nullus ergo remanet dubitandi locus veras appellasse virtutes Iulianus in finem pravum directas, quas virtutes turpes, atque deformes Augustinus merito vocat.

V. Hinc colligitur, Augustinum tum in hoc Libro, tum in alio de nuptiis, & concupisc. eas improbare virtutes quæ, tamen ex officio bonæ, iniqua tamen voluntate in turpem finem detorquentur. Ithuc in his Libris spectat illius doctrina. Quapropter sæpe repetit quod quamquam succurrere periclitanti, nudum operire, bonum ex officio sit; quia tamen supponit id quod Iulianus fatebatur, eiusmodi opera suapte natura honesta ad finem perversum, nempe ad vanam ostentationem, propriamque gloriam, aut idolorum cultum dirigit, idcirco eadem execratur ut vitia.

VI. Iulianus Augustini rationibus ad incitras redactus, pugnantia simul docebat, & semetipsum antilogis conficiebat. Infidelium virtutes quas, ut diximus, veras, & perfectas propugnabat, disponere ad fidem, & gratiam asserbat, simulque steriles comparate ad vitam æternam pronuntiabat. Hæc duo directe opposita Iulianum docuisse ex Augustino patet. *Tibi virtutes sine fide sic placent ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines; & tuisus, quasi te poniturit laudis eorum, steriles pronuntiare non dubites.* Idque prius impropèraverat eidem Iuliano Augustinus, tanquam Pelagianæ hæreseos potissimum fundamentum. *Quis porro eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagianis, aut ex ipsis etiam forte tu solus, iustum dixerit infidelium, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum? Veram ergo iustitiam, veram perfectamque castitatem in turpius agnoscebat Iulianus. Has autem veras, perfectasque virtutes steriles esse ex una parte asserbat; ex altera vero eisdem fidem mereri, & gratiam effutiebatur. Utinamque autem impugnat acriter Augustinus. Et ad primum quod attinet, sic eum retellit. *Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittatur iustus, cum & ipsum eius regnum iniustus sit.* Hinc est quod Augustinus toties repetit, nullam veram reperiri virtutem sterilitate bonam; alioquin Deus iniustus foret, qui veræ, & perfectæ iustitiæ mercedem non penderet. Alterum vero confutat ipsius Christi*

sti morte, quam pertulit, ut nobis fidem, & gloriam compararet. Porro reponit Augustinus: *Christus gratis mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad iustitiam veram, ad sapientiam veram, quacumque re alia, quacumque ratione alia perveniunt.*

VII. His argumentis pressus Iulianus frigidum, & calidum eodem efflabat tempore, verborum ambagibus quæstionem implicabat, ut ei exprobrat Augustinus, inquit: *Quid responsurus es? Quid, nisi vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines qui non propter Deum faciendo bonum quod faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam. Iustus ergo Deus, & bonus, bonos est in mortem missurus æternam? Piget iam dicere quam multa te sequuntur insana talia sentientem, talia dicentem, talia scribentem, in talibus me, qui similiter non desipiam, velut censorie reprehendentem. Sed breviter accipe, ne forte cum in rebus ipsis tantum erres, quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis: aut intellige quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam est &c. . . . aut certe, quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere, scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducere.*

VIII. Paucis rem expediam. Isti erant Iuliani errores. I. In infidelibus veram iustitiam; veram castitatem collocabat, quibus iusti, & casti fiebant. II. Eiusmodi virtutes steriles ad vitam æternam volebat. III. His operibus fidem promereri contendebat. IV. Opus tum ex officio, tum ex fine bonum, nullatenus sterile esse ad vitam asserbat æternam.

IX. S. Augustinus e contrario. I. Virtutes ex officio bonas, & sine perverso vitiofas peccata cum omnibus Catholicis esse docet. II. Hæc duo pugnare invicem ostendit, nempe esse veras virtutes, unaque steriles ad vitam æternam: quoniam si in impio vera iustitia est, iustum illum efficit. Iustum ergo damnabit Deus? III. Alia via Iulianum impetebat. Sine fide impossibile est placere Deo, sine fide quidem quæ per dilectionem operatur. Et quia Iulianus reponebat, verum utique esse obtineri haud posse æternum regnum sine fide; at subdebat hanc fidem bonis operibus comparari. Ergo, reponit Augustinus, opera infidelium sterilia non sunt, si fidem merentur. His argumentis impetitus Iulianus in utrumque se se vertebat latus, & minime sibi constans, secum ipse pugnavat.

X. Universa ergo Augustini in his adversus Iulianum, Pelagianosque doctrina huc spectat, nullas scilicet in infidelibus veras, perfectasque virtutes reperiri. Quia eiusmodi virtutes simpliciter tales a fide quæ per dilectionem operatur, pendent. Propterea nulla est vere, & simpliciter virtus quæ sterilis sit respectu vitæ æternæ. In toto vero hoc prolixo capite, quod plenis buccis opponunt adversarii, nec verbum habet Augustinus de operibus ex officio, & sine honestis. Sed ubique suum insequitur adversarium Iulianum, atque iuxta illius sensum loquitur, eumque in contrarias partes abire cogit nunc negando quod concesserat, nunc concedendo quod negaverat. Nam aliquando virtutes infidelium ad vitam æternam steriles non esse defendebat. Et tum Augustinus illum aggrediebatur Apostoli textibus. *Sine fide impossibile est placere Deo &c.* Et Iulianus hoc pressus argumento fatebatur has virtutes steriles esse, veras tamen virtutes esse, easque ad fidem, & gratiam viam sternere. Et Augustinus reponebat, fieri haud posse veras, & simul steriles esse illas virtutes.

XI. Quando ergo adversarii opponunt, D. Augustinum docere, virtutes infidelium esse peccata: quia quod sine fide est, peccatum est; quod in Dei gloriam non refertur, peccatum est; quod infidelis arbor mala est; quod nullum opus bonum sterile est: hæc omnia; & id genus similia verissima sunt, quoniam ad mentem Iuliani tum disputabat Augustinus. Iulianus autem, ut vidimus, virtutes istas veras, & perfectas, & fidei fecundas asserbat. In sensu ergo Iuliani nullum opus bonum sterile admittit Augustinus: quod verissimum est. In sensu vero Catholicorum aliqua bona opera sterilia expresse defendit Augustinus *Lib. de spir. & lit. cap. xxvii. & xxviii.* cuius verba dedimus supra.

XII. Aures nobis vellunt adversarii inclamantes Augustinum ubique repetere, opera infidelium, etsi videantur bona, vera tamen esse peccata. Nos tamen eodem responso hæc, & similia repellimus: videlicet esse peccata, quia perverso fine fiunt. Eo quippe in sensu Augustinus dicit esse peccata in quo Iulianus contendebat esse virtutes; virtutes autem esse docebat Iulianus, tamen sine pravo infectas, ut probavimus: peccata quo-

que dici virtutes infidelium in sensu latius accepto, quatenus scilicet inutiles sunt ad regnum æternum.

XIII. Postremum, quando Augustinus dicit: *Sterilium fructus arborum non sunt laudandi . . . si fructus boni sunt, profecto steriles arbores non sunt*: fructus sterilium arborum in sensu Iuliani non sunt laudandi, quia vitia sunt propter finem pravum. Si fructus boni sunt absolute, & perfecte; revera arbores steriles non sunt. Tandem ad illud: *An, si gentilis nudum operuerit, quia non est ex fide, peccatum est? Profus, in quantum non est ex fide, peccatum est*: hic etiam in sensu Iuliani, contententis eleemosynam in idoli cultum directam bonam esse, loquitur Augustinus. Quod ut clarius teneas, scias velim, locutiones, & phrasas Doctorum non semper absolute, sed ex statu questionis quam versant, interpretandas esse. Iam alibi Augustinus docuit, aliqua bona opera sine fide reperiri. Nunc cum Iuliano hæretico dimicans absolute pronuntiat ad eiusdem Iuliani mentem, nudum operire, quia non est ex fide, peccatum esse: *non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum sit; sed de tali opere non in Domino gloriarı, solum impius negat esse peccatum*. Non ergo peccatum est nudum operire absolute spectatum, & quatenus est sine fide negative, sed quatenus fit vel ob inanem gloriam, vel ob motivum infidelitatis veræ fidei oppositæ.

XIV. Labet hæc omnia lumine angelicæ doctrinæ perfundere. Hos siquidem Libros Augustini nemo exactius discussit, meliusque genuinum sensum assecutus est quam Angelicus. Porro hæc Augustini testimonia expendit 2. 2. quæst. xxiii. art. 7. in corp. & ad 1. hæc habet. *Dicendum, quod actus alicuius caritate carentis potest esse duplex. Unus quidem secundum hoc quod caritate caret, ut pote cum facit aliquid in ordine ad id per quod caritate caret: & talis actus semper est malus; sicut Augustinus dicit in Lib. V. contra Iulianum, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum; etiam si nudum operiat, vel quilibet huiusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus caritate carentis, non secundum quod caritate caret, sed secundum quod habet aliud donum Dei, vel fidem, vel spem, vel etiam naturæ bonum, quod non tantum per peccatum tollitur, ut supra dictum est: & secundum hoc sine caritate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus: quia deest debita ordi-*

natio ad ultimum finem. Quoniam vero hæc ultima verba alicui minus perito faceffere negotium possunt, opportuna, & aptissima Cælestani declaratio subiicienda est. Cave (inquit in comm. hic) ne fallaris ex eo quod dicitur, scilicet sine caritate deest debita ordinatio ad finem ultimum. Si namque debita ordinatio deest, actus non solum est imperfectus, sed malus. Privatio siquidem boni debiti malum constituit. Cave, inquam: quoniam non est sermo de ordinatione debita actui, ut sit bonus moraliter; sed ad hoc quod sit bonus simpliciter, id est ad vitam æternam. Et propterea huiusmodi privatio non constituit actum malum moraliter, sed non bonum simpliciter; & pro tempore quo obligat præceptum caritatis, constituit etiam malum. . . Sed hoc est extra propositum, ubi absolute, & non pro tali tempore questio est.

XV. Paucis ergo universam Augustini hæc de re doctrinam D. Thomas complectitur. Infidelis agens ex influxu infidelitatis, aut dirigens opera sua in finem malum, semper peccat. Si vero agit vi luminis naturalis ob finem honestum, bonum opus operatur, non simpliciter, & in omni genere, quia deest caritas; sed in ordine morali. Neque opponas, Augustinum ex Iuliano hanc responsum referre: *An respondebis (inquit Augustinus Iuliano) non in quantum infidelis est, sed in quantum homo est, arbor bona est? Quoniam Augustinus negat infidelem hominem in sensu ipsius Iuliani, arborem bonam esse. Ideo reponit: Non itaque, in quantum homo est, quod est opus Dei; sed in quantum malo voluntatis est quisque arbor mala est, & bonos fructus facere potest. Porro bonos fructus appellat Augustinus qui ad vitam æternam viam parant, quippe per donum gratiæ Christi producuntur. Scito, nos illud bonum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri; per quod solum homo potest ad æternum Dei regnum, regnumque perducı. Quamquam ergo alibi, & hoc eodem capite absolute, & sine limitatione pronuntiet nullum in infidelibus opus reperiri bonum, relate ad hunc textum; alioque similes, in quibus perspicue suam doctrinam explicat, interpretandus est.*

XVI. Opponi solent aliorum Patrum auctoritates. Concilii Arausiaci can. xxii. *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum. Item D. Prospero carm. de ingr. cap. xvi. Omne etenim probitatis opus, nisi semine veritatis Exortitur fidei, peccatum est, inque reatum*

Veritatis, & sterilis curat sibi gloria partem.

Sed his, & similibus textibus, in quibus Pelagianorum, & Semipelagianorum errores proferuntur, obvia est responsio. Nemo utique de suo habet nisi mendacium, & peccatum: iniquitatis enim prima causa defectibilis voluntas creata est, solumque peccatum illius est; cetera omnia a Dei auxilio, vel generali, si opus sit facile, & ordinis naturalis; vel speciali, si opus ordinis superioris sit. Doctrina Prospero eadem est ac Augustini, eoque sensu intelligenda.

XVII. Opponunt argumenta a ratione petita. I. Omnis actio in finem quempiam ultimum dirigi debet. Porro solus Deus est finis ultimus hominis. Ergo qualibet actio in Deum non directa, mala est, utpote aberrans a prima regula sibi debita. II. Voluntas humana culpæ originalis vulnere læsa amittit æquilibrium illud ad bonum, & ad malum; & ab hoc indifferentiæ statu demota, vehementi propensione in bona delectabilia fertur, & concupiscentiæ gravissimo pondere in vitium rapitur. III. Preces nos Deo continenter fundere iubent Scripturæ sacræ, & Patres, ut ad singulos nostros actus auxilia imploremus.

XVIII. Ex iis quæ superius dicta sunt, responsio ad hæc tria obiecta patet. Ad I. iam dictum est, omnem actionem dirigendam esse in finem aliquem proximum, quem intermedium vocant, quique referri valeat in finem ultimum. Deus utique est verus finis ultimus hominis, in quem vi præcepti omnes actus suos dirigere debet: at cum mandatum adfirmans sit, non obligat pro semper. Finis ultimus peccatoris, & infidelis est bonum proprium, quod per se nec malitiam, nec bonitatem prodit. Si actus ex obiecto honesto bonus est, tunc in bonum proprium, & implicate in ipsum Deum ordinatur, seu natura sua tendit. Ad II. Verum habet, liberum arbitrium in malum potius quam in bonum ferri ob vulnera sibi ex peccato infligta. Quid hinc consequitur? Non aliud, nisi frequentius malum suis relictum viribus perpetrare, quam virtutis opera producere. Consequitur opera ardua, & difficilia haud posse, nisi gratia adjuvetur, operari. Minime vero quod aliquod opus honestum facile, & naturæ satis consentaneum, ut nudum operire, periclitanti succurrere, idque genus similia producere nequeat. Ad III. dicitur, sermonem esse in Scripturis, & Patribus de oratione christiana fide divina prælucente, quæ oratio a Deo de-

na caelestia petit. De hac oratione loquuntur Patres, ut adversus Pelagium gratiæ necessitatem evincant. Accedit quod dum fideles pro singulis actibus auxilium Dei deprecantur, eorum vota non intra ordinis naturalis confinia sistunt; sed sursum tendunt, & ad Dei gloriam supernaturalem omnia sua extollere gestiunt.

XIX. Plura alia levioris momenti obijciunt Vasquez, & Contensonius, quæ quia facillime ex iis quæ dixi, solvi possunt, prætereo. Hi duo Auctores excusatione digni sunt, si Bullam S. Pii V. adversus Baium in sensu, minus in præsens recepto, interpretati sunt. Bona siquidem fide talem illos interpretationem prodidisse, & temporum conditio, & illorum, quæ se a Baii erroribus recedere restantur, doctrina suadent. Quippe Vasquez necessitatem auxilii naturalis, Christi tamen meritorum intuitu concessi, adstruit. Contensonius necessitatem auxilii supernaturalis defendit; nullatenus tamen poscit necessitatem caritatis, nec proprie dictæ, seu theologicæ, quam Baius exigebat; nec genericæ acceptæ, quam Lovanienfes nonnulli propugnant. Si posteriores Pontificum Bullas viderent, cautius fortasse locuti fuissent. Temporum tamen conditioni, & Theologorum qui præ ceteris Scholasticis in Patrum læctione versati sunt, merito deferendum non parum est; nihil tamen adversus veritatem, sed a veritate eos non valde recedere interpretari possumus, & pro viribus debemus.

CAPUT XIV.

Confectaria, quæ dulces caritatis exercitium suadent: & regula pro praxi.

I. *Confectarium primum*. Latius quam a rei moralis tractatoribus solet, de caritate in Deum disputatum. Utinam animo ferventiori. Prolixior utique caritatis sermo, caritatis affectum indicare solet, at non semper id verum habet: aliunde etiam id proficisci potest. Id viris Dei certe evenit. Quippe ea libenter animo volumus, & lingua prodimus, quæ amamus, inquit D. Laurentius Justinianus tract. de carit. cap. 1. *Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. Ardet ne caritas Dei in corde Christianorum quibus sermo de Deo aut displicet, aut tædium, fastidiumque parit; quibus caelestium colloquium cruci est; delicia vero, & beatitas, terrena inquirere, carnalia oblectamenta festari, vividis coloribus muni-*

di lenocinia depingere, serfus demulcere, appetitiones saturare; luxum, fastum, pompas recogitare, deperire, convivium instruere, & modo augendis, modo prodigendis divitiis vacare, & in iis omnibus quæ mundi sunt, fixum animum, ceu vile mancipium detinere? Illi ne caritate fervent, caritatis Dei diligendi ex toto corde implent mandatum? Illis inesse mundi cupiditatem, non Dei caritatem, docet Augustinus Lib. IX. de Genes. ad litt. cap. xv. *Hi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus; alter communis societati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter subditus, alter amicus Deo Fecerunt itaque civitates duas* (subdit Lib. XIV. de Civit. Dei cap. xxviii.) *amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; celestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* Sermo Augustini est de duobus amorum statibus. Amor caritatis civis efficit Ierusalem; amor iniquitatis civis constituit Babyloniam. Pugnant amores isti invicem, & alter alterum pellit. Minime tamen favet Augustini doctrina propositioni xxxviii. Baii, vel vii. proscriptæ ab Alexandro VIII., vel xlv. Quesnelli damnata a Clemente XI. Quippe duos istos amores inter, caritatis scilicet habitualis, & pravitatis, alium reperiri amorem supra probavimus, spei scilicet, & benevolentiae, quo Deum diligere incipimus.

II. *Consecrarium secundum.* Duplicem distinximus caritatem: alteram efficientem, efficientem alteram. Caritas efficiens est (ut pie, docteque scribit P. Jacobus Alvarez de Paz sapiens Iesuita Tom. I. Lib. III. p. 1. cap. ix.) quæ iusti animam amoris igne inflamat, quæ Deo bona sua desiderat, de qua illius perfectionibus gaudet, lætatur, exultat; quæ anhelat ut omnes Dei gloriam prædicent, omnes illius laudes concinant, omnesque illius suavissimo legis iugo falcet, & cervicem submittant. Ideo efficiens appellatur, quia animæ inhæret, intra animæ finem se continet, eam ornat, & secum ipsa gaudet, iubilat, ac interiori affectu sponsum suum complectitur, deliciis exquisitissimis affluit, ac in mutuis sponsi amplexibus suavissime conquiescit. Caritas ut efficiens, illa ipsa caritatis virtus est, quæ foras prodit, & in opera erumpit, interiores dulcedines extra effundit super ardua evangelicæ

legis mandata, suavia efficiendo. Animam urget ad servanda præcepta, ad custodiendam legem universam, ad consilia ipsa executioni mandanda, ad obstacula, & impedimenta quæ legis observantiam remanentur, auferenda, divinamque voluntatem implendam, ad dura, aspera, & amarissima ob Dei gloriam toleranda. Caritatis efficientis vox est: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita sitivit anima mea ad te, Deus. Concupiscit, & deficit anima mea &c.* Caritatis vero efficientis opus est: *Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ Propter verba labiorum tuorum custodivi vias duras.* Illa in oratione, hæc in operatione; illa in sponsi amplexibus, & suavissimis colloquiis, hæc in sponsi mandatis exequendis; illa in desideriorum æstu fervet; hæc in operum sanctitate splendet; illa sibi, hæc in alios se effundit; illa amorem proficitur, hæc amorem ostendit; illa occulta, hæc manifesta, quia operum ornamento redimita incedit.

III. Habes utriusque caritatis perfecta munia, & officia. Si quæris, quænam excellentior, quænam præstantior sit; dubio procul caritas efficiens alteram antecellit, sui dignitate, quia utraque eadem est, certe perfectione. Nec enim aliquis idcirco perfectior, & sanctior est, quia in oratione teneriores affectus sentit, quia sensibiliore fervore exæstuat, quia corculum saltitare, & quodammodo in dulcedinem liquefcere experitur, quia in Deum suavius rapitur; sed ille perfectior, ille sanctior qui fidelior est in mandatorum custodia, qui maiorem fortitudinem, firmioremque constantiam in calamitatum, & tribulationum tolerantia prædit, qui accuratior, ac vigilantior est in quibuslibet, vel minimis, sui status implendis obligationibus; qui denique in omnibus se se divine accommodat voluntati. Quid tibi prodesset meditationibus tuis, interioribusque cum Deo colloquiis, affectibus abundare; consolationem tenerrimam experiri, lacrymas fundere; si oblata occasione, veluti de loco motus, ad quodlibet verbum minus gratum commovereris; si ad quamlibet difficultatis superandæ occasionem animo caderes; si denique salutis tuæ minus consuleres? Heu! quot sunt qui in meditando divinis perfectionibus radios diffundere sanctitatis videntur, qui suspiria ignita emittunt, qui in suaves affectus colliquefcunt! verum, oratione peracta, humanæ societati insisti sunt, ira excandescunt, ava-

ritia aguntur, commoda appetunt, divitiis augendis indefesse insistant. Isti ne genuina Dei caritate ardere dicendi sunt? Minime gentium. Temperamenti femine debilitas facillime in lacrymas, in dulcia colloquia, in calida suspiria resolvitur. Amor proprius, ceu sagax & versutus præstigiator, caritatis simulacrum effingere, caritatis imaginem præferre, caritatis affectus, munia & officia simulare in manu habet. Opera ergo, mandatorum custodia, adversitatum tolerantia, commodorum temporalium, divitiarum, & totius mundi contemptus, lydius lapis sunt, ad quem amoris divini aurum exigendum est, ut genuinum a falso fecernatur. Itaque si illusiones amoris proprii, si stratagemata, & præstigia declinare aves; ad hanc respice regulam, quam voce Ioannis cap. xiv. Deus ipse tibi exhibet. *Si diligitis me, mandata mea servate . . . Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Hanc regulam frequentissime inculcat. Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus . . . Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in eius dilectione.*

IV. *Consecrarium tertium.* Amandum Deum esse agnoscio, inquis, sed quomodo diligendus sit, ignoro. Verius fortasse dixisses, verbis exprimere modum quo Deum diligis, te nescire. Ceterum fieri nequit ut Deum agnoscas, illumque toto corde amandum esse ignores. Amor motus est quo voluntas in bonum cognitum, seu apprehensum rapitur, aut illud sibi desiderando, aut de eodem gaudento, aut in eodem sibi complacendo. Si amas Deum, quia te creavit, redemit, conservat, alit, protegit; amor appellatur concupiscentiæ. Si contra, illum amore prosequeris, quia bonus, quia dignus est ut omnes illius amore ardeant, ut illi bonum velint, laudes eius pangant, ipsique colant; amor est amicitiae. Et quia amor concupiscentiæ imperfectior est; nostræque naturæ intimior, ab eodem orfaducenda sunt. Ne ergo in posterum artem amandi Deum incognitam tibi obtrudere audeas, illius regulas tibi ego exponam.

V. *Consecrarium quartum.* Cedo: quid est quod te ad hominis amorem concitat? Beneficia, reponis, quæ mihi contuit, illius in me prior effusus amor, liberalitas, munificentia, utriusque, qua iungimur, simili-

rudo, eiusdem candor, ingenuitas, æquitas, venustas, comitas, innumereque aliæ prærogativæ. Oculos ergo aperi: quoniam, ut inquit Augustinus Lib. X. Confess. cap. vi. *calum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te (Deum) amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Pergit vero exponere momenta quæ hunc amorem excitant Lib. I. de mor. Eccl. cap. xviii. *Obsecro, vigilate paululum: videte testamenti utriusque concordiam, qui sit in moribus vita modus, & quo sint referenda omnia . . . Amorem Dei concitant Evangelia, cum dicitur Matth. vii. Petite, querite, pulsate, Concitat Paulus dicendo (Ephes. iii.) *Ut in caritate radicati, & fundati possitis comprehendere. Concitat etiam Propheta, cum dicit, facile sapientiam ab iis qui eam diligunt, querunt, concupiscunt, vigilant, cogitant, curant, posse cognosci . . . Ad ipsum autem amoris ignem nutriendum (subdit epist. lv.) & standum quodammodo, quo tanquam pondera sursum, & introsum referantur ad requiem, ista omnia pertinent quæ nobis figurate insinuantur. Plus enim movent, & accendunt amorem, quam si nuda sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Lux itaque mentis, meditatio scilicet beneficiorum, cordis affectum excitat. Primum ergo quæ tibi pervia sunt dispice. Deum menti tuæ sistito. Si pulchritudinem amas, ecce quia pulcher est; si bonitatem, ipse bonitas est; si iustitiam, iustus est; si sinceritatem, sincerus est; si liberalitatem, clementiam, benignitatem, mansuetudinem, aliæque quæ amorem concitant; omnia in Deo tanquam in suo principio resident. Qua ergo facilitate sentis, qui hominum vident prærogativas, affectus pellicunt, eadem meditatio divinarum beneficiorum in Dei amorem rapit.**

VI. *Consecrarium quintum.* Post meditationem istius universi, in tui commodum atque solamen a Deo ex nihilo conditi, sursum mentem attollito, lumenque fidei accende. Caritatem enim fides præcedat fas est. Lumen fidei est quod amoris divini ignem accendit. Quo vividior est fidei lux, eo ardentior est amoris flamma. Hæc ergo fidei lux in mente tua primum splendeat. Dei maiestatem, Personarumque unitatem, illius veracitatem falli, vel fallere nesciam, Verbi divini incarnationem, universam Scripturam sanctam, Ecclesiam catholicam sancti Spiritus organum, cuius ope manifesta nobis sit divina veritas, firmiter crede; ac ineffabilem

lium mysteriorum altitudinem, & infinitam hereditatem meditare. Fidei exercitio spes videndi arcaea, quæ tenebrarum caligine obducta fides proponit, & assequendi coronam quam promittit, succedat. Animum erige in Dei misericordiam, a qua peccatorum remissionem, eorumque perpetuam detestationem impetrare ne desistas. Recognita Deum tuum spei Deum esse. Ille vitam tuam in spe potissimum constituit. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me, tu es Domine spes mea, tu fortitudo mea, tu refugium meum. In te spero, in te confido. Magna sunt crimina mea; sed maior est clementia tua. Quo profundior est abyssus iniquitatis meæ, eo altior est abyssus misericordiae tuæ. Abyssus abyssum invocat. Quotidianum sit harum virtutum exercitium.

VII. *Confectarium sextum.* Mens fidei lumine illustrata, animus spei robore erectus, amoris ignis flammam comprimere vix possunt. Alas quippe aquilæ animus sperans assumit, & in sinum bonitatis divinæ convolat. Colloquia suavissima, dulces affectus, quibus anima sponsum suum complectitur, exprimere ego minime valeo: idcirco Augustini verbis utar Lib. XIII. Confess. cap. ix. *Amer illuc attollit nos, & spiritus tuus bonus exaltat humilitatem nostram de portis mortis. In bona voluntate pax nobis est. Corpus pondere suo nititur ad locum suum. Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapis. Pondus meum amor meus. Eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur. Inardescimus, & imus.* Item cap. vi. *O lumen veridicum, tibi admoveo cor meum, ne me vana doceat. Discite tenebras eius, & dic mihi. Obsecro te per matrem caritatem, obsecro te, dic mihi, quæ causa fuerat ut post nominatum calum, & terram invisibilem, & incompositam. . . tum denique Scriptura tua nominaret spiritum tuum?* Cap. vii. *Quia caritas tua diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, & de spiritualibus docentem, & demonstrantem supereminentem viam caritatis, & flectentem genua pro nobis ad te, ut cognoscamus super eminentem scientiam caritatis Christi.* Item serm. cccxxxiv. *Tu esto hereditas mea. Amo te: totus amo te: toto corde, tota anima, tota mente amo te. Quid erit mihi, quidquid dederis mihi præter te? Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso*

satiari. Item in Psalm. lxxxv. Laudetur voluntate, ametur caritate. Gratuitum sit quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas Deum. Erubesceres, si te uxor tua propter divitias amaret; & forte, si tibi paupertas accederet, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a coniuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? Et in Psalm. lxxxii. Quid ergo? Nullum premium Dei? Nullum præter ipsum. Premium Dei, ipse Deus est.

VIII. *Confectarium septimum.* Regula amoris caritatis, modusque adhibendus. Fecerunt qui, ut purissimam istius amoris flammam accederent, docuerunt amandum esse Deum, pulsa quacumque spe illum possidendi. Dei possidendi spes mercenarius efficere amorem Dei contendebant. Quare ut amorem hunc purum redderent, ab omni consequenda coronæ desiderio vacuum volebant. Hæc sunt istius puri amoris formula: *Amo te, Deus meus, non quia creasti, aut redemisti me; non quia æternam mihi promiseris, & daturus sis gloriam, tuique possessionem; sed quia bonus es, dignusque amore, te diligo. Amarem te, etiamsi æternum a celis excluderes me, æternaque felicitate privares. Amo te propter infinitam bonitatem tuam.* Fatemur amorem caritatis Deum ut summum bonum in se spectare, atque sub hac consideratione in eundem Deum ferri; sed negamus, locoque erroris habemus, caritatem excludere amorem Dei ut est summum bonum nostrum. Quare Innocentius XII. anno 1699. plures hoc de argumento propositiones Archiepiscopi Cameracensis damnavit, quarum duas isthuc transcribo. 1. *Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse: neque timor penarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem: non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando iuvendam.* 2. *In statu vite contemplativo, seu unitivo, amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.* En quomodo a vero abluat humana mens, quoties Scripturarum, Patrumque documentis relictis, sui indulget cogitatis. Ideam, notionemque, quam divini amoris nobis Scripturæ, Patresque exhibent, hæc est: *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Psalm.

XVII.

XVII. *Ego ero merces tua magna nimis. Tu es Deus meus. Deus hereditas mea.* Deus homines propter se creavit, propter se redemit. Homines sine Deo nihil sunt. Sui destructionem appetent homines, quoties a Deo se separari vellent. Ille impurus, & mercenarius amor est qui aliud præter Deum postulat. Purus vero, perfectusque amor est qui Deum vult, quia bonus est. Deum non qui Deum vult, quia ipse se mercedem, ipse bis volumus, quia ipse se mercedem, ipse coronam nostram constituit. Ille nos filios suos constituit; si filios, & heredes; si heredes, & possessores. Amo ergo te, Pater meus, quia amabilis, quia bonus es. Amo meum, quia amabilis, quia bonus es. Amo te, ut assequar te, ut quiescam in sinu tuo, ut possideam te hereditatem meam. Audi Augustinum serm. xxxii. *Breviter ergo, fratres, si volumus bene vivere, plus amemus quod promittit Deus quam quod promittit mundus; & plus timeamus quod minatur Deus quam quod minatur mundus. . . Itaque fratres herete caritate promissis Dei, & non vos superabunt cupiditates seculi.* Serm. ix. *Propter amorem seculi huius laborant homines in omnibus negotiis. Tu autem in omnibus bonis operibus tuis labora, non propter amorem seculi huius, sed propter sempiternam requiem quam promittit Deus.* In Psalm. lxxxix. *Itaque, fratres mei, ad omne recte factum amor, & timor ducit. Ut facias bene, amas, & times Deum. Ut autem facias male, amas mundum, & times mundum. Hæc duo convertantur in bonum. Amabas terram, ama vitam æternam; timebas mortem, time gehennam. . . Ac per hoc sicut omnia iusta opera bono timore, & bono amore fiunt; sic malo amore, & malo timore omnia peccata committuntur.* Tract. III. in Epist. I. Ioan. *Memento ergo, fratres mei, quia vitam æternam nobis promissit Christus. . . Promissionem vite æternæ desiderate.* Hi duo respectus, seu relationes, altera amandi Deum ut bonum summum in se, altera amandi Deum ut est summum bonum nostrum, distinctæ utique sunt, & anima caritatis igne succensa modo sub una, modo sub altera consideratione Deum diligit; sed una alteram non excludit, nec sibi contrariæ sunt. Begardorum error fuit, satis esse amare Deum in semetipso, amorisque imperfecti esse aliarum virtutum actus exercere. Quem errorem proseripit Viennense Concilium. In his duabus relationibus amandi Deum in se, & ut est bonum nostrum, ordo servandus est, ut secunda primæ sublit. Nec est quod opponas, nos proprium bonum plusquam Deum diligere, si Deum

ut proprium bonum diligimus. Quoniam respondet S. Thomas 2. 2. quæst. xxvi. art. 3. ad 1. *Bonum quidem totius diligit pars, secundum quod est sibi conveniens; non autem ita quod bonum totius ad se referat, sed potius ita quod seipsum referat in bonum totius. Ut alias dictum, dicendumque sapius est, voluntas non amat bonum, nisi ut sibi conveniens, sicut docet S. Thomas in III. dist. xxxi. quæst. ii. art. 3. At non hinc sequitur ut plus seipsum quam Deum amet quoniam & se, & omnia in Deum refert. Si plura, & scitu digna scire aves, consule Tractatum amoris divini editum a P. Antonino Massoulie, qui hanc controversiam perdocte exhaurit.*

IX. *Confectarium octavum.* Ministri Dei, animarumque Pastores, si gregem suum a vitiis mundum, si animas sibi concreditas in virtutis via continere, aut a peccatis revocare velint, in his theologicis virtutibus eas exercere curent. Praxim quotidianam fidei, spei, & caritatis fideles suos doceant. Inter opera laboriosa quæ illis post auditam peccatorum sacramentalem confessionem imponere solent, collocent etiam harum virtutum pensum Deo tribuendum. Potissimum qui negligentes fuerunt in implendo maximo mandato, saluberrima illis erit poenitentia, si eos ad eliciendos actus fidei, spei, & caritatis, bis, terque in dies singulos altrinxeris, duarum, vel trium hebdomadarum intervallo, plus minusve, prout poenitentium varia conditio tulerit. Ab hoc amoris exercitio nemo se excusare, sicuti a ieiuniis, ab eleemosyna, a cilicio, valet, ut inquit Augustinus. Simul atque flamma hæc celestis in corde ardet, dulcis, suavisque universæ legis observantia evadit, ut alias dictum, & dicendum sapius est. *Non est durum, nec grave (inquit Augustinus serm. xlvi.) quod ille imperat qui adiuvat ut fiat quod imperat. Nam & illud verum est quod dixit: Iugum meum lenem, & onus meum leve est. Quidquid enim durum in præceptis, ut sit leve caritas facit. Novimus quanta ipse amor faciat. Plerumque etiam ipse amor reprobis, atque lascivis est. Quanta homines dura perpessi sunt. . . ut pervenirent ad id quod amaverunt?* Serm. cccxliii. *Ferto sarcinam tuam: quia levis est, si diligis; gravis est, si odisti. Non enim frustra Dominus ait: Iugum meum lenem est, sarcina mea levis est. Levis amanti, gravis neganti.*

X. *Confectarium nonum.* Habes, christiane Lector, explicationem primi, maximique divini

vini mandati amandi Deum. Duo in hac Differentiatione extrema declinare curavi. Alterum eorum qui eo habenas laxarunt, ut ab amoris divini officio homines abducerent, illudentis, atque exitialis benignitatis furo. Alterum eorum qui alio pretextu amplificandae caritatis, tam severe illius necessitatem pro quolibet actu praedicarunt, ut inter peccata virtutes ipsas caritate destitutas collocaverint. Et quia nihil mihi infestius est quam iniustus rigor, quam imprudens severitas, idcirco latius errorem hunc confutavi. Nolim tamen hinc ansam arripias divini amoris artem negligendi. Praecepti onus, quoad potui, delinivi, frequentiam tamen amoris inculcavi. Amoris mandatum durum est peccatoribus dimittat, qui corde carent. Nam vita cordis amor est. Amor caelestis, & divinus in corde carnali ardere nequit. Cor autem peccantium carnale est, quod deorsum vergit; quod carnis illecebras concupiscit, voluptates amat, mundique oblectamentis totum occupatur. Iusti vero qui lampadem caelestis ignis accensam tenent, oleoque plenam, continenter amore fervent. Quid igitur severitatem comminiteris, si dixerimus a viris iustis frequenter repetendos actus esse caritatis, ut virtutem roborent, fecundamque efficiant, ut amoris carnalis reliquias

penitus aboleant, ut mandatum impleant, ut opera sua omnia in Deum ultimum finem dirigant? Adfirmans mandatum esse dixi, ut non semper peccare impios, dum opera honesta edunt, ostenderem; minime vero, ut segnitiam, ignaviamque tuam foverem. Quamdiu iustus fueris, facile mandatum implebis, si frequenti actu repetitione habitum caritatis intensiorem effeceris. Si ignavus, si torpidus, si frigidus amator fueris; pedetentim amoris flamma remittetur, atque ad extinctionem properabit, & peccator evades. Iustus ergo, ne in peccata labatur gravia, continenter caritatis officia peragat. Cito peccator resipiscat, ut iustus, ut amicus Dei fiat. Caritas animae gratia sanctificante ornata vera cum Deo amicitia est. Vera amicitia in amorem mutuum, in affectus, & suavia colloquia erumpat necesse est: comprimere intus nequit amantis cordis ignem. Quare scite dixit D. Laurentius Iustinianus tract. de carit. cap. ix. *Dei amator mercator est optimus: dat quod non potest retinere, ut recipiat quod non potest amittere.* In nobis ergo caritas regnet: quam si habuerimus, divites erimus; quam si careamus, nihil, Apostolo teste, sumus. Regnet in nobis caritas, dum peregrinamur a patria, ut in patria aeternum ardeat.

DISSERTATIO V.

DE CARITATE PROXIMI.

CAPUT I.

Recensentur propositiones damnatae contra caritatem proximi.

I. **Q**UAM male nonnulli receptiores senserint de caritate in Deum, ostensum superiore disputatione est. Nunc laxiores quas de caritate erga proximum opiniones vulgaverunt, promendae nobis sunt, ut in ipso disputationis limine aberrandi periculo lectorem abducamus. Consuetudine ergo methodo inherentes, proscripserunt primis, deinceps nonnullas laxiores Casuistarum opiniones dabimus. Propositiones ab Innocentio XI. proscripserunt in hac materia sunt sequentes, quas iuxta ordinem Decreti Pontificii numeratas transcribam.

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

11. *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

12. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illum inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

13. *Licetum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia minimum ei obventura est pinguis hereditas.*

14. *Licetum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

CAPUT II.

Recensentur propositiones laxiores adversus caritatem proximi, quas nonnulli Auctores docuerunt.

I. **M**ARCUS VIDAL in Arca de praeecepto caritatis inquis. 1. pag. 25. num. 56. *& sequent.* Licet DD. communiter asserant, iniuria affectum tenendi particularia dilectionis signa inimico exhibere, tum ob evitandum scandalum, tum etiam quando ex tali signo exhibendo speraretur probabiliter salus spiritualis inimici: quia si fratrem errantem corripere debemus, si spes adest illius emendationis, ut illum Domino lucremur; ergo, ut inimicum Deo, & nobis reconciliemus, iure cogimur ad eum v. g. salutandum, si quidem spes probabilis adest lucrandi illum salutatione nostra:

57. *Nihilominus ego ipse neutrum admitto, neque concedo.* Primo quoad scandalum grave, quod his temporibus fere nunquam intervenit, cum quasi apud omnes in praxi habeatur non salutare inimicum, neque cum illo loqui: alias vix conscientis.

58. Quo vero ad secundum dico: Sicut ego ipse... non teneor sub mortali providere salutem spirituum proximi, citra extremam eius necessitatem, cum meo gravi damno temporali... ita neque etiam teneor cedere honori meo, & famae, quae sunt bona superioris ordinis quam sunt temporalia sub mortali, ut proximi spirituali vitae provideam extra necessitatem extremam... Sed si quis teneretur exhibere inimico signa dilectionis specialia, quando his signis speratur eius salus spiritualis, etiam teneretur cedere honori suo, & famae citra extremam necessitatem.

Auctor iste duo imponit christianae religionis cultoribus. Alterum quod effutit, quasi in omnibus obtinere morem denegandi salutationem inimicis: alterum quod fiat honoris, & famae iactura, dum his officiis inimicos amplectimur, ut illorum aeternam salutem lucremur. Quis Ethnicorum tam impudenter desipit? Vide cap. 5. num. 13. huius dissert.

II. Tamburinus Lib. V. in Dec. cap. 1. §. 3. num. 29. An filius possit mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim esset osium execrandum) sed ut ipse filius paterna hereditate fruatur? An mater possit desiderare mor-

tem filiae, ne illam alere, vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere sui Praelati, ut praelature ipse succedat, vel ut ab eo Praelato sibi infenso liberetur? . . . Si solum desideres, vel cum gaudio excipias eiusmodi effectus, hereditatem, molestiae carentiam, praelaturam... licite haec optas, vel amplecteris: quia non gaudes de alterius malo, sed de proprio bono. . . Si desideres sub conditione, facilis est responsio, licite posse. Denique si absoluto desiderio, desideres in hunc modum: Cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu ut causam boni mei, nimirum quia ex illius morte ego eius hereditatem adibo; vel sic: Utinam moriatur mea filia, nam sic sexcentas sollicitudines excutiam &c. Si, inquam sic desideras, maior est resolvendi difficultas: quia tunc eligis valde male illis, quamvis ut causa tui commodi; quod non videtur culpa vacare, & ita quidem putat Bonacina... Nihilominus Castropalaus docet contrariam opinionem satis probabilem.

III. Ferdinandus de Castropalao tract. 6. disp. 4. punct. 1. num. 11. Nihilominus credo, si cum debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum inde secutum. Sic docere videtur Emanuel Sa verb. Caritas num. 8. ubi absolute docet te posse proximo optare malum corporale ad salutem animae, & mortem ob Reipublicae bonum, & hosti tibi alioquin valde nocivo mortem, non odio, sed ad vitandum damnum tuum, item de morte eius gaudere ob bonum inde secutum. Azor. I. Part. Lib. III. cap. 12. quest. 11. & Bonacina disp. 3. quest. 4. punct. ul. num. 7. affirmant licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas iuxta suum desiderium nuptui tradere: & idem esse dicunt, si ob illarum causam male tractaretur a marito, posset illarum mortem optare, ut ab illo damno liberaretur.

IV. Ioan. Sanchez disp. 11. selec. num. 9. Hinc inferitur, licere sibi, vel proximo optare mortem ob vitandam molestiam infirmitatem, mendicitatem, vitam penalem a marito feminae inflictam, & alia huius

generis, dummodo desideretur mors ut a Deo infligenda, non ab homine iniuste, vel a dæmone. Non enim digna est salus tanto dolore; & mors prolongata dicitur vita miseris repleta.

V. Marcus Vidal in *Arca de caritatis precepto*, inquis. 1. num. 85. „Advertendum tamen, hoc præceptum adimpleri per hoc quod nullum malum ut malum proximo inferatur: & ideo non est præceptum obligans ad habendum actum internum de dilectione erga proximum, cum per se non pateat proximo sicut Deo.

VI. Idem Marcus Vidal *ibi* num. 88. „Colligitur secundo viventes simul in aliquo collegio, vel in aliqua religione posse absque labe culpæ mortalis denegare simul signa particularia amoris, nempe salutationem, allocutionem, & his similia.

VII. Idem Marcus Vidal *ibi* num. 87. „Colligitur primo læsum non teneri sustinere iniuriam, & illam remittere, quando id necessarium videtur ad reprimentam inimici audaciam; præcipue cum id fiat in bonum ipsius inimici.

VIII. Idem Marcus Vidal *inquis.* 11. num. 46. „Quinta Conclusio. Licitum est, servato tamen ordine & forma, optare alteri malum temporale ob honestum finem consequendi aliquod bonum temporale.

IX. Item num. 65. „Colligitur quarto, posse licite alteri imprecari malum temporale ex motivo tantum propriæ, vel alienæ utilitatis, ut est optare alicui infirmitatem, ne ludo omnia dissipet, aut mortem ob vitandum inopiam, vel molestam infirmitatem, aut vitam pœnalem, & huiusmodi. num. 66. Colligitur quinto, posse licite optare mortem alicuius, & de illa gaudere ob hereditatem habendam. . . Nam obiectum huius actus non est malum, sed est commodum ex morte consequens, quod est bonum, & conforme rectæ rationi, ut supponitur, Unde mors ipsa conducens ut medium ad tale commodum, & sequens ex causis naturalibus, erit quid bonum.

CAPUT III.

Præcepto divino iubemur proximum actu interno diligere.

I. Quid nomine proximi intelligatur, supra indicatum est. Proximus quippe nos ter homines sunt supernatu-

ralis beatitudinis capaces, sive iusti sint, sive iniusti, fideles, aut infideles, amici, vel inimici, reprobis, aut prædestinati. Dæmones & creaturæ irrationales absolute non comprehenduntur sub proximo diligendo. Tamen, inquit Angelicus 2. 2. quæst. xxv. art. 11. *ex caritate diligimus irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & utilitatem hominum. . . . Et per hunc modum & naturam demonum etiam ex caritate diligere possumus.*

II. Duo sunt caritatis præcepta. Primum, & maximum, quo diligimus Deum, alterum, quo amamus proximum. Hæc duo gravissima mandata ubique in Scripturis sanctis inculcantur. *Diliges Dominum Deum tuum. . . . Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Propheta. Matth. xxii. Hoc idem docent alii Evangelistæ. D. Ioannes cap. xiii. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Hanc dilectionem veluti characterem, atque splendidissimam christianæ professionis prærogativam assignat ibidem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. D. Petrus Epist. I. cap. iv. Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum. D. Paulus ad Galat. v. Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Item ad Hebr. 13. Caritas fraternitatis maneat in vobis: & ad Theffalon. 4. De caritate fraternitatis non necesse habeo scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. D. Ioannes Epist. I. cap. 3. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. . . . Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. . . . Hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum.*

III. De fide ergo est dari præceptum diligendi proximum. Præceptum hoc naturale est, quatenus amorem naturalem imperat. Præcepto namque naturali proximum diligere tenemur, prout nobis similis in natura est, cognatus, vicinus, & pluribus aliis titulis. Præcepto autem divino eum diligere astringimur amore supernaturali, & caritatis. Suarez *Disp. v. sect. 4.* tribuit Caietano opinionem, qua docuerit præceptum diligendi proximum non obligare ad amorem supernaturalem. Quid in expositione super Deu-

Deuteronomium docuerit Caietanus, non vacat in præsens expendere. Hic sane in commentariis in D. Thomam oppositum docet.

IV. Quæst. I. *Præceptum istud obligat ne ut peculiaribus actibus internis proximum diligamus?* Resp. Omnes qui negant speciale præceptum amandi Deum, potiori iure negant peculiare mandatum diligendi proximum actibus internis. Pro hac opinione laudat Leander *tract. 4. disp. 3. quæst. 4.* Hurtadum *disp. 4. difficult. 2.* Valquium *tract. de poenit. quæst. 90. art. 1. dub. 4.* Suarium *disp. 5. sect. 4.* Molinam *I. Part. quæst. 63. art. 2.* & 3. Petrum Hurtadum *disp. 174. sect. 6.* Arriagam *2. 2. disp. 39. sect. 1.* Fagundez *Lib. I. in Decal. cap. 28. num. 3.*

V. P. Castropalaus *tract. 6. disp. 1. punct. 5. num. 3.* laudatam opinionem defendit, atque in illius præsidium citat D. Thomam *2. 2. quæst. 25. art. 8.* ubi D. Thomas de amore peculiari inimicorum quæstionem versat, decernitque, ut aliquis diligens Deum, & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Angelicus hic pro certo habet proximum interna diligendum caritate; in qua dilectio inimicorum includi debet. Et hoc clarius explicat ibid. art. 9. *Dicendum, quod affectus, & signa caritatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicum in communi quidem est de necessitate præcepti absolute. Exteriora beneficia signa interioris dilectionis Angelicus vocat, non solum hic, verum etiam quæst. xxvi. art. 7. in arg. Sed contra. Interior caritatis affectus debet respondere exteriori affectui. Similia pluribus in locis habet. Quare mirari satis non subit, quod P. Viva inter argumenta quæ Auctores damnata thesibus obiciunt, doctrinam referat D. Thomæ ex loco supra laudato a P. Castropalao.*

VI. P. Cardenas fuscè versat hanc quæstionem *dissert. viii.* Vindicias P. Suarez instituit *cap. 11.* adversus Filgueram, qui Auctoribus sententiæ proscriptæ P. Suarez accenset. Ad hoc quod attinet, nihil ad nos. Cardenas *cap. 111.* D. Thomæ hoc de argumento mentem exponit. Auctorem hunc plurimi semper facio tum ob ingenii acumen, tum ob pietatem quam in scriptis suis prodit. Hic tamen duo docet quæ mihi falsa sunt. Alterum est quod doctrina D. Thomæ nec nihilum distat a sententiâ Castropalæi. Hoc vero cuique legenti Castropalaum quam sit fallum apparebit. Alterum est quod P. Cardenas contendit, D. Thomam doce-

re præceptum hoc caritatis non obligare nos ad actum interiore amoris erga proximum, nisi in articulo necessitatis: quod quanti sit fallum, infra palam faciam.

VII. His breviter delibatis propositæ quæstioni respondeo, nos teneri actu interno caritatis vi præcepti divini proximum diligere. Contraria sententiâ proscripta est in his duabus propositionibus. 1. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. 2. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Doctrina ergo Ecclesiæ est, nobis diligendum esse proximum actu interno, & formali. Hanc doctrinam D. Thomam docuisse ostensum est supra. Eam docet Augustinus *tract. viii.* in Epist. Ioan. post medium. *Videte quantæ opera facit superbia. Ponite in corde quam similia faciat, & quasi paria caritati. Pascit esurientem caritas, pascit & superbia; caritas, ut Deus laudetur, vestit nudum, vestit & superbia: ieiunat caritas, ieiunat & superbia: sepelit mortuum caritas, sepelit & superbia. . . . Sed interior caritas tollit locum male agitæ superbia. . . . Audeo aliquid dicere, sed non ego, Paulus dixit. Moritur caritas, id est homo habens caritatem constetur nomen Christi, ducit ad martyrium: confitetur & superbia, ducit ad Martyrium: ille habet caritatem, ille non habet caritatem. Sed audiat ab Apostolo ille qui non habet caritatem: Si distribuero omnia &c. . . . Ergo Scriptura dyuma intro revocat a iactatione huius faciei forissecus; & ab ista superficie qua iactatur ante homines, revocat nos intro. Redi ad conscientiam tuam: ipsam interroga. Noli attendere quid floret foris, sed qua radix est interna. Radicata est cupiditas: species potest esse bonorum factorum, vere opera bona opera esse non possunt. Radicata est caritas: securus esto: nihil male procedere potest. Alios Patres mitto brevitatibus ergo, & rationem quam indicat Augustinus, clarius explico.*

VIII. Opera exteriora mortua sunt ad vitam æternam, nisi caritate vivificentur, ut ex Apostolo probat Augustinus. *Si caritatem non habuerit, nihil mihi prodest.* Ergo exteriora opera liberalitatis, beneficentiæ erga proximum inepta sunt ad implendum præceptum illud divinum quo iubemur proximum diligere. Accedit quod eodem, proportionem servata, modo tenemur diligere proximum ac Deum. Similitudo utriusque præcepti id perspicue manifestat. Sed Deum tenemur diligere actu interno. Ergo & proximum. Eundem quippe speciei est caritas qua

qua diligimus Deum & proximum. Interno itaque tum naturali, tum supernaturali amore proximum diligere tenemur. Idque extra controversiam nunc est inter Theologos. Opposita enim opinio proscripta est in duabus recentitis propositionibus ab Innocentio XI.

IX. Quæst. II. *Actus quo diligere iubemur proximum, debet ne esse distinctus ab actu amoris quo Deum diligimus?* Resp. Negant plures recentiores, ut Caltropalaus *loc. cit. num. 4.* ubi laudat pro hac sua opinione D. Thomam (falsò tamen) Suarez, Lorcam, Ægydium: quibus addi possunt, inquit Leander, Bannez, Ledesma, Arriaga, & ipse Leander, & alii plures. Hæc opinio, si absolute spectetur, mihi improbabilis, & falsa omnino est. Quoniam duo sunt præcepta distincta, quorum alterum Dei, alterum proximi amorem iubet. Duobus ergo distinctis actibus duo hæc præcepta implenda sunt. Quod manifestius fiet, si adverteris, divinam bonitatem esse utique rationem *sub qua* proximus diligitur; secus *que* in proximo diligitur. Deus obiectum primum; proximus secundarium est caritatis. Quare trifariam, ut animadvertit Franciscus Sylvius, dilectio proximi propter Deum considerari potest. Primo propter Deum sicut ob causam formalem talis dilectionis. Secundo propter Deum ut causam moventem. Tertio propter Deum ut causam finalem. Verum utriusque est illum qui diligit Deum super omnia ex toto corde, virtualiter proximum diligere: quæ veritas Deo sane perspecta est. Nihil tamen fecius distinctum præceptum primo simile nobis imponit, proximum diligendi. Hoc expresse docet Augustinus Lib. I. De doctr. christ. cap. xxx. *Sed quoniam excellentior, ac supra naturam nostram, est divina substantia, præceptum quo diligimus Deum; a proximi dilectione distinctum est. Ille enim nobis præbet misericordiam propter suam bonitatem, nos autem nobis propter illius: id est, ille nostri miseretur, ut se perfruamur; nos vero invicem nostri miseremur, ut illo perfruamur.* Lege eundem Lib. VIII. de Trin. cap. 7. ubi fufius rem hanc tractat. Quapropter adeo mihi vera est hæc quam defendo sententia, ut contraria videatur, salvo meliori iudicio, proscripta in laudata propositione I. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* Damnata ergo est doctrina illa quæ asserit nos non teneri proximum diligere actu interno, & formali, sed tantum actu virtuali in amore Dei formali contento. Hoc idem docet contraria quam impugnamus opinio.

Ergo proscripta videtur. Amore ergo non modo interno, sed expresse, & formali proximum dilige.

X. Quæst. III. *Obligat ne per se hoc præceptum ad proximi dilectionem?* Resp. Negant plures recentiores necessitatem amoris proximum, necessitate gravi sublata. Et, quod non modicum ingerit admirationem, P. Magister Milante, regius in Neapolitana universitate Professor, mihi quæ amicitiæ fædere iunctus, in suis exercitationibus, in quibus laxas recentiorum opinioniones confutare intendit, ab instituto recedere aliquantulum videtur. In commentariis quippe in hanc de amore proximi proscriptam thesim hæc scribit. *Adverto tamen hic ex Cardinali Caietano, ceterisque S. Thomæ discipulis, quod quum præcepta affirmativa non obligent nisi in casu necessitatis, & præceptum dilectionis proximi huiusce sit conditionis, satis est quod homo sit in preparatione animi &c.* Pace viri amicitissimi, hæc doctrina mihi non probatur. Præceptum amandi Deum affirmans est, & tamen extra casum necessitatis expellendi odium, non assentiendi blasphemis, obligat. Idem de amore proximi dicendum esse demonstrabimus. Fortasse vir doctus de amore proximi particulari, & non de proximo absolute accepto loqui voluit. Hæc tamen adnotare volui, ne traducant me exterorum exaggerare, domesticorum vero dissimulare opiniones ad laxitatem declinantes.

XI. Ut perspicue quæstioni respondeamus, distinctione opus est. Si sermo sit de proximo in communi, certum est nos teneri actu interno formali, & per se proximum diligere. Hoc a nemine negari iure valet. Præcepta quippe divina absolute, & per se obligant; servata tamen cuiusque præcepti natura, & conditione. Hanc sententiam non tam demonstrat, quam ut certam supponit Angelicus 2. 2. quæst. xxv. artic. 8. ubi ait: *Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in universali; & sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis, ut scilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat.* Præceptum ergo divinum imperat proximum in communi diligere actu formali, & per se, præcisè quacumque necessitatis circumstantia. Si sermo sit de proximo in particulari, convenit quæque inter Theologos amandum esse necessitate tantum urgente; dissidium vero inter ipsos est, amandus ne tunc sic per se, an per accidens. Sed ad hoc quod attinet, subscribo

Patri

Patri Cardenas asserenti *loc. cit. num. 29.* Quæstionem hanc plurimum hominis habere. Quapropter nec ab eodem dissentio, quod ille, aut hic homo non debeat a nobis amari actu per se, & absolute, seu præcisè necessitate aut illi succurrendi, aut odii contra illum deponendi, ut docet Angelicus *loc. cit. Ut aliquis in speciali moveatur motu dilectionis in inimicum: & istud non est de necessitate caritatis absolute.* Quod porro amor quo proximus in omnium sententia diligendus est, urgente necessitate aut sublevandæ illius inopiæ, aut odii deponendi, aut dissidii componendii, *per se*, aut *per accidens* vocari debeat, non valde laborabo, ut unam præ alia phrasim suadeam. Cardenas *per se* tunc mandatum amorem præcipere defendit, & eo sensu in quo explicat suam opinionem, illa vera est. Quoniam in eventu sublevandæ gravis necessitatis, qua proximus premittitur, non solum urget debitum exterius succurrendi, sed etiam interius amandi: ergo in hoc casu est obligatio *per se* amandi. Idemque dicito de casu odii deponendi. Concedunt alii Theologi amandum tunc esse proximum actu formali interno; sed quia amatur aut propter odium vitandum, aut propter necessitatem levandam, contendunt obligationem tunc *per accidens*, id est propter occurrentem necessitatis casum, urgere. Si presse inhaerendum sit vocabulorum significatui communiter recepto, hic secundus dicendi modus præferendus videtur. Prior tamen universalis obtinet: & quia res est de nomine, quisque in suo abundet sensu; dummodo tamen omnes in hoc conveniant quod proximus etiam in particulari, nedum in communi, actu formali interno diligendus sit in casibus aut odii deponendi, aut necessitatis sive spiritualis, sive corporalis sublevandæ.

XII. Quæst. IV. *Præceptum istud quo iubemur per se proximum in communi, amore interno, & formali prosequi, frequenter ne obligat?* Resp. Præceptum hoc affirmans est, quemadmodum illud amandi Deum. Recentiorum plures contendunt, ut superius indicavimus, præcepta affirmativa in casibus dumtaxat necessitatis obligare: quæ doctrina absolute accepta falsa est, & in præsens proscripta; cum definitum sit Deum *per se*, quacumque exteriori circumstantia necessitatis sublata, amandum esse. Omnes ergo nunc Theologi fateri debent, amandum esse proximum, ut probavimus, *per se*, & absolute. De frequentia actuum quibus illum diligere astringimur, dissidium esse potest.

Cont. Theol. Tom. I.

Quæ a nobis de frequentia amoris Dei dicta sunt, proportionem servata, de frequenti amore proximi dicenda videntur. Primum ergo tamquam proscriptam opinionem relicimus illam quæ assereret infra quinquennium hoc mandatum per se non urgere. Secundo ut certum constituissemus, semel saltem in anno mandatum hoc obligare. Salmanticenses *tract. 12. cap. vi. punct. 2. num. 17.* plures pro hac sententia, quam & ipsi defendunt, citant. Nec video quod oppositum defendi queat. P. Paulus a Lugduno *tract. iv. dissert. 2. art. 1.* scribit non videri peccato immunem eum qui per mensem integrum actum amoris in proximum non eliceret. Idem asserunt Cardenas, Antoine, & alii de amore Dei. Ut diximus explicantes mandatum primum amoris divini, tempus definiri certo nequit istius obligationis. Scripturæ sanctæ continuam nobis caritatem, qua mutuo diligamur, commendant, iubentque. *Vigilate... in vobismetipsis caritatem continuum habentes.* Consule textus quos supra allegavimus. Hanc tam frequenter inculcavit Evangelista Ioannes, ut fastidium quoddammodo discipulis ingesserit, hanc unicam caritatem illorum auribus repetendo, subdens, quod si invicem se dilexerint, legem impleverint. Porro si Scriptores sacri tanto fervore, tantaque verborum emphasi, & efficacia caritatis suadent, imperantque exercitium, ut nihil præter caritatem iubere videantur; quis dixerit, aut raro, aut vix in annum semel obligare? Quoties ergo in annum obligat mandatum istud? In eam ego propendo sententiam quæ a culpa gravi eum non eximit qui per mensem hunc omitteret amorem. Et quia in iis sumus de quibus certam ferre sententiam non valemus, illud suadeo quod sancto Dei verbo propinquius videtur. Continuum nobis caritatem Scripturæ præcipiunt. Tam frequenter ergo actus amoris repetendi nobis sunt, ut moralis quædam continuata caritatis flamma in cordibus nostris ardeat, ut iam iam amplius constabit.

XIII. Quæst. V. *Quoties præceptum istud obligat per accidens?* Resp. I. Urget, dum gravis odii tentatio animum pulsatur, oppositusque amor opportunum remedium existimatur. Plures docent tunc præceptum obligare *per se*. Sed dissidium nullius momenti est. II. Dum astringimur proximo periclitanti succurrere, aut quacumque gravi necessitate, sive in spiritualibus, sive in corporalibus presidium levare. Lex quippe caritatis abique actu interno servari nequit. Non approbo quod do-

R

cet

cet laudatus Paulus a Lugduno *loc. cit.* videlicet, non violare hoc præceptum illum qui solo naturali misericordie affectu proximo egenti subveniret. Quod aliquando id evenire possit, non tenio: & si frequenter occurreret subveniendæ necessitatis occasio, tunc haud esset necessarium ut in officiis singulis caelestis amoris actum eliceret. Ceterum absolute hoc itare nequit. Alioquin contingere posset ut semper quis naturali misericordia motus proximo indigenti suppetias ferret: quo posito, numquam divinum mandatum executioni mandaret. III. Dum gravis iniuria sive in bonis famæ, sive in bonis animæ, vel corporis proximo infertur, ob quam gravissime turbatur, & affligitur.

IV. Dum proximus in extrema necessitate positus nostro eget consilio, auxilio spirituali, aut temporali. In hac necessitate astringimur monere incautum, imminenti pericula parafacere, sacramenta ministrare, fures, feras proximi bona devastantes abigere, ignem comburentem domum, aut quid aliud extinguere.

XIV. Quæst. VI. *Quid significat præceptum urgens ad proximi dilectionem in particulari quantum ad promptitudinem animi?* Resp. Omnes cum D. Thoma Theologi docent, nos paratum habere animum debere ad diligendum quemcumque hominem in singulari, si necessitas occurreret. Varias necessitatis species quas occurrere contingit, modo explicuimus. Quid hæc animi promptitudo præferat, declarandum nunc est. Porro hæc promptitudo in hoc sita est quod animus noster reapse caritate ardeat erga proximum suum in communi. Ab hac communitate neminem excludit caritas ista. Scire ne aves, utrum tibi caritas inest erga proximum tuum in communi? Hanc quippe caritatem facile iactare potes, Vide, promptus ne sis in occasione vel oblata, vel acceptæ iniuriæ ad diligendum fratrem tuum in singulari. Qui amare recusat hos, aut illos occasione data, proximum ipsa non diligit. Quoniam promptitudo animi ad diligendos fratres nostros singulos, effectus est caritatis erga proximum in communi. Caritas isthæc in animo imprimat hanc dispositionem, inclinationem, præparationemque: relinquit in sinu cordis ignis scintillas, quæ, occasione oblata, continuo accenduntur.

XV. Ex his collige, quam plena periculi sit, & ut ego quidem arbitror, falsa opinio plurimum recentiorum (quos inter Constantinus Boncaglia *tract. vi. cap. II.*) qui nulla distinctione adhibita scribunt, præceptum diligendi proximum non urgere nisi in casibus necessitatis. Quæ sane opinio falsa est, si de

proximo in communi intelligatur; immo hoc in sensu proscripta. Nisi enim, ut diximus, ardeat caritas erga proximum in communi, quomodo accendi illico valet, ut huic, vel illo proximo, etiam inimico, urgente necessitate succurrat?

XVI. Quæst. VII. *Utrum teneamur elicere actum dilectionis erga proximum, quoties vi præcepti astringimur eleemosynam illi impertire, vel errantem corrigere?* Resp. Negat Arriaga 2. 2. *disp. xxxix. sect. 1.* Leander *tract. iv. disp. III. quæst. x.* cum Ægydio docet, nos non teneri nisi in iis actionibus quæ præstari nequeunt nisi virtute caritatis. Nostri responsio ex iis quæ fufius disputavimus, patet. Præceptum caritatis frequenter obligat: ideo frequenter eleemosynam ex amore caritatis impartiri debemus. Si singulis diebus occurreret necessitas proximi sublevandi, & Christianus naturali misericordia motus opem illi ferret; non ideo peccaret contra præceptum caritatis. Quæ non ideo dico, ut seignitiam tuam in exercitio caritatis foveam; sed ut, quoad fieri potest, tuæ consulam tranquillitati. Cura tamen ut sollicitus sis in ordinandis tuis bonis operibus caritatis nuptiali veste, quæ sponso divino magnopere placet.

C A P U T IV.

Quomodo diligere proximum debemus sicut nosmetipsos. Regula servanda in dilectione proximi.

I. **S**I paullulum prolixior fuero in exponenda erga proximum caritate, D. Ioannes Evangelista mei excusationem sumet, qui tam longo sermone hanc nobis caritatem commendavit. *Omnis enim lex* (inquit *Lib. VIII. de Trinit. cap. VII.* ex D. Paulo Augustinus *in uno sermone impletur, in eo quod scriptum est: Diliges proximum tuum tamquam teipsum: & in Evangelio: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis.* Hæc est enim lex, & Propheta. *Et pleraque alia reperimus in litteris sanctis, in quibus sola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur; & taceri de dilectione Dei, cum in utroque lex pendeat, & Propheta. Sed & hoc ideo, quia & qui proximum diligit, consequens est ut ipsam præcipue dilectionem diligit. Deus autem dilectio est; & qui manet in dilectione, in Deo manet.*

II. Porro, ut particulam illam sicut te ipsum perspicue explicemus, D. Thomæ verba isthuc transcribenda sunt ex 2. 2. quæst. XLIV. art. 7. *Modus autem dilectionis tangitur cum dicitur, Sicut te ipsum: quod non est intelligendum*

dum quantum ad hoc quod aliquis proximum sibi equaliter diligit, sed similiter sibi. Et hoc tripliciter. Primo quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligit proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum diligere debet; ut sic sit dilectio proximi sancta. Secundo ex parte regula dilectionis, ut scilicet aliquis non concedat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis; sicut & sua voluntati satisfacere debet homo solum in bonis; ut sic sit dilectio proximi iusta. Tertio ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligit aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, sed ea ratione quod vult proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi; ut sic dilectio proximi sit vera. Hinc denuo collige, quam abluant a vero illi qui vel ipsius D. Thomæ auctoritate abutuntur, ut falsam illam opinionem de externo, neglecto interno, amore propugnent. Numquid etiam dicturi sunt, nos non debere interno amore nosmetipsos diligere? Ex recensita D. Thomæ doctrina nonnullæ regulæ fluunt, seu consuetudines in proximi dilectione servanda.

III. *Regula prima.* Proximus diligendus nobis est amore affectivo, & effectivo, qui scilicet ex corde puro, & conscientia non ficta proficiens, proximo bona cupit, & pro viribus, & circumstantiis confert. Bona, inquam, vera, & divina. Amor quippe noster mutuus, illius quo nos Christus dilexit, amoris imago, & similitudo esse debet. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos:* Ioan. XIII. Non ideo autem nos Christus dilexit, ut dignitatibus, titulisque nos ornaret, ut divitias terrenas nobis conquireret, ut deliciis, mundique illecebris nos saturaret; sed ut amicos Dei, sique viva membra nos efficeret, ut sancti, Deique amatores sinceri essemus. Imitari ergo Christi erga nos amorem in proximi dilectione debemus. Amare illum in hunc finem debemus, ut Deo vivat, ut filius Dei sit, ut æternam filiorum hereditatem assequatur. Hæc amore affectivo fratribus nostris ardentem concupiscere debemus. Amore porro effectivo impedimenta quæ illius remorantur salutis negotium, auferranda nobis sunt, nedum nulla eidem imponenda nostris pravis sive operibus, sive consiliis. Opem, auxilia aut opere, aut consilio, quibus in salutis via illum adjuvemus, pro virili parte suppeditare nos convenit.

IV. *Regula secunda.* Fraternalis dilectionis characteres, & prærogativas explicat mirum in modum Apostolus I. Cor. XIII. *Caritas patiens est, benigna est: caritas non amulatur,*

non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quoties huic apostolico caritatis speculo me silto, contremiscit animus, torpet lingua, pavet cor, totusque confusus vix oculos sublevare ausim propter dissimilitudinem quam in me conspicio. *Patiens est caritas in perfrendis fratrum nostrorum defectibus, moribus nostris dissimilibus, & sæpe pugnantibus. Benigna est in conversatione illius, inque illius æterna curanda salute. Non amulatur neque aperte, neque occulte, nec per cuniculos, sive proximi merita silendo, sive illius virtuti aut detrahendo, aut subtiliter labes, & umbras aspergendo; eiusque prosperitati nullo modo invidet. Non agit perperam, ulla illi fraudes intentando; aut impedimenta quibus illius felicitatis cursum abruptat, iniiciendo. Non inflatur ob quasque dotes sive corporis, sive animi, sive divitias, sive nobilitatem, animique magnitudinem. Non est ambitiosa, ut in proximum arroganter dominetur. Non querit quæ sua sunt; sed hæc posthabet, ut proximo egenti succurrat, ut eius infirmitatem, necessitatemque levet. Non irritatur læcessita, ut vindictam sumat, aut quidpiam mali rependat. Non cogitat malum, sed omnia in bonam partem interpretatur, salva tamen semper veritate. Ideo subditur: Non gaudet super iniquitate, sed peccata, & vitia detestatur, lacrymisque deflet: quia congaudet veritati.* Hanc veritatem omnibus præsert, de hac gaudet, in hac sibi complacet. Denique omnia suffert, ut vitam assequatur æternam: omnia credit ob auctoritatem Dei revelantis, & Ecclesiæ proponentis: omnia sperat innixa omnipotentis divinæ auxilianti: omnia sustinet ob desiderium æternæ felicitatis. Audiamus D. Augustinum *tract. LXV. in Ioannem* explicantem illud, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem: ubi hæc scribit S. Doctor. Nonne erat hoc mandatum in antiqua Dei lege, ubi scriptum est: Diliges proximum tuum tamquam teipsum? Cur ergo novum appellatur a Domino, qui tam vetus esse convicitur? An ideo est mandatum novum, quia exuto vetere induit nos hominem novum? Innovat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat, & ut a carnali dilectione distingueret, addidit: Sicut dilexi vos. . . . Dilectio ista nos immo-*

vat, ut simus homines novi, hæredes testamenti novi, cantores cantici novi. Hæc dilectio, fratres carissimi, antiquos etiam tunc iustos, tunc Patriarchas, & Prophetas, sicut postea beatos Apostolos innovavit, ipsa & nunc innovat gentes, & ex universo genere humano, quod diffunditur toto orbe terrarum, facit, & colligit populum novum, corpus novæ nuptiæ Filii Dei unigeniti Sponsæ, de qua dicitur in Cantico canticorum: Quæ est ista quæ ascendit dealbata? . . . Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis, non sicut se diligunt qui corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt; sed sicut se diligunt, quoniam dii sunt, & filii Altissimi, ut sint filii eius unici fratres, ea dilectione invicem diligentes qua ipse dilexit eos, perducitur eos ad illum finem qui sufficit eis, ubi satiatur in bonis desiderium eorum. Tunc enim aliquid desiderio eorum non deerit, quando omnia in omnibus erit. Et paullo infra: In hoc cognoscent, inquit, omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; tamquam diceret: Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensus, rationem, & eam salutem quæ hominibus, pecoribusque communis est, verum etiam linguas, sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, ut ardeant; sed quoniam caritatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis, quamvis bonis, muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei, sed in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. O Sponsa Christi pulchra inter mulieres; o dealbata ascendens; & incumbens super fratrucelem tuum: quoniam cuius lumine illustraris, ut candeas, eius adiutorio fulciris, ne cadas.

V. Regula tertia. Præcipua officia caritatis fraternæ describit Apostolus cap. vi. ad Galatas: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. In hac mutua infirmitatum nostrarum tolerantia magnopere splendet christiana caritas. Singuli nostris laboramus defectibus. Nemo est qui displicendi occasionem alteri non præbeat, & ab eodem non recipiat, temporum varietate. Ut ergo pacis vinculo & Christo, & nobiscum agglutinemur, sola caritas quæ propter Christum omnia suffert, hanc cordium coniunctionem inducere, & conservare valet. Augustinus Lib. lxxxiii. questionum quæst. lxi. hæc officia satius explicat. Huius autem dile-

ctionis officium est invicem onera nostra portare. Sed hoc officium, quod sempiternum non est, perducet sane ad beatitudinem æternam: in qua nulla erunt nostra onera quæ invicem portare iubeamur. Nunc vero, cum in hac vita, id est in hac via, sumus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam quæ caret omni onere, pervenire possimus. Non tibi displiceat exemplum audire quod de cervis subiicit, ut animos nostros erigat ad ferendam fratrum onera. Sicut enim de cervis nonnulli talium cogitationum studiosi scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pasceorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super invicem portent; ita ut posterior super anteriorem cervicem proiecta, caput colloquet. Et quia necesse est unum esse qui ceteros precedens, non ante se habeat cui caput inclinet; vicibus id agere dicuntur, ut lassatus sui capitis onere ille qui precedit, post omnes redeat, & ei succedat, cuius ferebat caput, cum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantem fretum transeunt, donec veniant ad terram stabilem. Istam fortasse cervorum naturam intenderat Salomon cum ait: Cervus amicitia, & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim sic probat amicum, quem admodum oneris amici portatio. Nec tamen invicem onera nostra portaremus, si unum tempus esset infirmitatis amborum, qui onera sua sustinent, aut unum infirmitatis genus; sed diversa tempora, & diversa genera infirmitatis faciunt ut onera nostra portare invicem valeamus. Verbi gratia, iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non irasceris, ut rursus eo tempore quo te ira preoccupaverit, ille te lenitate, & tranquillitate sua supportet. Hoc exemplum ad id pertinet, cum diversa sint tempora portantium onera sua; quamvis ipsa diversa non sit infirmitas: in ambobus enim ad invicem ira portatur. Ad diversum autem infirmitatis genus aliud exemplum videndum est. Veluti si quis loquacitatem in se vicerit, & pertinaciam non lumen vicerit; alius vero adhuc loquax sit, sed iam pertinax non sit: debet ille huius loquacitatem, & iste illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in isto sanetur, caritate portare. Par quippe infirmitas in duobus si uno accidat tempore, tolerare se invicem non valent, cum adversum se intendunt. Nam adversus aliquem tertium & duo irati sibi conveniunt, & se tolerant; quamquam nec tolerare se invicem dicendi sunt, sed potius se invicem consolari; sicut & videntes de re una magis se portant, & quasi incumbunt sibi, quam si unus tristis esset, & alius

gaur

gauderet . . . Neque ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi nisi, cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. . . . Huic cogitationi accedit etiam alia cogitatio: quia ille suscepit hominem, nos autem homines sumus: & considerare debemus quod agitudinem sive animæ, sive corporis, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi cuius infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si forte nos in ea essemus, & ille non esset. Ad hoc pertinet quod ipse Apostolus ait: Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem . . . Deinde etiam illud cogitandum, nullum esse hominem qui non possit habere aliquid bonum quod tu nondum habes, etiamsi lateat, in quo sine dubio possit te esse superior: quæ cogitatio ad conatendam, edomandamque superbiam valet . . . Ista cogitationes deprimentes superbiam, & acuentes caritatem, faciunt onera fraternæ invicem non solum æquo animo, sed etiam libentissime sustinere. Nullo modo autem de homine incognito ferenda sententia est, & nemo nisi per amicitiam cognoscitur. Et ideo amicorum mala firmius sustinemus, quia bona eorum nos delectant, & tenent. Nullius itaque repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atque ita tractetur ut recipi possit. Illum enim receptum in amicitia nostra possumus dicere cui omnia consilia nostra refundere audeamus. Monitum tamen saluberrimum adiicit S. Doctor, quod altius mente repositum teneas velim. Est autem sequens.

VI. Sepe autem quæ bona sunt, prius apparent: in quibus etiam temerarium benevolentia iudicium cavendum est, ne cum totum bonum putaveris, ea quæ postea mala apparuerint, securum, & imparatum te inveniunt, & gravius offendant; ut eum quem temere dilexeras, acerbius oderis, quod nefas est: quia, etiamsi nulla eius bona præcederent, & hæc quæ postea apparuerunt mala, prius eminent, toleranda tamen erant, donec omnia cum illo ageres quibus talia sanari solent: quanto magis cum ea bona præcesserunt quæ tamquam pignora nos debent ad posteriora toleranda constringere? Ipsa est ergo lex Christi, ut invicem onera nostra portemus.

VII. Regula quarta. Ex his facile colliges, quam verum sit a dilectione Dei, & proximi universam pendere legem, & Prophetas. Si enim sincere diligis Deum, illius mandata servas. Si proximum revera amas,

omnia officia æquitatis, beneficentiæ, hospitalitatis, iustitiæ erga ipsum exerces. Ea quippe illi rependis quæ tibi ab illo præstari velles. Et, quod tibi fieri nolles, nequiquam illi facies. Quoniam ergo nunquam tu decipi in contractibus, opprimi in foro, derelinqui in angustiis, calumniari, traduci, aut damnatum aliquod subire, fraudibus circumveniri, dolo capi, aut quid simile pati vis; nihil quodque eiusmodi proximo tuo inferre audebis, quoties illum Christi caritate dilexeris. Ea, ut verbo dicam, mensura metieris fratrem tuum qua ipse remetiendus esse cupis. Si hæc sola Christi regula profundi inculpta animis nostris esset, plurimum Canonistarum, & Theologorum immensa volumina, quæ, ut morum animæ, corporisque bonorum controversias dirimerent, composuerunt, flammis addici possent absque ullo dispendio.

VIII. Regula quinta. Nonnulli pii, devotique homines, & mulieres sollicitudine, & anxietate torquentur super divina dilectione. Vix unquam scrupulis anguntur circa proximi dilectionem. Universa eorum anxietas ad Dei amorem restringitur, se non amare Deum verentur. Sit ne eorum amor naturalis, an divinus, ancipites hærent. Porro unicum fere argumentum indicans in nobis ardere Dei amorem est amor ipsius proximi. Tibi, & mihi illudere vales, iactans te amatorem Dei. Si dixeris, te amare Deum, fallitatis revincere te minime valeo, nisi ostendendo te proximum tuum aut odio habere, aut oportet non diligere. Si ergo nosse cupis, ardeat ne in corde tuo amor Dei, vide qualis sit amor tuus erga proximum. Duo hæc mandata ita coniuncta sunt, ut unum consistere sine altero nequeat. Audi Augustinum expositor Epistolæ ad Galatas num. 45. Cum ergo in duobus præceptis dilectionis Dei, & proximi perfecta sit caritas, cur Apostolus solum proximi dilectionem commemorat, nisi quia in dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt. Consequens est autem ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat & proximum tamquam seipsum: quia hoc iubet ille quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, id est omnem hominem, tamquam seipsum quis potest, nisi Deum diligat, cuius præcepto, & dono dilectionem proximi possit implere? Cum ergo utrumque præceptum ita sit, ut neutrum

sive altero possit teneri; etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de operibus iustitiae; sed opportunius illud de quo quisque facilius convincitur. Unde & Ioannes dicit: Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Mentiebantur enim quidam dilectionem Dei se habere; & de odio fraterno eam non habere convincebantur, de quo iudicare in quotidiana vita, & moribus facile est. In id ergo incumbere ut amor tuus in proximum sit sincerus, fervens, fecundus, & constans, modo in superpetiis egeri ferendis, modo in eius defectibus dissimulandis, modo in eius erroribus placide corrigendis. Et iste in proximum genuinus amor moraliter certum faciet te amore quoque Dei flagrare. Quippe amor in proximum fructus est amoris in Deum.

CAPUT V.

Ordo in caritate servandus. Variæ quasiuncula solvantur.

I. Prolixam quaestionem instituit D. Thomas 2. 2. qu. xxvi. in duodecim articulos sectam de ordine in caritate servando. Porro ipso art. 1. constituit ordinem in caritate servandum: quia ubi principium aliquid est, ibi ordo sit oportet. Caritas autem in Deum tendit tamquam in principium beatitudinis. Ergo in iis quæ ex caritate diliguntur, ordo aliquis secundum relationem ad primum principium elucere debet. Idque Scripturæ sanctæ auctoritate evincit. Cantic. II. Introdixit me Rex in cellam vinariam: ordinavit in me caritatem. Sequentibus articulis obiecta recenset quæ servato ordine diligenda sunt, quæque nosiam explicaturi sumus.

II. Quoniam ab amore omnia morum bona pendent, potissimum christiani hominis officium est amorem suum ordinare, & infra honestatis cancellos continere. Si bonus fuerit amor, bona erunt opera quæ hoc reguntur amore; si malus amor, opera mala. Præclare rem hanc edisserit Augustinus Lib. XIV. de Civ. Dei cap. VII. Recta voluntas est bonus amor, & voluntas perversa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; eoque fruens, letitia: fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit, sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt, si malus est amor; bona, si bonus. Amor itaque ordinatus est evangelica illa arbor bona de qua veritas dicit: Omnis

arbor bona facit fructus bonos. Actuum itaque humanorum œconomiam universam, tamquam præcipua regula, amor regit. Plurimi ergo interest prænotiones ordinati, inordinati amoris exponere.

III. Porro ut summi momenti quaestionem pro dignitate tractemus, primum omnium ipsius amoris notio iterum repetenda est. Angelicus hanc amoris finitionem exhibet. Ipsa autem aptitudo, sive proportio appetitus ad bonum est amor, qui nihil aliud est quam complacentia boni. Hinc consequitur amoris obiectum bonum esse, ut conveniens amanti. Amor (subdit quæst. xxix. art. 1.) est consonantia quedam appetitus ad id quod apprehenditur ut conveniens. Odiū vero est dissonantia appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans, & nocivum. Sicut omne conveniens habet rationem boni, ita omne repugnans, inquantum huiusmodi, habet rationem mali: & ideo sicut bonum est obiectum amoris, ita malum est obiectum odii. Illud ergo serio animadvertere, bonum absque ulla ad amantem relatione non esse amoris illius obiectum; sed illud solum bonum amorem excitare nostrum valet quod est nobis conveniens. Id enim quod amandum nobis est, amabile sit oportet; illud autem amabile quod conveniens nobis est. Quare merito Angelicus primam amoris causam in hac mutua, & reciproca aptitudine constituit. Idque penes ipsos Philosophos omnes, pulsus Epicureis, convenit. Nonnulla ex Tullio decerpam. Placet his (inquit Cato Lib. III. de fin.) quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal (hinc enim est ordiendum) ipsum sibi conciliari, & commendari ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea quæ conservantia eius status diligenda quod non feret, nisi statum ipsum diligere, interitum timerent. Fieri autem non posset ut appetere aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se, ad sua diligere. Ex quo intelligi debet principium ductum esse a se diligendi . . . Prima est enim conciliatio hominis ad ea quæ sunt secundum naturam. Simul autem cepit intelligentiam, vel notionem potius, quam appellat illi, viditque rerum agendarum ordinem, & ut dicam concordiam, multo eam pluris æstimavit quam omnia illa quæ primum dilexerat, atque ita cognitione, & ratione collegit ut statueret in eo collocatum summum illud hominis per se laudatum, & expectandum bonum, quod compositum sit in eo quod præcipuum Stoici, nos appellamus convenientiam, si

placet. Sed fusius rem hanc edisserit Lib. I. de natur. deor. ubi Velleium Epicuri discipulum acriter infectatur, & refellit, quod naturam in Deo præstantissimam collocaret, dignamque veneratione assereret, postquam constituerat nullam habere Deum nostrum providentiam, nullamque curam. Quoniam nihil eximium, nihil præstans ea in natura esse potest quæ sua voluptate lætans, nihil actura sit umquam, neque agat, neque egerit. Quæ porro pietas ei debetur a quo nihil acceperis? Quare sub libri finem hæc in Epicurum contorquet. Epicurus vero ex animis hominum extraxit radicem religionem, cum diis immortalibus & opem, & gratiam sustulit. Cum enim optimam, & præstantissimam naturam Dei dicat esse, negat idem esse in Deo gratiam, adeoque tollit id quod maxime proprium est optima præstantissimæque nature. Quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate, & beneficentia? Quæ cum carere Deum vultis, neminem Deo, nec deum, nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminem diligere vultis. Ita fit ut non modo homines a diis, sed ipsi dii inter se, ab aliis alii negligantur. Quanto Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur. Censent autem sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. Nihil enim virtute amabilius; quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligitur. . . . Verius est igitur illud, nimirum quod familiaris omnium nostrum Possidonius disseruit in libro quinto de natura deorum, nullos esse deos Epicuro videri, quæque is de diis immortalibus dixerit, invidia devitanda gratia dixisse: neque enim tam despicens fuisset, ut hominibus similem Deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido; membris hominis præditum omnibus, usu membrorum ne minimo quidem; exilem quemdam, atque per lucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, nihil agentem: quæ natura primum nulla esse potest: idque videns Epicurus, re tollit, oratione relinquit deos. Deinde, si maxime talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. Quid enim dicam, Propitius sit? Esse enim propitius potest nemini, quoniam, ut dicitis, omnis in imbecillitate est & gratia, & caritas.

IV. Hæc paullo fusius exscribere volui, ut hinc colligas, iuxta vel ipsos Philosophos hæc tria certa esse. I. Quod convenientia rei amata cum amante sit prima amoris caus-

sa: prius enim sit conveniens necesse est quam quod ametur. II. Nihil propter se diligi potest, nisi sit natura sua conveniens, & honestum: quod enim propter aliud tantum conveniens est, propter aliud quoque amatur. III. Naturæ nostræ amor inhius est, quo necessario diligit statum sui ipsius, seu quod sibi convenit. Ex hoc amore, quidquid diligimus, amamus. Fieri enim nequit ut quis amet alios, nisi prius se diligit. Hanc doctrinam Patres omnes confirmant. D. Augustinus in Psal. cxviii. conc. I. præclare hoc explicat, quomodo omnes propriam appetant beatitudinem. Beatum esse tam magnum bonum est, ut hoc velint esse & boni, & mali. Nec mirum quod boni propterea sint boni; sed illud est mirum quod etiam mali propterea sint mali, ut sint beati. Ex necessario appetitu propriæ beatitudinis consequitur quod homo vi istius primæ, & innatæ appetitionis cetera bona velit. Et ne plura cogamus, paucis omnia comprehendimus. Voluntas nostra ferri nequit in bonum, nisi ab ipso bono excitetur. Hoc bonum pellicere in sui affectionem appetitum nequit, nisi illi se amabile præbeat. Amabile porro eidem apparere haud potest, nisi prius illi conveniens fuerit. Quid quod si bonum aliquid ut inconveniens nobis apprehendatur, non amorem, sed odium concitat: si comparate ad nos ad iaphorum fuerit, nec amorem, nec odium excitabit? Relinquitur ergo quod bonum naturæ nostræ consentaneum, nostroque statui accommodatum valeat voluntatem ad sui prosecutionem allicere. Quo ergo erit nobis convenientius, eo erit validius ad amorem excitandum. Illud vero nobis conveniens quod honestum, utile, iucundumque est. Honestum porro quod propter se amabile est, cuiusmodi est Deus. Innumera bona creata, ut virtutes, sunt suapte natura amabilia, semper relate ad Deum modo supra explicato. Illud vero dicitur bonum vere utile quod ad veram honestatem ducit, ut docet D. Ambrosius Lib. I. de Offic. cap. ix. Nihil utile, nisi quod ad vite illius aternæ proficit gratiam, definimus, non quod ad delectationem præsentis. Est igitur eadem utilitas quæ honestas. Tam utilitas, quam iucunditas appetibilia nobis sunt, quatenus referri in Deum queunt. In istius doctrinæ conspectu evanescent omnes Quietistarum errores proscripti ab Innocentio XI. & ab Innocentio XII.

V. Revocanda quoque in memoriam est

amoris divisio. Quoniam alius dicitur innatus, seu necessarius, ut est amor beatitudinis in communi, alius liber, & eligens; alius naturalis, supernaturalis alius; alius Dei, alius creaturarum; alius amor fruens, alius utens; alius concupiscentiæ, alius amicitiae. Amor concupiscentiæ quandoque presse, interdum latius accipitur. Pressius accipitur pro appetitione bonorum temporalium, & sensibilibus, quæ bona ab ipso Evangelista Ioanne in tres species secantur, nempe honorum, divitiarum, & voluptatum sensibilibus. Latius accipitur concupiscentiæ amor, prout appetit bona quæ conducunt ad felicitatem tum animæ, tum corporis. Verum de his fusius in tractatu de actibus, humanis.

VI. His itaque breviter delibatis, ordo qui in amore servari debet, exponendus. Primus autem ordo quem in amando servare debemus, est ipsiusmet amoris ordo. Si enim ab Augustino quæras, quid sit bonus amor; respondet, quod sit ordo amoris, seu amor ordinatus. Et si petas, in quo situs hic ordo sit; responsionem exhibet *Lib. XIX. de Civit. Dei cap. XIII.* ubi his verbis eum definit: *Est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio.* En ordinem, seu dispositionem amatori servandam. Unicuique diligibili suum tribuere locum. Si superioris subfelli sit, superior illi in corde suo locus concedendus, si inferioris, inferior. Diligere quemquam iuxta illius amabilitatem debet, ita ut quod magis amabile, magis quoque amari debeat. Verbo dicam, quisque secundum mensuram bonitatis suæ diligere debet. Mensura dilectionis amantis est mensura bonitatis quæ in re amata reperitur. Porro quam eiusmodi ordo amabilis sit, inde emicat quod illum iustitia, pax, & decor comitantur. Quæ enim maior iustitia quam suum cuique tribuere? Quid magis decorum quam parium, dispariumque ordinata rerum dispositio? In hac mirabili rerum harmonia pax, concordia, & tranquillitas tum universi iustus oculis pervii, tum divinarum gratiarum splendent.

VII. Duplex distinguitur ordo: alter amandi, alter subveniendi, ut docet Augustinus *epist. cxlviii.* *Caritas que tamquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortioribus antepont.* Ordo amandi ex obiecti dignitate, ordo subveniendi ex egestate personæ quæ ope nostra indiget, arcessitur. Uterque ordo sub præcepto cadit, inquit Angelicus 2. 2. qu.

xliv. art. 8. *Modus qui pertinet ad rationem virtuosæ actus, cadit sub præcepto quod datur de actu virtutis. Ordo autem caritatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cum accipitur secundum proportionem dilectionis ad diligibile. Unde manifestum est quod ordo caritatis debet cadere sub præcepto. Ratio ex se manifesta est: quia obiecta diligenda non sunt æqualis bonitatis, & amabilitatis: ordo ergo servandus in eorundem dilectione.*

VIII. D. Bernardus scite, & mirabili perspicuitate ordinem hunc describit *ser. l. in Cant. In bene affecta caritate non dubium quin dilectione hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, celum terre, æternitas temporis, anima carni. Attamen in bene ordinata actione, sepe aut etiam semper, ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & pluries occupamur; & infirmioribus fratribus diligentiori assiduitate assistimus: & paci terre magis quam cali gloria iure humanitatis, & ipsa necessitate intendimus; & temporalium inquietudine curarum vix aliquid sentire de æternis permittimur; & languoribus nostri corporis, postposita anime cura, pene continue inferimus. Orantem denique hominem cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde caritate iubente abducimur, & avellimur propter eos qui nostra indigent opera, vel loquela? Quoties pie cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bona conscientia ponitur codex, ut operi manuum insudetur? Quoties pro administrandis terrenis iussissime ipsis supersedemus celebrandis Missarum solemnibus? Ordo præposterus; sed necessitas non habet legem. Agit ergo suum actualis caritas ordinem iuxta patrisfamilias iustitiam, incipiens a novissimis. Pia certe, & iusta, que non sit acceptrix personarum, nec pretia consideret rerum; sed hominum necessitates. At non ita affectualis: nam a primis ipsa ducit ordinem. Est enim sapientia, per quam utique quæque res sapiunt prout sunt: ut (v.g.) que pluri natura habet, pluri quoque ipsa affectio sentiat, minora minus, minima minime. Et illum quidem ordinem caritatis veritas facit; hunc autem veritatis caritas vindicat sibi. Nam & vera in hoc est caritas ut qui indiget amplius, accipiat prius; & rursus in eo cara est veritas, si ordinem tenemus affectu quæ illa ratione.*

IX. Porro ut quamdam perspicuam ideam formare valeas tum personarum, tum honorum quæ ordine servato diligenda nobis sunt; primum personas, deinde bona oculis subit-

cio. Inter personas primum omnium Deum Optimum Maximum diligere debes. 2. te metipsum. 3. homines. 4. homines sanctiores, & nobiliores ceteris ignobilioribus, minusque sanctis præferre debes, iustos peccatoribus, superiores inferioribus, parentes uxori, & filiis. In bonis, spiritualia; seu supernaturalia, nempe gloria, beatitudo, gratia, merita, primum locum occupant. Secundum bona naturalia, quæ corpus spectant, ut vita, integritas membrorum, sanitas, & similia. Tertium bona exteriora, ut honor, fama, divitiæ. Tandem bonum commune antecellere bonum privatum debet. Hæc quantum ad amorem appretiationis. Quod ad amorem attinet subventionis, ut dictum est, ordo aliquando præpoteris servandus. Verum quia istorum omnium executio ordinata nonnullis difficultatibus obnoxia est, sequentibus quæstionibus omnia, & singula explicabimus.

X. Quæst. I. *An quisque seipsum magis quam proximum diligere debeat?* Resp. Adfirmat D. Thomas 2. 2. quæst. xxvi. art. 4. *In homine duo sunt, scilicet natura spiritualis, & natura corporalis. Per hoc autem homo dicitur diligere seipsum, quod diligit se secundum naturam spiritualem. . . . Et secundum hoc debet homo magis diligere se post Deum quam quemcumque alium.* Constat ex ipso Evangelio: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Amor erga seipsum regula est amoris in proximum. Inclinatio naturæ insita id evincit. Quare *Eccl. xiv.* dicitur: *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Hinc concludit D. Thomas, vel minimum nobis peccatum committendum non esse, ut a peccato proximum liberemus. Quid enim nobis prodesset totius mundi, & omnium hominum lucrum, si anima nostra detrimentum subiret? ut fusius infra dicitur.

XI. Obiicies illud *Exod. xxxii.* ubi Moyses Deum orans inquit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti.* Item D. Paulus *Roman. vi.* cupiebat anathema esse pro fratribus suis. Respondet Augustinus *qu. cxlvii. in Exod.* nomine illius libri, non librum vitæ, sed catalogum virorum illustrium, in quo & ipse descriptus erat, ceu Dux populi Israelitici, intelligendum esse. Et in hac locutione tanta usus emphasi Moyses est ob nimiam quæ illi cum Deo confidentia erat. Apostolus autem non absolute, sed tacita adiecta conditione, nempe, quoad liceret, cupiebat anathema fieri pro fratribus suis, amoris vehementiam, &

ardorem indicans; quod explicat ipse *Epist. ad Galat. cap. iv.* ubi, ut illorum in se amorem manifestaret apertius, sic scribit: *Testimonium perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Eodem significato ad Romanos ipse locutus est: *Optarem, si fieri posset, separari a Christo, ut vos lucrificerem.* Consule D. Thomam in hunc locum.

XII. Quæst. II. *Tenetur ne homo propriam vitam corporalem magis diligere quam vitam corporalem proximi?* Resp. D. Augustinus adfirmat *Lib. de mend. cap. vi.* *Si quis pro alterius temporali vita ipsam suam temporalem perdat, non est iam diligere illum sicut seipsum, sed plus diligere quam seipsum: quod sana doctrina regulam excedit.* Hoc patet ex ordine quem inter diligibilia servandum esse diximus. Propinquior est enim homo sibi ipsi præ omnibus aliis: ergo sicut flamma propinquirem comburit materiam, ita & amor. Quin sicut flamma externam nequit comburere materiam, nisi ipsa in se ardeat; ita nec homo alios amare nequit amore ordinato, ceterisque servatis, nisi semetipsum diligit. Dixi, ceterisque servatis, nempe si comparatio fiat inter privatos: nam constat exponendam esse propriam vitam temporalem ob bonum commune Republicæ, ob vitam Principis, alteriusve personæ ad commune bonum custodiendum necessariæ.

XIII. Quæst. III. *Licitum ne est propriam vitam periculo proximo mortis exponere pro vita privata proximi qui ab promovendam Dei gloriam aprior sit?* Resp. Adfirmant *Æstius, Soto, Valentia, Bannez, Azorius, Sylvius 2. 2. quæst. xxvi. art. 4.* dummodo id fiat ex motivo virtutis christianæ. Nam iam dictum est, quod si vita propria corporalis cum vita corporali proximi absolute comparetur, propria præferenda sit. Ceterum si vita proximi spectetur non absolute, sed quatenus utilior est ad Dei gloriam promovendam, salutinque animarum comparandam, tunc vita proximi potest propriæ vitæ præferri. Idem dicendum, si vitam tuam exponeres ad servandam vitam patris, domini, intimi amici, insignis benefactoris, a quibus maxima beneficia recepisti, quibus facere satis cum nequeas, occasione data, ut christianæ gratitudinis argumentum exhibeas, illorum vitam tuæ præfers. Huic sententiæ favere videtur *Ioannes cap. xv.* *Maiorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ratio quoque suffragatur. Quoniam, inquit S. Thomas in III. dist. xxxix. art. 5. ad 3.

ad 3. tradere seipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc quod aliquis plus amicum quam seipsum diligat; sed quia in se plus diligit bonum virtutis quam bonum corporalem. Plura exempla promit Franciscus Sylvius *loc. cit. conclus. 3.* in huius sententiae confirmationem. Nam Augustinus, Gregorius, & alii ad diem 22. Iunii in Rom. martyrologio extollunt S. Paulum Nolæ Episcopum, quod pro redimendo viduæ filio, quem VVandalii, Campania devastata, captivum in Africam abduxerant, seipsum in servitutem dedit. Tobias in Scripturis commendatur, quod pro sepeliendis defunctorum corporibus mortis periculis se se exposuerit. S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *Lib. VII. cap. XVII.* exaltat Presbyteros, & Diaconos, aliosque de populo viros insignes, qui peste infectis succurrerant, non modo spiritualia, verum etiam temporalia ministrando cum gravi propriae vitae periculo. S. Gregorius *Lib. III. Dialog. cap. XXXVII.* celebrat S. Santulum, qui, ut Diaconum quemdam morti subduceret, gravissimo propriae vitae amittendo periculo se se obiecit. D. Hieronymus in *cap. VII. Michæ* commendat exemplum duorum Pithagoreorum qui mutuo vades se se Tyranno dederunt.

XIV. Quæst. IV. *Quæst. IV. Duobus in extrema necessitate constitutis, potest ne alter panem cedere, aut equum, ut fugiat mortem, quam ipse pedes evadere nequit, aut tabulam occupatam, ut se naufragio liberet?* Resp. Negant Paludanus in *IV. dist. xv. quæst. III. art. 2. conclus. 3.* Gabriel in *IV. dist. XVI. quæst. IV. art. 1.* Belarminus *Lib. III. de bon. oper. cap. VIII. alique.* Adfirmant e contrario Lessius *Lib. II. cap. XI. dub. 6. num. 29.* Coninchius *disp. XXV. dub. 6. n. 81.* Vera responsio patet ex dictis. Si absoluta comparatio fiat vitæ cum vita, numquam est licitum vitam propriam pro alterius vita amittere. Si vero ratio movens non sit alterius vitæ absoluta præservatio, sed virtutis, & honestatis, aut amicitiae amor; amor, inquam, non carnalis, sed caritatis; tunc licitum est cedere alteri servandæ vitæ instrumenta cum periculo amittendi propriam. Et hæc est communis sententia, quam defendunt Salmanticenses *tract. XXI. cap. VI. punct. 3. §. 2. n. 38.* citantque Suarez, Bannez, Lorcum, Tapiam: quibus addi possunt Sylvius, Henricus a S. Ignatio, & alii. Quamquam Salmanticenses absolute concedere videntur, licite quempiam cedere alteri tabulam possit, instante naufragio: quod falsum ego reputo, nisi mo-

mentum aliquod peculiare ex iis quæ indicavimus, occurrat; & hoc communiter Auctores docent. Audiamus parumper loquentem Tullium *Lib. III. Offic. cap. IX. Si tabulam de naufragio stultus arriperit, extorquebit ne eam sapiens, si potuerit? Negat (Heccato) quia sit iniurium. Quid dominus navis? Eripiet ne suum? Minime, non plus, quam si navigantem in alto eicere de navi velit, quia sua sit. Quoad enim periculum sit eo quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium. Quid, si in una tabula sint duo naufragi, hique sapientes, sibi ne uterque rapiat, an alter cedat alteri? Cedat vero, sed ei cuius magis interest vel sua, vel Reipublicæ causa vivere. Quid, si hæc peria invtroque? Nullum erit certamen, sed quasi sorte, aut in dimicando victus, alter cedat alteri. Plurima ibi habet Tullius morum exempla, quæ cum ad alias attineant in materias, alibi nos ea referemus. Solo naturæ lumine per se Sapientes pagani præter propter in nostram concedunt sententiam; quam tamen nos lumine fidei illustrati temperamus, addentes ex solo motivo christianæ virtutis licitum esse pro alterius vita propriam exponere.*

XV. Quæst. V. *Iuste damnatus ut fame pereat, possetne respuere cibum sibi clam oblatum?* Resp. Minime: quoniam si id præcepisset iudex, horridum, & inhumanum fuisset præceptum, nec eidem obedientia præstanda esset. Quid si motivo poenitentiae ductus, cibum respueret? Falsa hæc poenitentia foret: quoniam hæc non permittit ut quis sibi mortem consciscat; sed solum ut mortem sibi a ministris iustitiæ intentatam forti animo toleret.

XVI. Quæst. VI. *Licitum ne est pro amici honore, fama, bonisque vitam mortis periculo exponere?* Resp. Adfirmat Dominicus Soto *Lib. V. quæst. IV. art. 6. conc. 3.* Sententia negans mihi vera videtur: quoniam fama, honor, bonaque temporalia inferioris, vita humana superioris ordinis est. Perturbatur ergo caritatis ordo, si hæc pro illis prodigatur. Quare non licet se obicere mortis periculo, ut furtum vicini tui impediatur. Subscribit huic sententiae Franciscus Sylvius *loc. cit.* Nec est quod multis eam suadeamus, cum naturæ vox id clamat. In aequali ergo periculo aut vitæ corporalis, aut bonorum temporalium, tibi ipsi primum, deinceps proximo consulere debes. Quare cum periculo vitæ non teneris succurrere proximo in extrema constituto necessitate. Pro Reipublicæ vero, communis, & Principis conservatione non modo licet, sed præceptum urget periculo mortis propriam obicere vitam, & bona exponere. Quare milites in loco sibi destinato

nato cum vitæ periculo consistere tenentur.

XVII. Quæst. VII. *Tenemur ne cum vitæ, bonorumque temporalium iactura succurrere extremæ necessitati proximi?* Resp. Nonnulla præmittenda sunt, ut gravis quæstio perspicue resolvatur. Extrema spiritualis necessitas ea est in qua homo constituitur æternum, nisi adiuvetur, periturus est. Gravis, a qua liberare se quidem valet sed non nisi cum magna difficultate. Communis, in qua sine gravi difficultate, absque alterius ope, immunis evadere quis potest. Exemplis res fit manifesta. Moritur infans inter peste infectos derelictus sine baptismate, nisi cum tuæ vitæ periculo sacris illum abluis undis. Adultus mortalis peccati reus, & eliciendæ contritionis ignarus, damnatur, nisi te mortis periculo obiciat, ut illum instruas. In gravi necessitate constituti videntur peccatores inveteratis habitibus gravati, qui copia laborantes Confessarii difficile actum contritionis edere norunt. Qui in communibus peccandi periculis reperiuntur, in communi necessitate considerantur.

XVIII. Communis, & vera sententia docet, nos debere extremæ proximi nostri spirituali necessitati cum vitæ corporalis nostræ periculo succurrere. Probatur auctoritate D. Ioannis Epist. I. cap. III. *Sicut Christus animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* Augustinus *Lib. de mendac. cap. VI. Temporalem vitam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* D. Thomas clarius rem hanc explicat 2. 2. quæst. XXVI. ar. 5. *Dicendum, quod illud magis est ex caritate diligendum quod habet plenior rationem diligibilem ex caritate. Conscientia autem in plena participatione beatitudinis, que est ratio diligendi proximum, est maior ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, que est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum quantum ad salutem animæ magis debemus diligere quam proprium corpus. Quid, si tua vita necessaria bono communi Ecclesiæ, vel Reipublicæ? Tunc ordo caritatis servandus. Salus communis præferenda est unius privati salutis. Quid, si tu qui succurrere vales proximo in extrema spirituali constituto necessitate, mortali culpa infectus sis, & contritio tibi sit difficilis, aut graviter de tua contritione dubites? Tunc etiam tui ipsius salus salutis proximi tui præferenda. Quamquam ipsa vitæ oblatio pro æterna proximi salute splendidissimum foret sinceræ contritionis, & christianæ caritatis argumentum.*

XIX. Quæst. VIII. *Teneris ne tui defensionem negligere, ne invasorem occidas gravis*

culpa reum? Resp. Negans sententia mihi vera videtur, etiam si dubitetur, tui aggressorem in peccato mortali decessurum. Quippe necessitas illa voluntaria, & libera est, nulloque modo aut extrema, vel gravis. In illius enim potestate positum est ab eadem se liberare. Hanc defendunt Salmanticenses *loc. cit.* & pro eadem laudant Caietanum, Tapiam, Palaum, Trulenchum.

XX. Quæst. IX. *Obstetricæ quæ invalide plures pueros baptizarunt, tenentur ne cum mortis periculo illorum salutem providere?* Resp. Quæstionem hanc fuse proponit P. Layman *Lib. II. tract. III. cap. III. n. 3.* Statuit primo ad detestationem proprii criminis inducendam mulierem, quod verum habet. Deinceps suadendum illi ut mortem subire velit, quo infantum spirituali salutem consulat; dummodo spes adfit hoc ab illa obtinendi. Quod si spes non affulgeat eam inducendi ut crimen suum manifestet, & magistratui se se sistat; tunc dissimulandam docet obligationem se se magistratui prodendi. Probabilitatis commentum causa unica fuit perdocto viro, saniori alioquin doctrinæ addito, sic decidendi. Quare, tali relicta opinione, dicendum est, eiusmodi obstetricæ, sive sagas, teneri cum mortis periculo se se prodere: & Confessarius astringitur eisdem hanc obligationem manifestare. Quoniam si omnes, absque ulla prævia culpa, folius evangelicæ caritatis titulo vitam propriam periculo mortis tenemur obicere, ut extremæ spirituali necessitati proximi consulamus; præfata mulieres titulo iustitiæ, & caritatis ad reparandum damnum illatum, seu ad subtrahendos imminenti damnationi pueros invalide a se baptizatos astringuntur. Neque verum est, Confessarium licite dissimulare posse obligationem, qua istæ devinciuntur se se prodendi. Quomodo namque præsumere minister valet has obstetricæ dispositas esse ad absolutionem sacramentalem suscipiendam, si prævideat illas minime propriæ obligationi satisfacturas? Vera sunt hæc, inquit P. Layman, speculative sumpta. Sed in praxi non est adeo evidens discursus, ut quis debeat certam subire mortem pro spirituali salute alterius. Hanc obligationem probabiliter ignorare hæc mulieres possunt. Si probabiliter ignorant, probabiliter Confessarius dissimulare poterit earum illuminationem, quanti valeat ratiocinatio isthæc, nemo non videt. Criminose, & scelerate hanc obligationem ignorant mulieres istæ, obligationem videlicet exponendi propriam vitam, dum sacro Dei ministro illas docere parato, aures præbere detrectant. Idcirco probabilitatis

tis per fugium vanum est. Quæ intelligenda sunt eo in casu quo alia via infantum salutem provideri nequeat. Si enim alio medio succurri infantibus possit, ex tra quaestionem sumus. Impertiri enim mulieres istæ licentiam Confessario possunt, ut rem sub confessionis sigillo, & impunitatis promissione Principi, seu magistratui prodant. Qua manifestatione peracta, edicta locis publicis affigi Principis iussu valent, quibus infantes adulti effecti admonentur: & tum oblietres sibi fuga cavere valent. Quod P. Gobat ex Augustino opponit, extra rem est. Nec illa verba, *Si scirem tibi non prodesset, non te monerem*, sunt D. Augustini, ut suo loco palam fiet.

XXI. Quæst. X. *Mater gravida ad partum omnino impotens tenetur ne sectionem ventris pati, ut clausus in ventre puer baptizetur?* Resp. Dissident invicem tum Medici, tum Theologi super hac quaestione. Adfirmant Theophilus Raynaudus Tom. XIV. tract. de ortu infant. per sectionem cesaream cap. v. Alensis IV. Part. quæst. xiv. memb. 4. Henricus a S. Ignatio tract. II. Lib. IV. cap. xv. pro hac eadem opinione laudat Gobat, pluresque medicos, testantes eiusmodi sectionem non esse naturam mortalem, sed medicorum ope sine feminæ iactura fieri posse. P. Gobat in sua Theol. experim. de Sacram. tract. II. n. 259. plura adducit experimenta mulierum, quæ post sectionem vitam duxerunt incolumem. Quare in hanc ipse opinionem concedit, & eidem subscribit præfatus Henricus a S. Ignatio, quando probabilis spes adfit vitæ matris; tametsi mortis etiam aliquale periculum immineret. Hæc sententia hac falcitur ratione, quod vita corporalis pro salute spirituali proximi exponenda sit mortis periculo.

XXII. Contrariam sententiam propugnat D. Thomas in IV. Sent. dist. vi. quæst. I. art. I. quæstionum. I. ad 4. ubi hæc habet: *Ideo homo potius debet dimittere perire infantem quam ipse pereat, homicidii crimen in matre committens.* Hanc eandem sententiam defendit III. P. quæst. lxxviii. art. II. ad 3. *Non sunt (inquit) faciendæ mala, ut veniant bona, ut dicitur Rom. III. Et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.* Sententiæ S. Thomæ accedunt Paludanus in IV. dist. vi. quæst. I. art. I. Gabriel in IV. dist. iv. quæst. II. art. 3. dub. 2. D. Antonius in III. Part. tit. xiv. cap. XIII. §. I. Victoria in Sum. de sacram. quæst. xxxiii. Sotus in II. dist. v. quæst. unic. art. II. Sylvester ver. Baptismus

4. n. 2. Angelus verb. Baptismus 6. num. 2. Tabiena verb. Baptismus num. 5. Armilla verb. Baptismus num. 38. Viguierius in institut. cap. xvi. §. I. vers. 8. Paulus Comitulus Lib. I. resp. mor. quæst. xiv. ubi hæc scribit. Verum enimvero reos esse homicidii, qui propter baptismum, vitamque proliis vivam discindunt mulierem, cuncti adfirmant Theologi qui sunt in hac quaestione versati. His Theologis utroque pollice ego subscribo, atque illicitam esse eiusmodi sectionem, quamquam matris salus in desperatis sit. Quoniam, ut ex Apostolo ad Rom. III. arguit S. Thomas, non sunt faciendæ mala, ut bona eveniant. Maximum autem malum est innocentem occidere, cui vitam adimere nunquam licet. Præterea infans in utero matris circumscriptus ius ad baptismum non habet. Nec enim, ut ex Augustino evincit S. Thomas loc. cit. generari ad vitam caelestem quis potest, nisi prius natus sit. Mater autem in possessione se reperit suæ vitæ. Denique qui persecari alvum matris in hoc casu docent, providentiæ divinæ ordinem interturbant. Ordo enim a providentiâ constitutus, est ut nati infantes baptizentur. Quid quod Theologi graviores negant invitis parentibus pueros abluendos esse? Et isti invitis superis, & cum dispendio vitæ ipsius matris, puerum baptizare contendunt?

XXIII. Obiicies. Vita spiritualis proximi præferenda est propriæ vitæ corporali. Hoc verum esse supra probavimus comparatione absolute facta. Idcirco dicimus, cum vitæ periculo baptizandum esse puerum Christianorum ab infidelibus raptum, quod puer hic ius ad baptismum habet. Puer vero in utero clauso nullum, quam diu ibidem detinetur, ad baptismum ius inest. Iure vero in propriam vitam mater potitur. Accedit quod laudatum axioma non eam vim habet ut quispiam sibi mortem consciscat, aut alteri inferre valeat. Idcirco nequit licite Medicus alvum matris perfercare quin reus homicidii evadat. Ex illo principio inferitur, mihi perpetiendam esse mortem corporis pro æterna beatitudine proximi. At qui mortem intentant, detestabile perpetrunt flagitium.

XXIV. Experimenta quæ opponunt, nullius sunt valoris. Narrant quosdam mulieres sectioni superstitites; sed silentio prætereunt innumeratas quæ perierunt. Ipsa ventris abscissio horroris incurrit tantum, ut Matriona Bononiensis ad instrumentorum conspectum, quibus secari alvus debebatur, infantem pepererit, ut narrat ipse Gobat. Adeo tora contremuit.

XXV. Quæst. XI. *Si spiritualis proximi*

necessitas gravis tantum fuerit, astringeris ne cum vitæ periculo eidem succurrere? Resp. Distinctione opus est. Si proximus qui gravi laborat spirituali necessitate, persona privata fuerit, tum vitam tuam præferre eiusmodi necessitati debes; dummodo tamen ex officio non tenearis: quia persona ope tua egens seipsam a gravi necessitate liberare valet. Quare si pater prostituere filiam velit, non teneris cum vitæ periculo occurrere: idque potissimum locum habet, cum incertus eventus sit. Quam ob causam non astringeris infideles adire populos, cum & fructus spes valde sit incerta, & alii sint qui eorum conversioni infundare valent. Si proximus gravi animæ necessitate pressus, communitas aliqua sit, tum exponere & bona, & vitam debes, ut illi suppetias feras, attenta tamen probabili fructus spe. Quoniam damnum grave commune privatæ vitæ præferendum est. Præterquamquod vix contingere potest ut in gravi communitatis periculo plures privati extrema non premantur necessitate. Quamobrem Concionatores publica vitia, & offendicula quæ populum inficiunt, arguere, & cohibere pro viribus tenentur. Et in hostili devastatione infidelium si nullus esset qui fidelibus sacramenta ministraret, aut si hæreticus in Catholicorum locis errores suos disseminaret; cum vitæ periculo & sacramenta ministrare, & errores confutare deberes. Quoniam tunc periculum grave commune fideles manet. Hæc omnia communia sunt. Suarez disp. IX. sect. I. n. 4. Bonacina disp. III. q. IV. punct. 4. n. 2. Salmanticenses tract. XXI. c. VI. n. 32. ubi laudant Salmanticenses Scholasticos, & alios.

XXVI. Porro si qui succurrere valet, vi sui officii, seu dignitatis ad id astringitur, puta quia est animarum curator, pastor, Episcopus, tenetur in gravi necessitate cum vitæ periculo populi sibi concrediti spirituali providere salutem. Quandoquidem si in extrema necessitate omnes devinciuntur titulo caritatis; in gravi, titulo iustitiæ tenentur pastores, & omnes qui ex officio præsumt. Ratio evidens est. Communitas, populus sibi pastorem eligit, illumque alit, & vestit, aut datis stipendiis conducit, non ut in extrema tantum necessitate sibi succurrat: quia tum omnes sibi succurrentes habet: unicuique enim Deus mandavit de proximo suo. Ergo contractus iustitiæ populi inter & pastores, seu superiores, iustus est, gravi etiam necessitate premeute. Hinc tempore peccati pastores tenentur regi suo cum vitæ periculo providere. An alios iustitiæ pastores valeant qui proprias vices implicant, alibi

discutietur: certum est enim tunc dimittere officium non posse. Interim quæ diximus, communia sunt; quemadmodum certum est omnes teneri succurrere proximo gravi animæ necessitate laboranti, dum id levi corporali damno præstari potest: quippe grave detrimentum spirituale in conspectu levis damni corporalis, superioris ordinis est, ideoque præferendum. Sacramenta quæ pastor cum probabili vitæ dispendio administrare tenetur, sunt sacramenta necessitatis, ut baptismus, & poenitentia; secus extrema unctio, & confirmatio.

XXVII. Quæst. XII. *Ut salutem spirituali proximorum consulas, potes ne te probabili periculo peccandi exponere?* Resp. Hæstenus egimus de iactura temporali quam quis pati tenetur, ut proximorum animabus suppetias ferat. Nunc inquirendum superest, teneamur ne cum periculo propriæ spiritualis salutis, alterius æternæ salutis providere.

XXVIII. Quæstionculæ propositæ affirmanter Dominicus Soto Lib. V. q. III. art. 6. responderet. Cum Soro sententiæ Suarez, Sanchez, Antonius a Spiritu sancto, Salmanticenses tract. XXI. cap. 27. Hanc opinionem absolute probare nequeo. Nam periculum probabile peccandi probabiliter peccatum inducit, Porro nunquam licitum est, ut supra diximus, peccatum aliquod perpetrare, etiam leve, ob totius universi lucrum. Ut ergo clara habeatur decisio; distinctione opus est. Aut illud periculum huius naturæ est ut omnibus inspectis fundamentum præbeat magis timendi lapsum illius qui succurrere debet quam sperandi victoriam; & tunc certum mihi est non posse te eiusmodi periculo obicere absque peccato. Quoniam qui amat periculum, peribit in illo. Periculum enim tunc formale esset. Aut maior, & probabilior est perseverantiæ, & constantiæ tuæ spes; & tunc subire forti animo periculum poteris, precibus & spe divini auxilii instructus. Et hoc est fortasse quod præfati Auctores intendunt. In hac enim positione periculum illud materiale evadit. Si porro æqualiter anceps sit lapsus, & victoria; tibi metipsum prius cavendum est; & tutius, in dubio potissimum, tuæ faventi possessioni feligere debes. Consentit huic sententiæ Franciscus Sylvius 2. 2. quæst. xxvi. art. 4. conc. I.

XXIX. Quæst. XIII. *Licitum ne est velle privationem gratiæ, seu caritatis, sive in perpetuum, sive ad tempus, ob aliorum salutem?* Resp. Nunquam id licitum est, nec per horam; etiam absque peccato id fieri posse potest. Qui nobis potius quam aliis divini amicitie bonum desiderare, & velle de-

bemus : alioquin magis hos quam nosmet-
ipfos diligere debemus. Insuper continenter dare
operam debemus ne gratia excidamus divina.

XXX. Quæst. XIV. *Licet ne velle carere
beatitudine in perpetuum, aut ad tempus ob
proximorum salutem æternam?* Resp. Com-
munis, & vera sententia negat licitum esse
velle in perpetuum carere beatitudine ob sa-
lutem proximorum : quia ordo caritatis pos-
tulat ut nostram salutem æternam aliorum
saluti præferamus. Quare talis voluntas esset
contra ordinem caritatis. Licitum vero est velle
ad tempus dilationem beatitudinis ob proxi-
morum salutem : quod patet exemplo D. Pauli
ad Philip. 1. *Coactor a duobus, desiderium ha-
bens dissolvi, & esse cum Christo: permanere
autem in carne necessarium propter vos.* Vide
D. Thomam hic in commentariis. Similiter
D. Martinus dixit : *Domine, si adhuc populo
tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat
voluntas tua.*

XXXI. Quæst. XV. *Licita ne est omisso
bonorum spiritualium huius vite, qua homi-
nem efficiunt meliorem, quibusque sine pecca-
to carere possumus, ob proximorum salutem?*
Resp. Id licere videtur : quia non obligamur
ad opera meliora omnia quæ facere possumus,
potissimum dum urget aliorum necessitas.
Hinc licet interdum abstinere ab opere non
præcepto, ex quo proficere posses. Quare D.
Thomas infra q. xliii. art. 7. docet, aut
differenda, aut occultanda opera nostra spi-
ritualia libera ob proximi salutem. Hac ra-
tione quis aliquando statum matrimonialem
assumere tenetur, ne regnum ad hæreticos
devolvatur; opera misericordie differenda sunt,
ut in firmorum vitetur offendiculum; omitten-
dus ingressus in religionem, ut parentum ino-
piæ provideatur. Ita docet Franciscus Sylvius
2. 2. q. xxvi. art. 4. *concl. 4.* Hæc autem
mihi partim vera, partim falsa videntur.
Vera sunt ea parte qua asseritur omittenda
esse eiusmodi opera spiritualia, aut differen-
da ob proximorum spiritualem salutem. Falsa
mihi apparent, quatenus dicitur, talium
operum omissionem spirituale detrimentum
inducere. Verum quidem habet eiusmodi o-
pera caritatem augere, illorumque omissionem
spiritualis profectus quamdam inducere
iacturam absolute, & genere suo. Ceterum
si recensita opera ob finem sanctum proximo-
rum æternæ salutis providendi negligantur;
ipsi actus quibus talis omisso operum delibe-
ratur, & statuitur, sunt actus caritatis, qui
continuo caritatem augent. Quare vera mihi
videtur sententia Francisci Suarez asserentis

disp. ix. sect. 1. n. 9. licitum non esse velle
detrimentum spirituale, quod licet culpam
non includat, minuit tamen caritatem, seu
impedit meritum augmentum : quia tale
detrimentum nec est per se amabile, nec ad
aliorum salutem ordinari valet : & caritas
inclinat ad sui perfectionem, secus ad id quod
hanc perfectionem impedit. Quando vero o-
mittuntur opera quæ natura sua tendunt ad
augmentum caritatis ob finem pium adiuvandi
proximum; tunc augmentum caritatis, & me-
ritum, quod ex operibus externis confurge-
ret, obtinetur ex actibus internis quibus pro-
ximorum salus comparari curatur.

XXXII. Tandem eorum bonorum quæ
non faciunt hominem meliorem, licitum est
velle iacturam propter proximorum utilita-
tem; quin interdum homo ad id obligatur.
Sic potest quis interdum velle carere gratis
quæ gratis data vocantur, cum id ad salutem
proximi conducit. Hac ratione tenetur quis
aliquando omittere studium, contemplationem
Scripturarum, iacturamque facere suæ do-
ctrinæ, eloquentiæ, & eruditionis propter proxi-
morum utilitatem, ut docet Sylvius *loc. cit.*

XXXIII. Quæst. XVI. *Qui sunt in di-
lectione preferendi?* Resp. Cum diversi sint gra-
dus propinquitatis, qua nobis proximus noster
iungitur, non raro contingit ut unus præ alio
diligendus sit. Porro inquit S. Thomas 2.
2. q. xxvi. art. 6. *Cum principium dilectionis
sit Deus, aut ipse diligens; necesse est quod
secundum propinquitatem maiorem ad alterum
istorum principiorum maior sit dilectionis affe-
ctus.* Ille ergo proximus qui altero horum
principiorum, nempe Deo, aut tibi, propin-
quior est, ceteris paribus, preferendus est.
Advertendum autem, quod obligatio servandi
hunc ordinem prælationis tunc sit gravis quan-
do urget extrema necessitas succurrendi alteri-
tri proximorum. Si enim necessitas aut levis,
aut gravis tantum est, turbatio ordinis non
erit mortalis absolute loquendo. Spectanda
enim semper sunt circumstantiæ. Primum igitur
omnium succurrendum est patri, & ma-
tri, equali necessitate urgente. Idque vincit
D. Thomæ axioma : Parentes sunt nobis ma-
gis coniuncti. Hæc quippe coniunctio prima
est, naturalis, immobilis, in ipsa natura fun-
data. Maior ergo est omnibus supervenienti-
bus coniunctionibus. Ergo ceteris preferendi
sunt. Pater preferendus matri est, quod sit
nobilis principium. Primum ergo omnium
parentibus succurrere debes in pari necessitate :
quia debitum contractum cum parentibus præ-
cedit quodlibet debitum posterius. Sub alia
tamen

tamen consideratione uxores, & filii præfe-
rendi parentibus sunt, inquit Angelicus *art.*
9. & 11. Uxor quantum ad amorem inter-
num, & cohabitationem, cum sit una caro
cum marito, omnibus præferenda est : quæ
prælatio non impedit priorem ordinem respec-
tu parentum. Filii etiam comparate ad pa-
trem diligentem preferendi sunt parentibus.
Alio modo (inquit Angelicus) *comparatur gra-
dus dilectionis ex parte ipsius diligentis : &
sic magis diligitur quod est coniunctius, &
secundum hoc filius est magis diligendus quam
pater . . . quia parentes diligunt filios ut
aliquid sui existentes. Pater autem non est
aliquid filii.* Parentes ergo, & filios præferre
debes amicis, benefactoribus, magistris, ce-
terisque omnibus ob rationem datam, quod
illorum coniunctio naturalis, & prima est.
*De coniunctis in secundo gradu, ut sunt fra-
tres, absolute præferendos esse ceteris minus
propinquis, convenit inter Theologos.* Ban-
nex 2. 2. q. xxvi. *art. 8. dub. 1. concl. 3.*
contendit talem reperiri posse benefactorem
qui præferri debeat fratri carnali. Difficile ego
adducere ut id concederem. Coniunctio fra-
trum prior, & naturalis est, quæ vincit nequit,
ceteris paribus, a posteriori coniunctione per
beneficium contracta. Idque communi sensu
confirmatur. Nemo enim amicorum, vel be-
nèfactorum maximus tantum sibi iuris in ami-
cum vindicat, ut præferri velit sui amici fra-
tribus. Prælatio fratrum iure naturæ intelli-
gitur relate ad amicos, & benefactores.

XXXIV. Ceteri consanguinei, qui sunt
propinquiores, præferri in equali necessitate
debet minus coniunctis. Affines postponendi
sunt consanguineis. Sancti præferendi sunt
peccatoribus, fideles infidelibus, amici inimi-
cis, benefactores non benefactoribus. Con-
cives, seu conterranei extraneis, benefactores
amicis, & sodalibus; spirituales benefactores
terrenis anteponi debent : spiritualis liquidem
cognatio præferri debet cognationi carnali.
Quapropter contendunt non pauci, patrem
debere potius gregem suum in extrema neces-
sitate spirituali constitutum iuvare quam pa-
trem suum in eadem necessitate positum, &
saluti spirituali ovium potius quam cognato-
rum invigilare. Casus isti vix unquam oc-
currunt. Ceterum si occurrerent, salutem
patris ceteris omnibus præferendam esse exi-
stimo. In negotiis, tamen religionis, & patriæ,
religio, & patria patri salutem anteponenda
sunt. Audi quid lumine naturali pertusus scri-
bat Tullius Lib. III. *Offic. c. ix.* *Quid si
pater sum expilet, cuniculos agat in æranum,*

*indiget ne id magistratibus filius? Nefas id
quidem est : quin etiam defendat patrem, si
arguatur. Non igitur patria præstabit omnibus
officiis? Immo vero. Sed ipsi Patriæ conducit
pios habere cives in parentes. Quid si tyran-
nidem occupare, si patriam prodere conabitur
pater? Silebit ne filius? Immo vero obsecrabit
patrem ne id faciat : si nihil proficiet, accu-
sabit, minabitur etiam : ad extremum si ad
perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem
anteponet saluti patriæ.*

CAPUT VI.

*De inimicorum dilectione. Quid in veteri lege
Deus, quid in nova Christus præcipiat?*

I. **T**amet si in præcepto caritatis proxi-
mi amandi includitur inimicorum
amor, quod inimici proximi nostri sint; nihilo
secius sigillatim discutienda est dilectio isthæc
ob peculiarem quam secum defert difficulta-
tem. Et ut magis perspicue id præstem, in
duos tribuo paragraphos caput istud. Quid in
veteri primum, quid in nova lege Deus præ-
ceperit, secundo disquiram.

§. I.

*Quocumque tempore, tum legis natura, tum
legis scriptæ, dilectio inimicorum vis
præcepti necessaria fuit.*

II. **E**T ut a lege naturali auspicemur,
cuiusque menti impressum illud axi-
oma est : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne fe-
ceris.* Quis autem est qui odio ab inimico
haberi velit? Accedit quod, hominum socie-
tate posita, adeo necessaria est inimicorum
dilectio, ut ea sublata, occidat in nihilum
humanum genus necesse est. Fac enim lici-
tum sit, quin & imperatum, si ita vis, ini-
micorum odium. Quid tum? En patrem in
filios, filios in patrem; uxorem in maritum,
maritum in uxorem; subditos in Principes,
in subditos Principes gladium stringere, insi-
dias struere, parare venena, captare arma.
En genus humanum universum mutuo sese
fraudibus, dolis, persecutionibus nunc occul-
tis, nunc manifestis insectari. En cives, pa-
rentes, fidos amicos invicem sanguinem sibi
effundere, vitamque eripere. Siquidem hu-
manarum cupiditatum perturbatione, homi-
numque inclinationibus, ingeniis, desidera-
tionibusque oppositis, ac invicem pugnantibus
spectatis, fieri nequit quin in mutuo commer-
cio frequentissime iræ, odii, aversionis, &
inimicitiarum occasiones occurrant. Nisi ergo
ratio moderetur, & coerceat iræ furorem,
odii intestini molimina, atque rixarum im-
petus,

patus, vicissim sese homines trucidabant; & splendidissimum mundi theatrum, quod, ut hominum inhabitationi, nutritioni, & oblectamento inferviret, Deus condidit, in generis humani lugubre, funestumque sepulcrum converteretur: hominesque illi quos, ut propagationi vacarent, creavit Deus, sicarii, carnificesque suorum ipsorum crudelissimi efficiuntur. Ergo, semelposito quod impune, & licite possunt homines se odio habere, licitum illis erit universi generis humani carnificinam sistere, & anhelare. Quis itaque negare ausit privatam vindictam in universi decidere iacturam? Ergo tam necessarius est inimicorum amor, iniuriarum oblivio, odii interioris extinctio, quam necessaria est humanae societatis, ac totius mundi conservatio.

III. Unaquæque res, inquis, quod sibi obest, odit, atque forti impetu rapitur ad id quod sibi nocet, propulsandum. Verum habet: aqua extinguere ignem nititur: ignis adversus aquam flammam emittit: bruta etiam beligerant, pugnant, suisque utuntur armis, quibus quæ sibi noxia sunt, repellant. Quid inde? An ne quia bruta cæco furore, & naturali impetu abripiuntur in ea quæ sibi inimica sunt, colligere hinc licet argumentum quo evincatur hominibus bruta imitanda esse in vindicandis iniuriis, in ira explenda, in furore saturando? Qui sic ratiocinaretur, in bruta animantia homines ratione præditos transmutaret. Ut quid lumen illud rationis super cuiusque mentis vultum signavit Deus, nisi ut homines suos effrenes appetitus coercerent, ac rebellantium passionum tumultum sedarent? Sed quid ultra provehor? Nonne Ethnicorum Sapientes omnes virtutis loco semper habuerunt iniuriarum veniam, & e contra vindictam vitis, & feritati accensuere? Non vacat istorum effata exscribere. Audi unicum Tullium, qui diis simillimum prædicat Cæsarem ob animi magnitudinem, qua iniurias ab inimicis eidem illatas condonabat, easque obliviscatur. *Oblivisci nihil soles nisi iniurias . . . Videte ne erretis qui Cæsarem vestris inimicis iratum fore putetis, cum ignoverit suis . . . Nihil est enim tam populare quam bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior misericordia est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis conservare quamplurimos.* Lege integram. hanc pro Licinio ad Cæsarem orationem, ut inde argumenta haurias quibus vi luminis na-

turæ suadeas concedendam inimicis veniam. IV. Ad legem scriptam Moysis quod attinet, quidam opinati sunt, ut Maldonatus, legem veterem iussisse inimicorum vindictam. Quod ut evincant, textum opponunt Matth. v. *Audistis, quia dictum est antiquis: Dilige proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Verum hoc textu abutitur Maldonatus, atque in sensu illum usurpat ab omnibus Patribus reprobato. Quod ut evidenter ostendam, primum textus ipsius veteris testamenti, deinceps interpretationes quibus laudatum evangelicum textum Patres exponunt, promam.

V. En veteris testamenti axiomata. Lev. xix. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo . . . Non quæras ultionem, nec memoreris iniuria civium tuorum.* Deuter. xxxii. *Mes est ultio, & ego retribuam.* Eccli. xxviii. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.* I. Reg. xxiv. *Non extendam manus meas ad eum, quia Christus Domini est.* Prov. vii. *Qui in ruina letatur alterius, non erit impunitus.* & cap. xxiv. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum.* Eccli. x. *Omnis iniuria proximi memineris, & nihil agas in operibus iniuria.* Hæc adeo perpicua, & obvia sunt, ut nullo valeant elevari commento. Nunc exscribendæ sunt Patrum auctoritates evangelicum textum interpretantes.

VI. D. Thomas omnium Patrum, quos incredibili studio revolvit, voce exponit textum Matthæi in III. dist. xxxi. q. 1. art. 1. ad 2. *In veteri lege etiam homines tendebant ad dilectionem inimicorum, sicut patet per auctoritatem. Unde quod dicitur, Odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in littera inventum; sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant quod inimici erant odendi.* Hoc idem repetit I. 2. q. cvii. art. 2. ad 2. *Circa odium inimicorum removet Christus falsum Phariseorum intellectum, nos monens ut persona non odio habeatur, sed culpa.* Interpretationem hanc genuinam Angelici confirmat evangelici textus litteralis discussio. Quippe sacer Evangelista Matthæus non asserit in lege veteri concessam Judæis fuisse iniuriarum ultionem; sed admonet dictum esse antiquis &c. Dictum, inquam, & vulgatum fuerat inter Judæos, quorundam prava, & erronea Scribarum, seu Doctorum interpretatio-

tione, odio inimicos habendos. Verum nullus legis textus afferri potest quo id ostendatur.

VII. Porro, ut Maldonati impudentia comperatur, qui eo ausus suos protulit ut scripturæ, vir alioquin perdoctus, D. Thomæ interpretationem ex hæreticorum officina depromptam esse, D. Augustini sententia hoc de argumento exscribenda est. Porro S. Doctor hæc scribit Lib. XVIII. contra Faustum Etor hæc scribit Lib. XVIII. contra Faustum cap. xxiv. *Non est contrarium quod in antiqua Scriptura dictum est: Oderis inimicum tuum: & in Evangelio: Diligite inimicos vestros: quia unusquisque iniquus homo, in quantum autem homo, diligendus. Audito igitur, & intellecto, quod antiquis dictum erat, Oderis inimicum tuum, ferebantur homines in hominis odium, cum deberent non odisse nisi vitium. Hoc corrigit Dominus dicendo: Diligite inimicos vestros: ut qui iam dixerat: Non veni legem solvere, sed adimplere. Ideoque de odio inimici quod scriptum est in lege, non solverat, præcipiendo utique ut diligamus inimicos; sed cogebat nos intelligere quod possumus unum, eundemque hominem & odisse propter culpam, & diligere propter naturam.*

VIII. Obiicies. Deut. xxv. præcipitur Israelitis ut iniuriam ab Amalecitis illatam ulciscerentur, eosque usque ad internecionem deleverent: *Delebis nomen eius sub celo; cave ne obliviscaris.* Ergo odium inimicorum in veteri lege præceptum erat. Resp. Deus, ut supremum scelus vindex, bello iusto, publicaque auctoritate, populi inimici, & adversus veram religionem infesti iniquitatem castigandam imperavit. Privatam vindictam, privatamque personarum odium vetitum a Deo dicimus; nec propterea iustitiam vindicantem crimina societati infesta de medio tollimus.

IX. Nec verum habet quod Maldonatus comminiscitur, inimicitias Judæis vetitas inter confratres mosaicam legem profitentes, secus cum exteris. Hæc quippe interpretatio commentitia est, & repugnans Scripturæ sanctæ. Textus enim vetantes absoluti sunt, ut patet ex his quos produxi, & aliis qui afferri valent. Exod. xxiii. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum: & si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum eo.* Et Proverbo. xxv. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da ei aquam bibere.* Hæc, & alia similes locutiones absolutæ, & indefinitæ non possunt, nisi pro libito, ad solos Judæos restringi. Neque negotium faceffit quod Maldonatus reponit, in Hebræorum codicibus *Conc. Theol. Tom. I.*

reperiri legem expresse odium permittentem, non Phariseorum, Scribarumque malitia depravatam, sed ab ipso Deo latam. Negamus liquidem cum D. Thoma, uspiam in Scriptura authentica talem reperiri legem quæ odium privatum hominum permittat: id quippe legi naturali, ut vidimus, repugnat. Quod si tibi hæc non aridet responso, alteram accipe Augustini inquitentis, legem iubere odium inimici, quatenus inimicus est, seu, ut aiunt, reduplicative: verbo, odium iniquitatis; secus hominis qui alioquin est inimicus. Quoniam inimicitia non amoris, sed odii obiectum est. Homo vero, qui est inimicus, quia proximus noster est, quia imaginem Dei præfert, amoris nostri particeps esse debet.

§. II.

In Evangelio præceptum haberi iubens inimicorum dilectionem, de fide est.

X. Nullum est inter Catholicos dissidium super præcepto dilectionis inimicorum. Conceptis liquidem verbis Servator noster divinus hanc iubet dilectionem tum interiorem, tum externam. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in calis est.* Matthæi v. Hæc verba explicans Augustinus *serm. lxxviii. de temp. hæc scribit: Dominus in Evangelio, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum.* Non est ergo quod in evincendo præcepto inmoremur; sed momenta potius quæ ad exequendum mandatum permovent, allucinantque, indicanda sunt.

XI. Antequam vero id præsto, temperare mihi haud valeo quin impudentissimam calumniam quam Doctoribus catholicis impingit Calvinus Lib. II. *Instit. cap. viii. num. 56.* lectorum oculis subiiciam. Nec enim parum confert ad declarandam rabiem, furoremque quo in Catholicos agitabatur. Omni ergo exuta fronte ausus est in publicum evulgare, Theologos nostros legem diligendi inimicos abrogasse, atque præceptum hoc gravissimum inter consilia amandasse. En illius verba: *Quapropter pestilentissime vel ignorantia, vel malitia fuit quod Scholastici ex præceptis de non appetenda vindicta, de diligendis inimicis, quæ & omnibus olim Judæis tradita fuerunt, & tum omnibus in communi Christianis tradebantur, consilia fecerunt, quibus parere, vel non parere liberum esset. Eorum autem necessariam obedientiam ad Monachos relegarunt: qui vel hoc uno simplicibus Christianis essent*

infiores quod ultro se servandis consiliis obstringerent. Et rationem assignant, cur ea non recipiant pro legibus, quod onerosa nimium, & gravia videantur, Christianis præsertim, qui sunt sub lege gratis. Ita ne legem Dei æternam de diligendo proximo resgere audent? Ita ne pudorem amisisti, ita ne frontem fregisti, ut tantam imposturam nobis affingeres? Dubitare quisque iure valet, maiori ne stupiditate, an impudentia, maiori ne furore, an malignitate commentum istud evulgaveris? Iste ne caritatis tuæ fetus in tuos inimicos, quos Papistas compellas? En qualem impostorem venerentur Calvinistæ, eique tamquam novo Legislatori fasces submittant. Nonne ex his apertissimis calumniis suum præstigiatorum dignoscere debent? Sed ad nostra revertamur.

XII. Difficilem humanitati nostræ inimicorum dilectionem esse nemo est qui non fateatur. Porro ut hanc nobis deliniret difficultatem, Salvator noster suam interposuit primum auctoritatem: *Ego autem dico vobis. Supremo Domino præcipiente parendum est. Gratiam impertitur, qua, ira pulsa, amor accendatur. Lumen siquidem nobis infundit quo in ipso inimico nostro fratrem meditemur, & ipsiusmet Dei imaginem veneremur. Gratiam donat, qua debilitatem erigit, fortitudinem tribuit, corque in amorem accendit. Præmia subinde maxima proponit. Et primum remissionem offensarum quas nos suæ infinitæ maiestati irrogavimus, spondet ipsius Matthæi voce: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester celestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Præter peccatorum remissionem suam divinam filiationem spondet: *Ut sitis filii Patris vestri qui celis est.* Tandem exemplo suo quo veniam tortoribus suis a Patre impetravit, ad hanc nos pertrahere dilectionem admittit.

XIII. En ergo in compendium redactas rationes quibus homines ad inimicorum amorem permoveri debent. Necessitas nutui amoris, sine quo nec societas, atque adeo nec mundus iste consistere posset: auctoritas Dei non modo ut supremi Domini, sed ut benefactoris, creatoris, conservatoris, redemptoris, patris, & magistri præcipientis: præmium remissionis culparum nostrarum, filiationis divinæ, & hereditatis æternæ. Postquam hæc omnia sacra, gravi, & flebili quodammodo eloquentia exposueris, ut devocent e caelo oculos suos homines, impera; atque ut in infernum apertum cogitationes coniciant iube:

supplicia atrocissima vindicatoribus parata cursum indica: & postremo, illic obstinatis relictis, rursum cum amatoribus Dei in cælum spem erige præmium assequendi quod paravit Deus diligentibus eum, proximumque.

XIV. Quæ dicta sunt, paucis Augustini sententiis confirmare iuvat. Primum magnitudinem præmii cum gravitate præcepti comparat serm. cccxvii. de diversis. *Grave præceptum; sed grande præmium. Audisti opus, expecta mercedem. Numquid dictum est nubibus: Pluite super agros cultorum meorum, & recedite ab agris blasphematorum meorum? Numquid dictum est Soli: Videant te qui me colunt, non te videant qui mihi maledicunt? Exemplum mox subiicit ipsius Redemptoris Qui amator inimicorum suorum in mundum venit, omnes profusus inimicos suos invenit, neminem amicum invenit. Pro inimicis sanguinem fudit; sed sanguine suo inimicos convertit, delendo peccata ex inimicis amicos fecit.* Plura hic, & alibi hoc de argumento persequitur, & serm. cccxiii. de temp. sic alloquitur Christianum: *Quid vis? Vindicari? Vide pendentem, & tibi de ligno, tamquam de tribunali, præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis. Vide pendentem, audi precantem: Pater ignosce illis.*

CAPUT VII.

Consecraria, & regula servanda in dilectione inimicorum.

I. Consequitur ergo primum ex iis quæ dicta sunt, amandus inimicus esse amore tum interno, & affectivo; tum externo, & effectivo. Noverat Dominus facillime nos ementiri posse interiori dilectionem, nobisque ipsis illudere, amorem appellantes aut occultum livorem sub cuiusdam zeli furore latitantem, aut crudelem illam indifferentiam, qua iactamus nec bonum, nec malum inimicis nos velle: idcirco non modo interiori affectum, sed exteriori præcipit beneficentiam quæ interioris affectus argumentum est. *Benefacite illis qui oderunt vos. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*

II. Consecrarium secundum. Cum facile sit odium intestinum variis coloribus fucari, & in intimo cordis recessu anguis intar latitare, quisque cavere sibi debet ne in re tanti momenti semetipsum decipiat. Cor nostrum difficillime suspensum hæret amorem inter & odium. Nos ipsi, flamma quæ intus ardet, sit ne odii, an amoris igne succensa, dignoscere

scere interdum vix possumus. Et cum mortaliter delinquendi periculum sit, securiorem in tam gravi dubio partem eligere debemus. Quæ consulto præmitto ob innumeras præfessiones, & subtilitates excogitatas ad vim istius præcepti extenuandam. Quemadmodum enim amorem erga Deum in nihilum pene redegerunt non pauci recentiores, scribentes, nos non teneri interiori affectu Deum diligere; sic dilectionem inimicorum de medio sustulerunt, docentes, divinum mandatum haud iubere internum amoris actum erga inimicos. Quæ opiniones proscriptæ nunc sunt. Ut securas ergo istius dilectionis regulas habeas, sequentes quasi vinculas proponam: quoniam non omnes particule quæ in divino mandato continentur, semper vi præcepti obligant. Rursum præceptum divinum affirmativum, & negativum est. Omnia ergo perspicue discutienda sunt.

III. Quæst. I. *Quid imponit præceptum ut affirmans est: quid vetat ut negans?* Resp. Præceptum ut affirmativum iubet tum interiori dilectionem, tum exteriori beneficentiam, iuxta tamen conditionem, & naturam præcepti affirmativi; quod licet semper, non tamen pro semper obligat. Quatenus negativum est, semper, & pro semper urget, ita ut nunquam liceat, vel ad momentum, libero animo odio habere inimicum. Vi istius præcepti tenemur omnem vindictæ affectum deponere, offensam ex corde remittere, nullum inimico malum velle ob offensam acceptam.

IV. Quæst. II. *In quo situs est, & quid comprehendit hic affectus, quo diligere inimicum debemus?* Resp. Affectus iste situs est in amore universali, quo proximum diligere tenemur propter Deum: ab hoc siquidem universali amore in proximum excludere licite inimicos non possumus. Angelicus hoc explicat 2. 2. quæst. xxv. art. 8. *Dilectio inimicorum tripliciter considerari potest. Uno quidem modo, ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici; & hoc est perversum, & caritati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in universali; & sic dilectio inimicorum est de necessitate salutis, ut scilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; & istud non est de necessitate caritatis absolute, quia*

nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate caritatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicum diliget, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis. Duo ergo tamquam certa statuit Angelicus. Primum, in amore generali erga proximum includendos esse inimicos; alterum necessitatem esse animi dispositionem, & promptitudinem ad peculiarem inimici dilectionem, necessitate urgente.

V. Quæst. III. *Licitum ne est excludere inimicos a generali dilectione, seu oratione facta pro communitate aliqua ex mera liberalitate?* Resp. P. Arriaga 2. 2. disp. xxxix. sect. 1. quæst. iv. num. 17. censet non peccaturum eum qui vellet preces suas sibi tantum bene affectis prodelle. In eandem opinionem inclinat Leander tract. iv. disp. iv. quæst. v. dummodo beneficia non sint debita, sed solum ex pura liberalitate collata. Hæc, ut ego quidem arbitror, technæ sunt quibus odium intestinum tegitur. Idcirco, missis eiusmodi nimium periculosis speculationibus, dico, nunquam licitum esse excludere inimicos a communi dilectione, & beneficentia. Et, si alia rationes deessent, sufficeret ratio vitandi periculum quod id fiat ex occulto odio nobis ipsis incognito. Nec refert quod beneficium gratuitum sit, & liberale. Eo ipso enim quod confertur communitati, non apparet cur inimici excludendi sint. Nulla quippe ratio talis exclusionis assignari potest, nisi ipsa inimicitia. Inimicitia autem odium concitat. Ergo exclusio illa ex odio proficisceretur.

VI. Quæst. IV. *Quenam benevolentia signa inimicis exhibenda?* Resp. Duplicis generis. Alia generalia sunt, quæ omnibus exhibentur; & hæc vi præcepti semper debentur. Alia sunt specialia, quæ non semper, sed aliquando tantum sub præcepto cadunt. Ita docet Angelicus 2. 2. quæst. xxv. art. 9. *Effectus, & signa caritatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicum, in communi quidem est de necessitate præcepti absolute; in speciali autem est non absolute, sed secundum præparationem animi, ut supra dictum est. Sic ergo dicendum est de effectu, & signo dilectionis exterius exhibendo. Sunt enim quedam signa, vel beneficia dilectionis quæ exhibentur proximis in communi: puta, cum aliquis orat pro omnibus si-*

delibus, vel pro toto populo; aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ, contra id quod dicitur Lev. xix. Non quæres ultionem, & non eris memor iniuriæ circumstantiorum. Hinc evidenter constat opinionem Arriagæ, Leandri, aliorumque recentiorum, cuius num. præced. meminimus, iuxta D. Thomam, & ut mihi videtur, secundum veritatem, falsam esse, nimiumque laxam. Sed quæ subdit Angelicus persequamur. *Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis; & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate præcepti, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet subveniat eis in articulo necessitatis, secundum illud Proverb. xxv. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum.*

VII. Quæst. V. Urget ne præceptum salutandi inimicum obvium occurrentem, illum alloquendi? &c. Resp. Dissident super hac quæstione Theologi. Pro sententia negante præcepti obligationem Leander loc. cit. laudat D. Thomam, Bannez, Caietanum, Trullenchum, Dianam, Suarez, Palaum. Pro affirmante La-Cruz, Lorcam, Granados, Azorium, & alios. Immerito citatur D. Thomas pro priori opinione. Bannez secundam opinionem defendit. Paucis quod verum, & tutum est, & in quod omnes consentire debent, exponam. I. Salutatio, & colloquium absolute non sunt signa communia proximis debita. Nonnullis in urbibus homines occurrentes minime salutantur; multo minus in colloquium conveniunt. Absolute ergo, & per se nec salutare, nec alloqui inimicos vi præcepti tenemur. II. Si alicubi mos obtinet ut indiscriminatum homines sese saluent, ibi salutandi inimicos præceptum urgebit. III. Si ante inimicitias mutua intercedebat salutatio; etiam post dissidium & rixam eadem communia, quæ precedebant, signa consistere, & peristere debent. IV. Salutatio, & allocutio, licet absolute communia non sint, possunt tamen communia esse inter consanguineos, cognatos, amicos, sodales eiusdem cœtus, collegii, & communitatis: & tunc, si quis istorum alicui inimicus evadit, ab eiusmodi communibus signis excludendus non est. V. Si plures occurrentes amici salutarentur, excluso inimico, qui inter illos reperitur; signum esset odii, animique irati, scandalumque contingeret. VI. In eiusmodi eventibus

non illico damnandus peccati mortalis odii qui hæc signa omittit; sed circumstantiæ expendendæ serio sunt: & duo præcipue discutendæ, videlicet animus interior, & scandalum quod consequitur. Advertendum tamen, non omne scandalum peccatum letale esse. Non raro hæc salutatio, & allocutio omittuntur, non odii causa, sed ob quamdam verecundiam, timorem, & animi vilitatem. Interdum neuter ea animi fortitudine pollet ut prius esse velit ad exhibenda signa benevolentiae. VII. Hæc signa salutationis, & allocutionis necessaria vi præcepti sunt, quando deprehenduntur opportuna, & efficacia ad placandum inimicum, odiumque aut a se, aut ab hoste exterminandum. VIII. Salutantem resalutare debitum est, quod negligi absque gravi culpa nequit, si advertenter, & deliberato animo omittatur. Venditio mercium, collatio elemosynæ, & cetera eiusmodi communia officia quæ omnibus exhibentur, negari absque culpa inimicis nequeunt. IX. Noli in his præstantis esse nimis iustus; sed liberalis esto, memor quod eadem mensura qua mensus fueris, remittendus eris. Si abundantem misericordiae divinæ mensuram exoptas, dives esto in dilectione inimicorum.

VIII. Quæst. VI. Licetum ne aliquando est inimicum non salutare? Resp. Odii causa numquam licitum est. Licite vero Theologi docent. I. Ob delicti punitionem, si is salutationem negat, auctoritate polleat indicandi iniuriam, ut sunt superiores, iudices, ut exemplo Davidis renuentis excipere ante conspectum suum Absalonem (II. Reg. xiv) pater. II. Dum caritas erga inimicum, aut erga semetipsum fidem suadet; puta, si ex superiore vultu, & negatione salutationis, & colloquii speratur inimici emendatio, aut aliquis spiritualis profectus. III. Cum prævidetur, eiusmodi officia accipienda ab adversario in signa contemptionis, & vilipendii. IV. Quando delictum proximi est valde enorme, & publicum, negari licite potest colloquium, salutatio &c. in signum detestationis, & abominationis. Aliquando non licet modo sed oportet etiam talia negare officia, ne si exhibeantur, conniventiae suspiciones præbeantur, iuxta illud Ioannis Evangelistæ Epist. II. vers. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non assert, nolite recipere eum in domum, nec ei Ave dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis. Quod axioma de hæreticis intelligitur; applicari vero, magna tamen moderatione, potest aliis qui hæreticis simillimi sunt. Hæc

ta-

tamen officiorum communium suspensio illicita esset, si opportuna ad lucrum spirituale inimicorum agnosceretur. V. Pater, mater, patresque familias iuste denegare salutationem, locutionem, aliaque benevolentiae paternae officia filiabus, & filiis qui aut incongruum matrimonium invidis parentibus iniere; aut aliqua alia turpi, & infami actione familiam dehonestarunt. Possunt eiusmodi parentes domo filios pellere, aliis filiis, & domesticis præcipere ut officia præfata illis denegent; dummodo tamen duo observentur: alterum quod non odii, sed iustæ punitionis causa id fiat, alterum quod vindicta non excedat gravitatem delicti. Neque enim hæc officiorum suspensio perpetua esse debet: sed temporaria; plus minusve iuxta criminis gravitatem. Finis etiam istius vindictæ sit oportet exemplum aliorum, ut horrorem concipiant in similia delicta. Post factum tamen parum profunt similes punitiones, sed frequentissime nocent, primum parentibus, qui tristitiæ segetem sibi comparant, dum irato animo indulgent; deinde filiis, qui hinc exasperantur, & ad iram provocantur. Prudentia ergo non vulgari uti Confessarius debet, ne aut severius parentes obliget ad hæc præstantia officia, aut laxius illis indulgeat secretum odium foventibus. In his eventibus non est exaggerandum præcepti debitum, & obligatio: sed evangelicæ caritatis momenta, & elogia ob oculos sistenda sunt; moderata, opportunaque persuasione inducendi ad mutuam caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum. VI. A peccato gravi in istorum suspensione signorum excusatur frequenter. 1. Inadvertentia, seu mentis distractio. 2. Parvitas materiae, vel moræ, ut si brevi intervallo hæc officia suspendas: non quod vel per instans odium licitum sit; sed quod turbatus animus aptus non est ad eiusmodi signa exhibenda. Physica enim turbatio vitari nequit. 3. Significatio iusti doloris ob perceptam iniuriam. P. Sporer tract. iv. cap. 6. sect. 2. num. 2. ex Diana, & Hurtado alias iustæ excusationis rationes adducit, ut si quis absque gravi incommodo honoris nequit hostes salutare, vel quando iniuria gravis est, puta cum quis appellatur fur &c. Hæc tamen absolute non sunt probanda; maxime quod ob prætextum obnubilandi honoris salutatio, vel locutio consueta suspendatur. Vani, mundanique enim sunt eiusmodi prætextus.

IX. Quæst. VII. Dup. Religiosi eiusdem Cœnobii, orta rixa, omittunt consuetam salutationem, & locutionem: peccant ne mortaliter? Resp. Adfirmant Tamburinus Lib. V. cap. 1. §. 3. num. 13. Sporer tract. 11. cap. 6. sect. 11. num. 30. Addit Tamburinus, cui de more subscribit Sporer, excusari illos posse a culpa gravi, si probata eorum virtus compta esset. Verum suspecta mihi evaderet eorum virtus vel ex hoc quod mutua eiusmodi consueta officia omitterent. Brevitas temporis, levitas dissidii, & aliæ circumstantiæ possunt interdum a gravi excusare culpa. Probata inimicorum virtus satis minime est ad purgandam a crimine eiusmodi omissionem.

X. Quæst. VIII. Nobilis Marrona occisorem mariti salutantem resalutare renuens, peccat ne mortaliter? Resp. Negat Sporer loc. cit. num. 32. absolute loquendo, tamen addat omnibus modis consulendam resalutationem. Adfirmans mihi est probabilior sententia. Circumstantiæ tamen occurrere possunt quæ aliquando excusent a gravi: puta brevis temporis, ut si resalutatio statim a morte mariti, dum dolor mentem occupat, facienda esset. Tanta tamen potest occurrere animi debilitas, ut consultius aliquando sit occursum evitare inimici.

XI. Quæst. IX. Offensus, dum salutatio debita est, tenetur ne inimicum offensorem officio prevenire? Resp. Quando offensus eiusdem status & conditionis est cum offensore; eum officio salutandi, & alloquendi prevenire non attingitur vi præcepti. Hæc quippe preventio inter æquales non cadit sub debito, etiam inter amicos, & multo minus inter inimicos. Recordari tamen debemus quod scripsit Apostolus Rom. xii. vers. 10. Caritate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prevenientes. Quod consilium vim præcepti induit, si preventio apta agnoscat ad conciliandum inimicum, vel si ex omissione officii scandalum occurreret. Si inimicus sit altioris conditionis, & status, vi cuius ante ortam inimicitiam officia prevenire solebas; id præstare attingeris etiam post acceptam offensam. Si denum inimicus sit inferioris conditionis, offensus non tenetur illum prevenire; cum neque ante dissidium ad hanc preventionem teneretur. Circumstantiæ tamen inspicendæ semper sunt, & expendendæ. Sed, quæso, ne confundas internam dilectionem cum externæ benevolentiae signis. Illa semper sit prompta oportet, hæc pro temporum circumstantiis.

XII. Quæst. X. Peccat ne mortaliter qui inimicum salutantem non resalutat? Resp. Si qui salutationem ab altero suscipit, sit periona dignitatis valde superioris, ut Dux, Prin-

Princeps, dominus, pater, non peccat omitendo respondere salutationi sibi factae; dummodo nec odii instinctu id oriatur, nec scandalali occasio derur; sed ob honestam causam iustae punitionis id fiat. Difficile tamen est ut haec inurbanitas a quavis culpa immunis sit. Si persona salutata sit aut equalis, aut non multum altioris gradus; dubio procul mortaliter peccat si salutantem inimicum non resalutat. Omissio quippe resalutandi contempionem praefert inimici salutantis, eumque ad odium provocat. Haec omnia communia sunt penes Auctores. Si vero inimici sint viles plebii, censet Petrus Hurtado, & cum eodem Leander *tract. iv. disp. iv. quaest. xii.* nullum apparere peccatum, saltem grave; licet homo salutatus non resalutet: quia, inquam, salutationes nullius sunt existimationis inter personas viles. Hanc ego non approbo doctrinam, quae cum experientia pugnat. Quoniam nullus rusticorum reperitur qui gravi sibi non vertat iniuriam, & contemptui, si salutans non resalutetur. Quare absolute loquendo, nisi peculiare occurrant circumstantiae, non secus isti, ac ingenui viri, non resalutantes graviter peccant.

XIII. *Quaest. XI. Offensori non petenti pacem, tenetur ne offensus signa dilectionis exhibere?* Resp. Evangelista Lucas *cap. xvii.* scribit: *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicis, Poenitet me; dimitte illi.* Matthaeus addit *cap. xviii.* non solum septies, sed & *septuagies septies.* Ex Lucae textu inferunt quidam laxiores Casuista: Ergo quoties iniuriatorem non penitet, non petit ipse veniam, offensus dimittere iniuriam non tenetur. Quod si de interiori dilectione, & venia impertienda intelligunt; illatio errorem continet manifestum, evangelicae doctrinae contrarium. Si vero de exterioris benevolentiae signis sermo est, petenti veniam denegare, livoris & vindictae argumentum est. Vide plura apud Ethicam Amoris *Tom. II. pag. 257. & segg.* Ad quaesitum autem propositum directe respondendo dico, virum christianum devinctum esse ad signa dilectionis exhibenda tempore debito, & iuxta circumstantiarum varietatem, etiam si offensor veniam non petat.

XIV. *Quaest. XII. Praeceptum diligendi inimicos urget ne eisdem praebere singularia benevolentiae signa?* Resp. Communis, immo omnium Doctorum sententia negat, ut iam ex D. Thoma adnotavimus. Quia haec specialia amoris officia nec illis qui nobis inimici non sunt, debemus: ergo multo minus

inimicis. Nec enim inimicitia titulus est qui sibi demereatur speciale dilectionis officium. Quenam autem sunt haec singularia benevolentiae argumenta? Secretorum communicatio, familiaria colloquia, crebrae visitationes, convivia mutua, & id genus similia.

XV. *Quaest. XIII. Haec specialia amoris officia licite ne suspendi possunt ob acceptam iniuriam, vel cum opportuna iudicantur ad inimicum lucrandum?* Resp. ad primam quod attinet partem, negat suspendi absolute posse haec specialia amoris signa ob rationem offensae acceptae, Suarez, Bonacina, Coninch apud Henricum a S. Ignatio *Lib. IV. cap. 14. num. 158.* quia, inquam, tunc praefata suspensio vindictae, & livoris argumentum esset, scandalique occasio. Haec tamen plus iusto rigida sententia mihi videtur. Dicerem ergo absolute, id verum non esse. Quandoque tamen ob speciales circumstantias scandali accidere potest ut nequeant haec denegari officia. Absolute enim verum non est quod haec suspensio sit livoris effectus, licet haec officia mutua vigerent ante dissidium. Neque hinc scandalum communiter oritur; quin communis hominum vel piorum sensus est quod inimici indigni sint familiari societate, illius quem offenderunt. Iniuriae tamen gravitas attendenda est. Si fuerit levis, si non ex animo pravo, & deceptore, sed ex inadvertentia acciderit; tunc certe praecedentia officia abrumpenda non essent, nec abrumpi licite possent absque culpa. Cum enim qualitas iniuriae id non exigeret, solius vindictae, & livoris, effectus esset talis officiorum suspensio.

XVI. Secundae propositae quaestiuiculae partem, videlicet debeantur ne peculiaris dilectionis officia, cum spes affulget lucrandi spiritualem proximi salutem, vel ratio vitandi scandalum occurrit, resolutio affirmativa mihi certa videtur adversus Marcum Vidal, cuius verba *c. II.* transcripsi. Caritas quippe Christi urget nos ut proximo nostro infirmo succurramus. Quod sane praecipuum tunc maxime astringit cum spes profectus, seu spiritualis emolumenti concipitur. Cum igitur aut probabiliter scandalum timetur, aut spes lucrandi Deo inimici probabilis apparet, praecipuum caritatis fraternae nos astringit ad praebenda peculiaris signa dilectionis, ut inimicum salutare, illumque alloqui debeamus. Falsa, & erroneae sunt rationes quas obtrudit P. Vidal, videlicet consuetudinem apud fere omnes Christianos obtinere non salutandi inimicum. Haec impositura est inimicum nomini christiano indecora. Id dumtaxat officii

ficii denegant flagitiosi, scelesti, & nomine christiano indigni. Illud vero praestant omnes bene morati, & caritatis divinae cultores. Iactura quam committitur, honoris, & famae in his persolvendis officiis, commentitia est, & vana. Pudere sane deberet hominem christianum, nedum Religiosum, in caritatis evangelicae exercitio constituere famae, honorisque detrimentum. Audi quam sit haec Vidalis doctrina erronea. Omnes Catholici docent, evangelicam perfectionem redolere haec officia inimicis impertiri. Porro quis dixerit infamiam parere actiones illas quae nos Deo ipsi simillimos constituunt? Quid quod ipsi Ethnici inter deos efferunt viros illos fortissimos, qui suos hostes, non secus ac amicos beneficiis cumulavit? Lege orationem Tullii pro Ligario ad Caesarem, ubi offendes, hanc propriam hominis vocem non esse quae asserit beneficiis inimicos privandos. Cum ergo nullum sit honoris, vel famae detrimentum in salutandis, alloquendisque inimicis; planum est haec illis officia exhibenda esse, potissimum cum hinc meliores futuri sperantur.

XVII. *Quaest. XIV. Qui aliquem iniuste laesit, tenetur ne veniam ab eo petere, illique reconciliari?* Resp. Titulo iustitiae omnis offensor, cuiusque conditionis sit, tenetur sub culpa gravi veniam petere a persona laesa; tametsi laedens superioris sit conditionis. Aequalitas enim servanda est inter omnes. Quoties ergo haec laesa fuit per exteriorem iniuriam, ius exigit ut compensetur. Si offensor Princeps fuerit, medio nuncio officium istud exequi valet. Si tamen superior, pater, dominus in subditis corripicndis, eosdem laeserint modum excedentes, non ab ipsis exigitur ut a sibi subditis veniam postulent: ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas, inquit Augustinus in Regula. Contra subditi, filii semper praeveneri debent in venia petenda. Nulla siquidem causa occurrere potest quae filium excuset ab officio salutandi patrem, matremque, petendique ab eisdem veniam, si altercatio iniuriosa praecesserit.

XVIII. *Quaest. XV. Quisnam servandus modus in hac venia petitione, & mutua reconciliatione?* Resp. Evangelica prudentia opus est. Primum quando prudenter praevideatur hominem laesum maiori succensum, iri furor ex veniae petitione, tunc differenda est. Quare non videtur opportunum veniam petere statim ac offensa irrogata fuit: quia animum laesus, atque exasperatus veniae concedendae aptus non est. Idcirco expectandum paullisper, donec furor deservat. Quando-

que tamen inter rixam, contentionem, ac bellum privatum opportuna est petitio veniae ad placandum hominis offensi furorem. Inspiciendae itaque sunt circumstantiae personarum; & potissimum spectanda est qualitas iniuriae, & personae quae iniuriam passa est. Quando duo invicem se laedunt, qui prius offensam intulit, iure astringitur prior quoque sit in petenda venia, absolute loquendo. Facta vero comparatione inter offensas, qui gravius offendit, praere alteri debet in mutua reconciliatione. Ceterum absolutae regulae assignari nequeunt: sed circumstantiae spectandae sunt. Et, cum dubitatio occurrit, ad regulas evangelicas semper recurrendum est. Ibi reperiemus Deum prius nos dilexisse. Cum inimici essemus, factus est pro nobis obediens usque ad mortem. Si ille nos praevenerit, cur non praevenerimus nos fratres nostros?

XIX. *Quaest. XVI. Tenetur ne offensus condonare offensam, non solum quantum ad odium, verum etiam quantum ad satisfactionem, iustamque compensationem?* Resp. Odium illico deponendum esse, iam ex dictis certum est. Damnum vero susceptum ob iniuriam ab offensore illatam non astringitur offensus remittere, nisi pravia iusta damni compensatione. Res tamen periculi plena est. Sub iustitiae furore saepe appetitus vindictae laetatur. Absoluate consultius erit omnia remittere. Occurrunt tamen casus in quibus condonare satisfactionem minime expedit, ut in sequentibus. I. Si offensor sit communitati infestus. II. Si offensus sit membrum communitatis, familiaris &c. cui honor, ac damna temporalia reparari nequeunt, nisi reus congruam exhibeat compensationem. III. Si persona offensa sit pauper quae in bonis temporaneis passa ob iniuriam sit grave detrimentum, ut pupilli, viduae, similesque, qui ob occisionem patris, mariti, &c. passi sunt grave damnum: tunc remissa offensa quantum ad odium, possunt, & interdum tenemur, in iudicium vocare offensorem, eumque ad damnum reparandum cogere: nec a iudicio desistere saepe debent, donec damno illato fuerit satisfactum. Haec tamen inter ingenuos, & divites, seu non pauperes, vix locum habent.

XX. *Quaest. XVII. Cum offensor exhibeat iustam compensationem damni illati, licet ne offenso, hac reiecta, coram iudice hanc compensationem exigere?* Resp. Adfirmant plures recentiores; quia persona laesa non magis hanc quam illam satisfactionem acceptare astringitur. Hanc defendunt Palaus, Bonacina, Reginaldus, Leander, & alii. Haec opinio

CAPUT VIII.

re mihi improbabilis est. Cedo. Si ob iustitiae commutantis laesa iura debitor sponte, & anticipata solutione laesionem reparat, & numerata pecunia debitum extinguat; iure ne in iudicium debitorem vocabis? Quidni, & iniuriae congrua satisfactio praestita, abstinentium a lite erit? Cur debitorem libere solventem quod iuxta prudentiam equitatem debet, fori angustiis, impensisque vexabis? Hoc ne evangelicae caritatis benignitatem sapit? Hoc ne contentanum illi regale: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*? Si id egeris, similis illi servo eris qui a Rege debiti 1000. talentorum condonatione obtenta, conservum debitorem suum, 100. denarios solvendo similem, suffocabat dicens: *Redde quod debes*: Matth. xviii. & reiecta solutione, quam congruo tempore debitor promittebat, in carcerem detrudi voluit, & detineri, donec universonum debitum redderet. Quae inhumana austeritas adeo Regem exasperavit, ut severum hunc creditorem tortoribus tradiderit. Ne multa. Planior via eiusmodi diffidia componendi, damnaque reparandi, prudentium Christianorum iudicium est. Olim in pluribus Italiae civitatibus societate obtinebat, cuius officium erat inimicitias extinguere, & partium laesarum iura ad aequalitatem intaurare. Quemadmodum civiles lites ob alterutrius contententium defectum induuntur; sic forenses contentiones aut ob vindictam offensi, aut ob iniuriam offensentis, qui prestare convenientem satisfactionem recusat, oriuntur. Et sane non video quomodo se a vindicta, & odio excusare ille ausit qui congruam, & aequam damni illati compensationem respuit, ut offensorem defatiget, gravet, exagitet gravissimis fori molestiis, & expensis, quae nihil commodi afferunt offenso. Missis ergo nonnullis recentibus, audientibus Apostolus est I. Cor. cap. vi. vers. 7. *Iam quidem omnino delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* D. Thomas in commentariis in hunc locum docet, *iudicium adversus aliquem esse illicitum, quando causa illius est cupiditas, & quando fit cum contentione, & detrimento pacis.* Quid quod Patres tot condiciones postulant ad iustam litem intimationem, ut raro fiat absque peccato? Verum de hoc plura suo loco. Interim illud memoriae commenda Matth. v. *Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*

Licetum ne aliquando est de malo proximi letari, aut eidem malum optare?

I. Recentiores Theologi plures, praecisionibus nimium indulgentes, non pauca commenti sunt quae evangelicae caritati, imino ipsi naturali benevolentiae repugnant. Propositiones quas hoc de argumento damnavit Innoc. XI. supra exscripsimus sub huius dissertationis initium. Indicandae nunc sunt quorundam Theologorum opiniones ex quibus ille decernitur videntur. P. Tambur. Lib. IV. cap. i. §. 3. num. 29. haec docet: *An possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim essetodium execrandum) sed ut ipse filius paternam hereditatem fruatur? An mater possit desiderare mortem filiae, ne illam alere, vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere sui Praelati, ut praelaturae ipse succeda, vel ut ab eo Praelato sibi infenso liberetur? Et similia. Si solum desideres, vel cum gaudio excipias eiusmodi effectus, hereditatem, molestiam carentiam, praelaturam, &c. facilis est responsio; licite enim haec optas, vel amplecteris: quia non gaudes de alterius malo, sed de proprio bono.* Deinde numer. 30. Rursus si desideres sub conditione, facilis item est responsio; licite posse. Si quis hunc actum eliceret: Si meus pater moreretur, ego hereditatem potirer: si filia mea occumberet, ego molestia liberarer, & gauderet tunc ille, non de patris, vel filiae morte, sed de hereditate, deque carentia molestiae; culpam odii non committeret. Num. 31. Denique, si absolute desideras cuperes in hunc modum: Cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu ut causa mei boni, nimirum quia ex illius morte ego eius hereditatem adibo: vel sic: Utinam moreretur mea filia: nam sic sexcentas sollicitudines excutiam &c. si, inquam, sic desideres, maior est resolvendi difficultas: quia tunc eligis velle malum illis, quamvis ut causam tui commodi; quod non videtur culpa vacare. Et ita quidem putat Bonacina.

II. Hac Bonacinae opinione missa, in qua sibimetipsi advertari eum contendit, eiusque verba ex alio loco decernpta transcribit, ut id evincat, opinionem amplectitur P. Castropalaei, qui Tom. I. tract. vi. disp. iv. punct. i. num. 11. haec habet. *Nihilominus credo, si cum debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Pater Viva hanc eandem opinionem tribuit Mendo in Statuta dissert. iv. quest. iv. Oviedo, & etiam Caietano; sed locum non citat, ubi similia Caietano doceat: quod facere debuisset, ut sibi lectores caverent, possentque advertere, dum Auctores qui talia docent, legunt. Hanc tamen proscriptam Castropalaei sententiam ex professo defendit P. Moya Tom. I. tract. vi. disp. vi. quest. v. §. 2. n. 8. his verbis. *Quamvis plures, & gra-*

inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum inde secutum. Sic docere videtur Emanuel Sa verb. Caritas in utraque editione n. 8. ubi absolute dicit, *te posse proximo optare malum corporale ad salutem animae, & mortem ob Reipublicae bonum honestum, & hosti, tibi alioqui valde nocivo, mortem, non odio, sed ad vitandum damnum tuum; item de morte eius gaudere ob bonum inde secutum.* Azorius, & Bonacina Tom. II. disput. III. circa i. Decal. precept. quest. xv. punct. ult. §. 7. n. 7. adfirmant licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas iuxta suum desiderium nuptui tradere: & idem esse dicunt, si ob illam causam male tractaretur a marito: posset enim illarum mortem optare, ut ab illo damno liberaretur. Consentit eis Ioannes Sanchez, qui sic inquit: *Licetum est optare sibi, vel proximo mortem ob vitandam molestiam infirmitatem, mendicitatem, vitam poenalem a marito inflatam, & alia huius generis; dummodo desideres ut a Deo infligendam, non ab homine iniuste, vel demone.* Ratio est, quia huiusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quam de bono inde secuturo: ergo non habet malitiam: quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit; cum tota species actus inefficacis ex fine desumat. Haec omnia exscribit & ipse Tamburinus, qui Bonacinae in sententiam Castropalaei pertrahere studet, & tandem hic verbis concludit: *Ex quibus vides opinionem Castropalaei esse satis probabilem.*

III. Haec opinio Castropalaei, quam ut satis probabilem suscipit Tamburinus, est ipsissima, & iisdem terminis concepta, ac thesis 13. damnata ab Innocentio XI. quae eiusmodi est. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Pater Viva hanc eandem opinionem tribuit Mendo in Statuta dissert. iv. quest. iv. Oviedo, & etiam Caietano; sed locum non citat, ubi similia Caietano doceat: quod facere debuisset, ut sibi lectores caverent, possentque advertere, dum Auctores qui talia docent, legunt. Hanc tamen proscriptam Castropalaei sententiam ex professo defendit P. Moya Tom. I. tract. vi. disp. vi. quest. v. §. 2. n. 8. his verbis. *Quamvis plures, & gra-*

vissimi Doctores sentiant, desiderium inefficax mortis alienae ob utilitatem propriam, v. g. ob hereditatem capiendam, vel ob alia motiva longe minoris momenti vita proximi, esse peccatum mortale. . . . nihilominus contraria sententia est mihi probabilior.

IV. Iure ac merito proscripta est laudata opinio, utpote evangelicae caritati, atque filiorum pietati in parentes, & parentum amori in filios, filiaque infesta. Caritas Christi non cogitat malum; & caritas quam isti excogitarunt, optat, nedum cogitat malum. Quae maior impietas quam quae mortem illis parentibus cupit a quibus filii vitam susceperunt? Quid magis sacramenti matrimonialis fini, qui propagatio prolis est, adversatur quam eiusdem prolis mortem desiderare? Adversus haec impia, & inhumana desideria ipsius naturae vos inclamat. Clamat caritatis ordo, qui perturbatur, dum proprio temporali emolumento vitam proximi postponimus. Hic namque ordo exigit ut vitam proximi nostro commodo temporaneo praeramus. Quid plura? Nonne caritatis praeccepto urgemur proximum sicut nosmetipsos diligere? Quis porro est qui vitam sibi eripi vellet ob aliquod temporale emolumentum? Eadem ergo caritate abstinentium nobis est ab impio desiderio paternae mortis, & cuiusque proximi.

V. P. Tamburinus, ut sibi in suis constat sententiis loc. cit. n. 34. docet, quemquam sibi mortem optare posse, ut istius vitae molestias declinet, his verbis. *Inquires secundo, an sicut aliis, ita sibi ipsi possit quis modo dicto malum optare, v. g. mortem ad arumnas vitae huius evitandas? Respondeo ita, propter easdem rationes: quia tunc bonum sibi optat, non malum.* Ita Vasquez, Sa, Turrianus, Navar. apud Bonac. . . . *Sunt apud nos non pauci rudes, qui tanquam de mortali se accusant sibi mortem optasse, quo incommoda vita huius effugiant. Eiusmodi poenitentes, eorumque Confessarii sunt admonendi: illi, ut conscientia erronea liberentur; hi, ut sollicitiores sint in docendis poenitentibus.* Nam profecto admirans sepius adverti, aliquos solitos frequentissime confiteri, hac erronea conscientia laborasse. Deus immortalis! Numquam ne Confessarius sibi scrupulo vertit, se teneri ex caritate, ex officio, doctoris munus erga poenitentes exercere? *Medicus est Confessarius, iudex, & magister.* Audis ne admirationem, exclamationem, zelumque tonantem? Vix unquam tam acriter invecus est in Confessarios ipsos, qui fornicarios, adulteros, in veteratolque concubinariorum nullo delectu ad sacramen-

mensam admittunt. Rudes ergo dedocendi sunt, ne optare sibi mortis confiteantur culpam? Instruendi, ut hunc a se errorem pellant? Sed hanc conscientiam rudes lumen super eorum vultum a Deo signatum edocuit. Cum nos interdum super morum, temporumque pravitate exclamamus: *O tempora, o mores!* Probabilitate exprobrant eiusmodi exclamaciones esse iansenisticas; ac si Iansenista fuerit Tullius, qui quoad memini, phrasim hanc primus invenit in Catilinam declamans. Sed dicant velim cuiusnam zeli fructus sit admiratio, stuporque ille quo percellitur Tamburinus in Confessarios qui tandem aliquando non expergerunt, ut partes impleant suas & caritatis, & iustitiae? Quippe iudicis, doctoris, & medici personas sustinent. Quid est ergo quod non instruant rudes fideles, admoneantque licitum illis esse sibi optare mortem, ut molestias, angustias, penuriamque istius vitae evitent? Sed nos doloris lacrymas effundamus super huiusmodi verum stuporem, & quasi dixerim stupidam admirationem. Hæc ne evangelica doctrina, quæ nos ad fortitudinem, patientiam, & constantiam in angustiis, in tribulationibus hortatur? Si mors optanda & nobis, & parentibus, & filiis est, fugiendi mali causa, ubi patientiæ christianiæ vestigiū? ubi evangelicæ fortitudinis virtus? ubi ad divinam voluntatem, supremamque providentiam conformatio?

VI. Excusatione digni videntur Tamburinus, & Castropalaus, viri alioquin acuti, quia ante proscriptas a Summis Pontificibus theses, suas cederunt opiniones. Verum quod mihi admirationem ingerit, est quod P. Dominicus Viva in suis ad damnatas propositiones commentariis adeo extenuare videatur damnatarum thesium sensum, ut quædam doceat quæ, salvo meliori iudicio, improbabilia mihi sint. Ea quæ mihi in illo non probantur, excusabam, non ut aliqua censura configam, (absit ut censoris munus, quod mihi haud convenit, exerceam) sed ut lectorum iudicio subiiciam. Igitur in præfatis commentariis num. 3. plures sensus promit in quibus innoxie sunt. I. Licitum nobis esse ait de malo temporali alicuius gaudere, cum inde maius Reipublicæ bonum provenit. II. Licitum esse mortem alicuius optare ob bonum spirituale quod inde sequitur, vel ob ingens Reipublicæ temporale emolumentum. Quæ duo non improbo. III. Docet licitum esse ad conservandam vitam propriam, cupere mortem alte-

rius, non valde utilis Reipublicæ, puta inimici, seu iniusti aggressoris. Huiusmodi tamen affectus sæpe non vacare culpa veniali, ait; præsertim si sint absoluti, & solum implicite conditionati. Possunt tamen citra culpam mortalem exerceri. Thesis proscripta haud eximit hos affectus a culpa veniali, sed tantum a peccato mortali. Quantum hæc a proscripta thesi dissent, ceteri iudicent. Quæ subdit, maiorem mihi difficultatem ingerunt. IV. Hæc etiam de causa (sunt illius verba) potest aliquis citra mortale optare sibi mortem ad evadendam vitam quam experitur morte ipsa amariorē Ecce quomodo possimus licite mortem aut aliis, aut nobis optare cum debita moderatione, videlicet aut ob bonum spirituale, AUT ETIAM OB BONUM TEMPORALE quod sit vita longe præstantius; non tamen ob quodcumque temporale emolumentum, ut sonant verba propositionis proscriptæ. Verba propositionis proscriptæ, quæ absque varietate vel unius vocis decerpta sunt ex P. Castropalao, non sonant absolute cupiendam esse mortem aut propriam, aut alterius ob quodcumque emolumentum temporale, sed cum debita moderatione. Immo limitata sunt ad solum affectum inefficacem. Interpretis vero absolute ultimo loco de appetitu propriæ mortis loquitur. Hæc opinio, ut imbecillitati meæ videtur, Christianorum qui tribulationibus, & calamitatibus concutiuntur, desperationi viam parat: patientiam, fortitudinem, constantiam in periculis, in angustiis extinguit, & ad divinam voluntatem conformationem tollit. Illud bonum temporale quod sit vita præstantius, non explicat. Loquitur tamen de bono privato, cum antea meminerit boni publici. Porro quodnam sit bonum temporale privatum præstantius vita, non video.

VII. Obiicies 1. Propheta Elias, ut insidias evaderet Iezabelis, petiit animæ suæ ut moreretur: III. Reg. xix. vers. 4. Ionas quoque dixit: *Et nunc, Domine, tolle, queso, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita*: cap. iv. & Iudas Machabæus: *Melius est mori in bello quam videre mala gentis nostræ*: I. Machab. III. Resp. Sancti Dei viri tanto in Deum amore, suæque religionis zelo ardebant, ut eidem iungi, cum amplecti cuperent, ne gentis suæ mala, ne iniquorum perfidiam, ne religionem fere in Israel extinctam spectarent. Zelus honoris Dei, desiderium videndi Deum, flagitiorum vehementis abominatio, dolor religionis divina sceleribus maculata,

mor-

mortis appetitum in viris sanctis excitabant. Hinc ne inferre iure possumus, licita esse illa desideria quibus rudes, ut huius vite incommo- di evadant, mortem sibi optant? Licita esse hæc desideria docent laudati Tamburinus, Viva, La Cruz, & P. Felix Potestas Tom. I. part. 2. in 1. præcept. cap. i. num. 298. & alii. Verum hæc rudium, & communiter hominum calamitatibus oppressorum desideria ex animi deiectione, & sæpe ex desperatione proficiuntur. Confessarii ergo evangelici munus erit, non rudes istos admonere; citra culpam posse se his desiderijs dedere; sed eos christiana patientia, fortitudine, & constantia imbueri, animos illis adiicere, Christi, Sanctorumque exemplaria exhibere, præmia immensa quæ viros in adversitatibus fortes, & constantes manent, obiicere. Hæc sunt Confessarii munia.

VIII. Obiicies 2. Desiderium alienæ mortis inefficax est, & conditionatum, videlicet si Deus ita disponderet. Præterea licet invasorem occidere ob temporalium bonorum defensionem. Resp. Conditio quæ his affectibus apponi solet, palliolum est iniquitatis. Intellectus unum ab altero obiecto præcidit, abstrahit; voluntas, cæca facultas cum sit, in ipsam rem ut est fertur. Desideria hæc obiective conditionata sunt, subjective absoluta. Mors patris, & cuiusque proximi, ob meum privatum emolumentum concupita, suapte natura res turpis est. Quid, queso, conditionem conformationis ad divinam voluntatem comminiscuntur? Si divinam impleri voluntatem cupiunt, precationem dominicam recitent: *Fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra*. Licet interdum, raro tamen, bonorum temporalium invasorem occidere, non ob eorum bonorum defensionem, quæ longe inferioris ordinis sunt; sed ob bonum, & communem Reipublicæ quietem. Nec officit quod thesis damnata subdit, desiderium istud non ex personæ displicentia, aut ex odio proficisci, sed ex bono temporali quod mihi obvenit. Quoniam, si ex odio oriretur, duplici titulo malum esset. Quod porro sit ob bonum quod inde evenit, peccatum est contra caritatis ordinem, quem perturbat. Malitia ergo eiusmodi affectuum confurgit ex perverso ordine caritatis.

IX. Aliæ duæ propositiones damnatae in hac materia seipsas propriam manifestant falsitatem: sunt enim primæ iam impugnatae veluti confectaria; quin maiorem horrorem ingerunt. Quid enim filiorum insito in parentes affectui, & innatae pietati exitialis

quam sequens assertio? *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas*. Qui talia in publicum emittere ausi sunt, quid est quod docere non possint? Si hæc admitterentur; ubi amor, ubi societas, ubi familiares parentes inter & filios locutiones? Quæ familiarum dissidia, perturbationes, & odia ex iis immoderatis appetitionibus non orientur? Scriptura sancta hunc impium hereditatis appetitum immaturæ mortis paternæ dispendio improbare videtur Prov. xx. vers. 20. *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris*. Audi quod sequitur: *Hereditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit*.

X. Minus horrenda haud est tertia damnata thesis: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas*. Queso, tibi ob animum siste impietatis, & crudelitatis situm qua ardet ambitio quæ talia machinatur. Licitum est filio, absoluto desiderio mortem patris optare ob hereditatem adipiscendam: licet subdito cupere Prælati mortem ob finem indispensandæ prælaturæ. Licitum ergo erit potiori iure & cuique privato appetere mortem Regis ob regnum adveniendum, & cuique Prælati desiderare mortem Summi Pontificis ob Pontificatum tenendum: quoniam maius, meliusque bonum desiderant. Porro iuxta recentiorum istorum doctrinam, quo maiora sunt bona, eo minus peccant qui illa cupiunt. Ob parva enim emolumenta haud licet, inquam, vel mortem aliorum appetere, vel mendacia materialia proferre. Qua de causa P. Viva loc. cit. num. 21. improbat opinionem Tamburini, & Ioannis La-Cruz Dominicani, asserentium, licitum esse optare sibi mortem ad evadendas leves, & communes huius vite calamitates. Desideria ista, & mendacia tunc malitiam exuunt omnem, cum bona propter quæ exercentur, amplissima sunt, splendidae dignitates, conspici gradus. Quam istorum doctrina divine, quam Deus nos edocuit, Theologiæ repugnet, vel ex eo constat quod preces fundere Scriptura sancta iubet pro Regibus, atque adeo pro patribus, nostris senioribus: *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Balthassar filii eius*: Balth. I. *Domine, salvum fac Regem*: Psalm. xix. De hac impia filiorum voluntate loquitur

tur Augustinus *Enchirid. cap. ci.* ubi prius de piis, tum de impiis filiis in patres, hæc scribit; *Aliquando enim bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult.... tamquam si bonus filius patrem velit vivere quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest ut hoc velit homo voluntate mala quod Deus vult bona; velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus; iste vero id vult quod vult Deus. Et tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam huius idem volentis impietas.... Nam Deus quasdam voluntates suas utique bonas implet per malorum voluntates malas.*

XI. Obiicies 3. Potest quis gaudere de filio ex adulterio suscepto absque ulla culpa. Eadem ergo ratione latari filius poterit de morte patris in ebrietate occisi. Præterea gaudere quis licite valet de pollutione nocturna involuntaria ob finem levandæ naturæ. Et hinc inferunt Theologi plures, quod inefficaci desiderio eam appetere non sit vetitum. Resp. Gaudium de filio ex adulterio suscepto, actus, seu complacentia est de effectu ex mala causa profecto. Quare terminus talis actus filius est. Mors patris est obiectum quod gaudium in filio excitat: hereditas annexa morti paternæ conditio est extranea, quæ mortem illam suapte natura malam efficere bonam nequit, ut omnes Theologi docent in tractatu de actibus humanis. Ad id quod de pollutione nocturna subditur, dicimus, quod, quando ex naturali innoxia causa profluit, est physicus merus effectus, & sic potest utique esse terminus liciti gaudii; quod secus esset, si ex causa vitiosa emanaret. Hereditas consequens patris mortem ex mala causa proficitur; idcirco dispar est ratio. Quod in ultima propositione dicitur, nihil peculiare continet quod egeat speciali discussione. Parricidium genere suo malum est: ideo nequit esse terminus honesti gaudii.

XII. Quæst. I. *Licitum ne est peccatoribus, & inimicis malum optare?* Resp. Licitum est inimicis, & quibusque peccatoribus aliquod malum temporale optare ob illorum bonum spirituale, nempe ut corrigantur, & ab iniquitatibus relinquantur. Sic docet Angelicus 2. 2. quæst. lxxxiii. art. 8. ad 3. *Licitum est impugnanare inimicos, ut compeſcantur a peccatis, quod cedit in bonum eorum, & aliorum. Et sic licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, ut corrigantur.* Filius explicat hanc quæstionem Angelicus duobus aliis

locis. Primo in III. dist. xxx. artic. 1. ad 4. *Dicendum, quod caritas attendit ad quedam bona per se, scilicet ad bona gratiæ; ad quedam autem per accidens, in quantum ad ista ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens caritas attendit, & ex consequenti, possunt se invicem in diversis impedire, quia prosperitas unius inducit adversitatem alterius. Unde quia caritas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se quam alium, & propinquos quam extraneos, & amicos quam inimicos, & bonum commune multorum quam bonum privatum unius; potest aliquis salva caritate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorem alterius quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ: similiter de malo etiam eius qui in malum temporale incidit, secundum quod per malum poenæ impeditur frequenter malum culpe eius. Sed bona gratiæ mutuo se non impediunt, quia spiritualia bona a pluribus integre possideri possunt: & ideo quantum ad hoc, nullus salva caritate potest malum alteri optare, vel de malo gaudere, nisi in quantum in malo culpe, vel damnationis alicuius relictur bonum divine iustitiæ, quod plus tenetur diligere quam aliquem hominem. Sed hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono quod adiunctum est malo. Tandem hoc idem argumentum tractat 2. 2. quæst. lxxxvi. art. 1. ubi inquirat, utrum liceat maledicere quemquam: & variis modis maledicendi explicatis, sic concludit: *Si enim aliquis impuret, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum; nec est maledictio per se loquendo, sed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit tamen malum aliquod dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione iusti; & sic iudex licite maledicit illum cui præcipit iustam poenam inferri; & sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando; sicut etiam Propheta in Scripturis quandoque imprecatur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divine iustitiæ: licet huiusmodi imprecationes possint etiam per modum prænationis intelligi. Quandoque vero dicitur aliquod malum sub ratione utilis, puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam aegritudinem, aut aliquod impedimentum, ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum peccamento cesset.**

XIII. Hinc habes, licitum esse peccatoribus, & inimicis malum a Deo optare, ut

corrigantur a criminibus suis, ut desistant ab aliorum infestatione, & oppressione: idque Scripturæ sanctæ confirmant. Psal. vi. *Eruſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valde velociter.* Apoc. vi. *Uſquequo non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* D. Paulus ad Galat. v. *Utinam discendantur qui vos conturbant.* Imprecationes quæ in litteris sanctis occurrunt, in peccatores, in regnum peccati, in oppressores iultorum, in religionis persecutores, & humanæ societati infestos contortæ sunt. Cavendum ergo ne hinc ansam nobis illudendi arripiamus, imprecandi scilicet inimicis nostris privatis supplicia, ipsamque mortem, ut mala quæ nobis ex illis evenire pertimescimus, evadamus. Livor quippe sensum sine sensu serpit, & facillime variis coloribus occultatur, & sub alienæ utilitatis, bonique spiritualis formæ suas exerit flammæ. In re ergo alex plena securior via tenenda est; & quod nos Salvator noster præcipit, exequendum. *Orate pro persecutoribus, & calumniantibus vos.*

CAPUT IX.

Conſectaria quæ proximi suadent, & dirigunt.
I. *Conſectarium primum.* Prolixam de caritate divina dissertationem confectatur meditatio. Eiusdem notio, vis, prærogativa, & amplitudo exposita sunt. Eadem Deum, nos, & proximos nostros complectitur mirabili servato ordine. Duo præcepta, quæ religionis christianæ capita sunt, implet virtus una; & dum implet, universam legem complet, & Prophetas. Mutuo se se amores isti pariunt, mutuo nutriuntur, mutuo flammæ augment, mutuo propriam conservant vitam, nec alter sine altero vivere potest. Percipit Gregorius Magnus Lib. VII. Moral. c. x. *Duo isti amores duo anuli sunt, sed catena una: duæ actiones, sed una virtus. duo opera, sed una caritas: duo apud Deum merita, sed unum sine alio inveniri impossibile est.* Bonitas Dei, amoris ignem accendit; sed accensum alit, & nutrit lignum crucis. Amor Dei in genus humanum Filium Dei in mundum misit, & cruci affixit. Hanc crucem nobis reliquit, qua flammam ardentem servemus. Tribulationum, adversitatum, malorumque tolerantia oleum est quo lampades nostrorum cordium ardent.

Conſectarium secundum. Amor iste omnia nostra sibi vindicat, in omnes dominatur affectiones nostras. Toto corde, tota anima diligere Deus iubet: quia nullus præter divinum

in corde ardere amor aut debet, aut potest. Simul enim ac amor mundi in cor nostrum ingreditur, recedit continuo amor Dei, quod permanere una nequeant: amicitia quippe huius mundi inimica est Deo: amicitia, inquam, qua non propter Deum, sed propter ipsum mundum mundus diligitur. Alterutrum nos odisse Evangelium testatur. Caritatis istius vis, & efficacia universalem legis observantiam exequitur. In hoc situm illius fervorem, & intensionem diximus ut omnes appetitiones nostras coerceat, animum erigat, quo mandata omnia exequatur, talemque promptitudinem, & præparationem in voluntate constituat qua apta sit consilia ipsa, nedum præcepta, servare, si occasiones occurrerent, in quibus consilia in media transirent ad salutem necessaria. Nec enim id raro accidit. Consilii, non præcepti est, divitias contemnere, a quibusdam abstinere oblectamentis, sacramenta ultra præscriptum frequentare, & cetera id genus. At præceptorum formam induunt, si attenda cuiusque imbecillitate, aut noxia graviter fiant, aut medicinæ necessariæ evadant. Hæc autem caritas tantum in omnes repugnantes affectiones nostras imperium, tantumque in rebellem concupiscentiam, divitiarumque cupiditatem dominatum haud tenere potest, nisi fervens sit, & intensâ. Vincere ne hostes valet adeo intensos, intellinosque, qui indefese, atque insidiosè proditorem moluntur, nisi accenso fervore, collatis lacertis, viribusque intentis? Hanc solam nos amoris intensionem, quæ legem universam impleat, quæ hostes intimos, a lege desciscere machinantes, in ordinem contineat, necessariam propugnativimus. Flammam istius amoris sursum tendere, angelare incrementum, confinia amplificare, exterminare hostes, eodem stare loco haud posse, sed aut retro, aut ultra progredi, semperque augeri certum est. Meditare quæ operatur, quæque parit amor carnalis. Quæ non aggreditur divitiarum cupiditas, illecebrarum affectus, ambitionis æstuans desiderium? Offendes sæpius prudentiores, ferventioresque filios tenebrarum filii lucis. Videbis avarum nullum cupiditatibus suis frenum iniicere, nullo lascivum voluptates suas repagulo moderari, semper ambitiosi sitim inardescere. Quisque suo dominantis genio omnia subiicit, eaque continenter excogitat, quæ suum augere amorem queunt. Quid? Quoniam amores isti in eorum animo dominantur. Si ergo prævalet Christi caritas in corde tuo, si thronum tibi erexit; illidem, sed oppositis insite

vestigis. Constantiam in adversitatibus, austum in arduis, tolerantiam in angustiis, solertiam in insidiis, fortitudinem in conflictu, vigilantiam in periculis, sitim inexplebilem in prosperis, atque in augendo thesauro inexhaustum desiderium imitare. Porro ut hæc præstes, frequentius affectuum repetitione opus est. Idcirco pluries in annos singulos mandatum urgere divinum diximus. Qua siquidem ratione sui perpetuitatem divina caritas postulat, eadem frequenter in actus erumpere gessit. Si vita cordis amor est, & vita consistere sine actu nequit: quis negare frequentandorum actuum necessitatem ausit? Vita hæc, non physica, sed moralis. Continuitatem ergo moralem tantummodo postulat. Actus quippe isti tantam in voluntatem imprimunt vim, easque scintillas in sinu cordis relinquunt, ut solummodo statis temporibus repetitionem exigant. Quæ omnia peroptime emphaticæ legis expressioni concinunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis: eruntque verba hæc in corde tuo, narrabis ea filiis tuis, meditaberis in eis sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens; eruntque ante oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tue.* Si ad hæc animus intenderis, nihil nos iugum aggravare legis, sed suavissime illam exponere comperies. Ausim dicere, diu in corde ardere caritatem haud posse, quin sæpius in actus se exerat. Occidet enim, mortemque occumbet, si diu fuerit otiosa. Non ergo aspera doctrina illa quæ caritatem edifferens, quæ caritati consentanea sunt, eiusque sapiunt naturam, præscribit tanta moderatione qua nec horas, nec dies designet, sed hebdomadas, & menses, quacumque nimia anxietate pulsa.

Confectarium tertium. Alter aureæ catenæ qua Deo iungimur, anulus amor proximi est. Amor Dei (inquit S. Laurentius Iustinianus) amorem proximi generat. Et amor proximi calefacit amorem Dei. Et propterea voluit Deus unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tamquam fratres omnes se amarent. Diligendus nobis proximus est amore singulari, & distincto ab eo quo Deum prosequimur. Tamen una virtus duo impleat præcepta, secus tamen unus actus; sed duplex mandatum duplex officium postulat. Verus Dei amor Dei legem implet. Sincerus proximi amor officia erga proximum exequitur, & proximi fortem, sive prosperam, sive adversam, suam facit. Infirmo medetur, gratulatur gaudenti, indigenti suc-

currit, patienti opitulatur, afflictum solatur, timentem erigit, ignorantem instruit, errabundum in semitam revocat. Si his caret fructibus, sterilis est, atque adeo caritatis amor non est. Quoniam caritas proximum diligit, quod in eo Creatoris Dei imago, & divina bonitas emicet. Hæc autem Dei imago, hæc bonitas eadem in omnibus hominibus, tam amicis, quam inimicis, tam exteris, quam domesticis. Eodem ergo amore hi omnes diligendi, eadem beneficentia adiuvandi, cum eadem sit amoris ratio. Sanguinis illicium, morum similitudo, sympathia naturalis amorem humanum, affectus carnales in ipsis Ethnicis, & quibusque humanitate præditis excitant. Hinc nos admonet Servator noster divinus: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, nonne & Ethnici hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, nonne & Publicani hoc faciunt?* Altiora sunt amoris nostri momenta. Divina sunt affectus nostri illicia. Unica est in nobis amandi ratio, bonitas nempe ipsius Dei. Hic amor, qui nos omnes Christo, & nos omnes invicem agglutinat, christiana institutionis character est, & splendida tessera, quæ nos Dei discipulos, Dei filios efficit, & ostendit in totius mundi conspectu. In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Ioan. 13. 35. Merito itaque tam frequenter nobis in testamento novi fœderis inculcatur amor iste. Hæc est ratio cur Evangelista amoris ad tædium usque amorem istum commendavit: *Filioli diligite alterutrum.* Molestia affecti discipuli, quod per singulas collectas nihil aliud proferret, nisi hoc, *Filioli diligite alterutrum*, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? *Qui*, inquit Hieronymus in Ep. ad Galat. Lib. III. c. 6. *respondit dignam Ioanne sententiam: quia præceptum Domini est. Si fiat, sufficit.*

Confectarium quartum. Nihil hoc, quo simul nos omnes iungimur, amore dulcius, nihil suavius. Odium, ira, quæ societatem nostram scindunt, singulorum quoque corda lacerant in partes. Quare sicut amor mutuus secum ipse suam fert mercedem, & præmium lætitiæ, & gaudii; ita odium suum sibi annexum habet supplicium, animi scilicet turbationem, internam seditionem, bellumque domesticum, eo crudelius, quo inimicius est. Ne vero Dei filii tam intestinæ cladis obnoxii sint, lex iubet ut caritatis freno iræ, ac odii impetus coerceant. *Sol non occidat* (inquit Paulus Ephes. iv. vers. 26.)

26.) *super iracundiam vestram.* Quod sic explicat Angelicus in comm. lect. 8. *Non persistatis in ira concepta, sed ante Solis occasum deponatis: quia licet permittatur motus propter fragilitatem, non permittitur mora.* Hinc intelliges sensum genuinum illius Christi Domini mandati, Matth. v. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & tibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Itaque si fratrem tuum læsisti, ante occasum Solis eum placare satage. Secundum iniuriæ mensuram sit demissionis tuæ modus, aut veniam petendo, aut benevolentiae signa exhibendo, plus minusve, prout christiana prudentia dictaverit. Sive ergo incruentum holocaustum oblaturus, sive sacram synaxim susceptorus, sive sacrificium laudis immolaturus Deo sis; omnium primum fratris reconciliationem, mutuaque, quoad fieri per te licet, benevolentiam reparare stude. Audi Augustinum Lib. de serm. Dom. in mont. cap. x. *Iubemur ergo illaturi munus in altare, si recordati fuerimus, aliquid adversum nos habere fratrem, munus ante altare relinquire, & pergere, ac reconciliari fratri; deinde venire, & offerre. Quod si accipitur ad litteram, fortasse credat quis na fieri oportere, si presens frater sit: non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquire ante altare iuberis. Si ergo de absente, & quod fieri potest, etiam trans mare constituto, aliquid tibi tale veniat in mentem: absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terras, & maria pererrata offeras Deo. Et ideo prosus intro ad spiritualia refugere cogimur, ut quod dictum est, sine absurditate possit intelligi... Si in mentem venerit quod aliquid habeat adversum nos frater; id est, si nos eum in aliquo læsimus: tunc enim ille habet adversum nos: nam nos adversum illum habemus, si ille nos læsit; ubi non opus est pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit iniuriam; sed tantum dimitte.... Peragendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus. Pergendum autem non pedibus corporis (si longius absit) sed motibus animi, ut te humili affectu prosterneas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris in conspectu eius cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si presens sit, poteris eum non simulatim animo linere, atque in gratiam revocare, veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris,*

pergens ad eum, non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu. Atque inde veniens, id est intentionem revocans ad id quod agere cœperis, offeres munus tuum.

Confectarium quintum. Expende, christiane Lector, quam rara sint caritatis officia. Exorto inter fratres dissidio, aut mutua læceta iniuria, confestim ad quædam metaphysicas confugiunt subtilitates. Quisque similia sermocinatur. Absit ut odio habeam fratrem meum, tamen iniuriatorem: ex animo illi omnia condono. Ceterum quod eum alloquar, quod ad pristinam amicitiam, mutuaque familiaritatem admittam; præceptum divinum hæc signa benevolentiae haud præcipit, & ipse Theologos legi. Quid hoc de argumento doceant, non me fugit. Quod ex præcepto teneor præstabo: præterea nihil. Qui talia satur, caritatem Dei illum ne habere dixerimus? Heu miser! Hac decempe da divinum metiris mandatum? Unde tibi, quærso, obligatio divini præcepti tam perspicue comperta est, ut amor tuo adeo præcisa confinia itatuere valeas? Quid, si confinia ista nimium coarctes? Quid, si a debita, & necessaria amoris mensura deficias? Hæc tua effugia consentanea ne sunt divinæ regulæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* aut contra: *Quod tibi vis fieri, alteri facito?* Qui divina mandata ad eiusmodi ratiocinia, quæ a carnis dialectica proficiscuntur, revocat; is caritate divina, quæ dilatare flammam, & multiplicare beneficia gessit, se omnino carere patefacit. Vera quippe Dei caritas comprimere in sinu suo flammam nequit, nec æstus occultare. Foras erumpit, fratrem complectitur, illum alloquitur, & ad priorem recipit benevolentiam; nisi peculiaria obstacula officiant. Quod potissimum locum habere debet inter domesticos, germanosque fratres, inter Religiosos eiusdem instituti, & cenobii. Oro, obtestorque ut, missis quibusdam Casuistis, dum tibi super hoc caritatis præcepto difficultates occurrunt, Evangelia adeas, D. Ioannis potissimum epitolas legas, relegasque, & textum allatum D. Matthæi serio perpendas. Recogita quantum Deo cordi sit hæc sincera fratrum post dissidium reconciliatio, ut suo cultui, suoque, quasi dixerim, honori præferat. Audi D. Ioannem Chryso domum hom. xvi. in Matth. *O admirabilem dignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei! Honorem suum despicit, lum; in proximo caritatem requirit. Interrumpitur, inquit, cultus meus, ut caritas tua integre-*

tegetur. Sacrificium est mihi fratrum reconciliatio. Propterea quippe non dicit, postquam obtuleris, aut priusquam offeras; sed munere ipso iam posito, & inchoante sacrificio reconciliandum mittit ad fratrem. Quam igitur ob causam istud fieri iubet? Duo sunt quae per ista designat: unum quidem iam dixi, ostendere scilicet volens quod honoret maxime caritatem, & hanc acceptissimum esse sacrificium ducat; absque ista vero nec illud profecto suscipiat: aliud vero, quod irrefragabilem quamdam necessitatem reconciliationis imponat. Qui enim iussus est non vive munus offerre quam reconcilietur offenso etiam si non ob proximi caritatem, saltem ne sacrificium imperfectum maneat, curie ad iristatum fratrem, inimicitiasque i solvet. Propterea & diserte cuncta memorat; terrens illum videlicet, ac suscitans. *Vesim dixisset*, Relinque munus tuum, non ibi substitit, sed intulit, ante altare, rursus ab ipso etiam loco horrorem iniciens: & vade: nec tantum dixit, Vade, sed adiunxit, prius; & tunc veniens offeres munus tuum: per omnia ista significans quia per aliquas inter se inimicitias dissidentes nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant hi qui sacris mysteriis initiati cum inimicitis ad communionem altaris accedunt. Audiant etiam illi qui nondum initiati sunt. Offerunt namque & ipsi munus, & hostiam, orationem dico, & eleemosynam. Quia enim & haec sacrificii minister obtineant, audi Prophetam loquentem: Sacrificium laudis honorificabit me; & rursus: Immola Deo sacrificium laudis. Elevatio manuum mearum sacrificium, vespertinum. Itaque etiam si orationem cum tali offerat voluntate; melius est orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurre, & tunc orationem consequenter offerre. Propter hoc enim facta sunt omnia. Idcirco & Deus homo factus est, atque omnia illa gessit, ut nos in unum sine dubio congregaret.

Confectarium sextum. Regula generalis Confessario servanda in hac materia, ut valeat & caritatis violationem, & eiusdem observantiam dignoscere, haec esto. Quod ad praeteritum tempus spectat nec suam, nec accedentium mentem torqueat in supputatione omissionum; sed statum peccatoris, & peccandi diuturnitatem paucis investigabit. Peccatores enim caritatis praecipuum, quamdiu in peccato persistunt, non implent. Quare cognito illius statu, non est severae

discussioni indulgendum super caritatis omissionibus numerandis; sed potius exaggeranda est illius ingratitude adversus suum Creatorem, & Redemptorem, ut ad illum amandam inflammet. Si pro impertienda absolutione dispositum repererit, obliget illum ad saepius in dies eliciendos amoris actus, saltem mane, meridie, & sero, ut huic sancto exercitio assuefiat, seseque ad servandum maximum mandatum disponat. Ad iustos quod attinet, nulla occurrit difficultas. Fieri enim vix potest quin iusti saepius in dies, nedum in hebdomadas, Deum ament. Illico enim ac desinunt Deum amare, quando praecipuum urget, desinunt esse iusti. Si porro torpidi, & languidi fuerint in repetendis amoris actibus, amoris divini flamma exstinguetur. Curent ergo iusti omnes continuum istius ignis incendium conservare frequenti actu repetitione. Vides nunc quam facilis sit divini istius mandati observantia. Iusti caritate vivunt, & caritate proficiunt, & caritatem augent. Quare isti frequentissime Deum amant, & in eisdem splendet illa moralis continuatio amoris quam supra explicuimus; Peccatores hoc mandatum non servant: ideo dicimus cito illos in Deum converti debere.

Confectarium septimum. Altera regula generalis in componendis diffidiis. Qui locutionem, salutationem inimicorum respiciunt a sacramentis arcendi sunt: quod maxime verum habet, si inimici sunt Religiosi in societate viventes. Temporis brevitatis, circumstantiae expectandi opportunam occasionem excusare quandoque a gravi culpa possunt. Ut reconciliatio sincera sit, prior amicitia reviviscere debet, eadem familiaritas. Languior & frigida conversatio interioris languoris, & infirmitatis argumentum est. Si caritas non augetur, decrescit. Haec sunt incrementi occasiones. Intenditur enim caritas, cum devicta ira, & aversione pulsa, inimicum sincere, & generose complectitur. Noli quaeso, in iniuriarum transactione casuisticas quasdam consulere regulas, sed Christi Evangelium. Nemo nostrum se habere caritatem Dei certo asserere potest; sed omnes cum timore & tremore vitam ducimus, ignoantes, odio ne, an amore digni simus. Porro nullum est validius argumentum nos amore divino proximum diligere, quam cum, repugnante natura, hostem complectimur.